BIBLIOTHECA EPISCOPALIS SEMINARII BARCINONENSIS

BIBLIOTHECA
HUMANISTICA

Dris. JOSEPH M.ae LLOVERA
et TOMAS, can. († 1949)

Digitized by Google

FRANCISCI XAVERII ALEGRE

Mexicani Veracrucensis

HOMERI ILIAS

Latino carmine expressa

8º
X +
456 pág.

EDITIO ROMANA

Venustior, et emmendatior.

BIBLIOTHECA EPISC. SEMINARII



M. DCC. LXXXVIII

Apud Salvionem, tipographum Vaticanum

Superioribus annuentibus.

101703



MEXICANA CIVITAS.

DUodecimus annus evolvitur, quum Homeri Iliadem à Franciſco Xaverio Alegre, verſibus latinis expreſſam, & Bononiæ editam, menda plurima deturpa-

bant. Quantum potui, tantum diligentiæ impendi, ut PATRIÆ decore, ab iisdem vindicata, pristinæque veritati restituta, denùo compareret. Eo sanè consilio, ut Tibi, bonarum Artium cultrici, eamdem devoverem. Adeò enim me turpi, atque inexpiabili culpa aspersurum, existimabam, si heroicum hoc Opus, juris quodammodò Tui, Tibi inscriptum, & dicatum non emisissem. Quod eò Tibi gratius, rebar, futurum, quòd ab Alegre profectum, quòdque à Tui, tuorumque studiosissimo evulgatum.

Joannes à Malo
de Villavicencio.

LECTORI.

HOmeri Iliadem nostris laudibus extollere insanum esset: in ejusdem commendationem omnis generis Scriptorum testimonia congerere, supervacaneum, atque infinitum: versionis autem nostræ difficultatem, laborem, ac diligentiam commendare, stultum profecto, ac deridiculum. Etenim quum versiones non eadem ex causa, neque eodem sibi proposito fine omnes adornaverint, nec item eodem ex capite earum utilitas æstimari, aut commendari potest. Sunt enim qui sic existiment, versiones illas, quæ verbum verbo exprimunt aliis liberioribus esse præseferendas, nam hæ, quod in Angeli Politiani Latino Herodiano meritò reprehendit Henricus Stephanus, dum Latini sermonis elegantiam, & verborum proprietatem studiosiùs sectantur, a Græco fonte divagantur longiùs, ut quid cui respondeat, non facile discerni queat.

Atque hæc quidem vera esse fateor, quum in eorum gratiam, qui Græcè disce-

re incipiunt, Homeri, aut alterius cujusvis scripta in Latinum, aut vulgarem sermonem vertenda susceperis, quod sibi dumtaxat præstituisse videntur Andreas Divus, & qui ejus versioni castigandæ insudarunt Maxillus, Gifanius, Sebastianus Castellio, Henricus Stephanus, Liberlinus, Berglerus, Salvinius, atque his similes alii, ab quibus in Latinam, Hispanam, Gallicam, Italicam, Anglicam, & Germanicam linguam Homeri opera, & plura alia Græcorum translata sunt.

Ut autem Græcæ linguæ addiscendæ ejusmodi Scriptorum labore nihil utilius, ita Homeri, aut Poetæ cujusvis alterius gravitati, elegantiæ, ac sublimitati cognoscendæ, aut pensandæ nihil fieri potest ineptum, immo contratium magis. Quo fit, ut Liberlini, exempli gratia, quum versionem totam perlegeris, aut te Homerum illum tot omnium gentium præconiis laudatissimum legisse non credas, aut tot retrò sapientes viros insanire arbitreris, qui ineptissimas illas loquutiones, frigidas sententias, & descriptiones insipidas summis laudibus certatim extulerint.

Nec tamen eandem interpretandi methodum omnes Homeri Traductores sequuti sunt. Nam ut antiquissimos illos omittam, Livium Andronicum, Accium Labeonem, de quo Persii Scholiastes Sat. I. Cnejumque Mathium,

& Ninnium Crassum, quorum meminit Priscianus lib. 9, ut inquam hos omittam, fuere ex recentioribus plures, qui, quum ligata oratione, tum soluta Homeri Iliadem, Odysseamve, aut etiam utramque aliis etiam linguis ediderunt, aut edere tentarunt. Hos inter clarioris nominis habentur Franciscus Petrarcha, Angelus Politianus, Laurentius Valla, & Raphael Volaterranus, Joachimus Camerarius primum, & secundum Iliadis librum latinis versibus extulisse dicitur, cujus etiam Homericorum omnium librorum argumenta exstant apud Politum.

Primum item, secundum, & nonum librum Vincentius Obsopæus, tertium, quartum, quintum, decimum tertium, duodevigesimum, vigesimum, vigesimumsecundum, & vigesimum quartum. Nicolaus Valla, Iliadem universam; atque Odysseam Marinerius quidam Hispanus apud Nicolaum Antonium in Bibliotheca Hispana, quod opus, an exstet, nec scio, nec aliquem, qui id sciret, invenire potui: tandem Joannes Baptista Lawenbergius, cujus ex Odyssea fragmenta nonnulla vidi non contemnendo latino versu, Iliadem, an idem verterit, non satis compertum habeo. Quibus accedit Cunichii, quæ nunc cum laude prodit, Iliadis interpretationem, latino versu. Atque hæ quidem Latinæ Homeri versiones.

Jam vero ex vulgaribus aliis linguis, apud Gallos insignis quædam fœmina Anna Daciería Homerum soluta oratione satis feliciter expressit. Anglica lingua & carmine idem præstitit Alexander Poppæus; atque idem Germanicis versibus Iliadem Joannes Spiengerius; Italicis, quos solutos vocant, præter citatum Salvinium, alii nonnulli, & ligata Italica oratione nuper Josephus Bossolus. Habetur etiam in pretio apud Hispanos Gundisalvus Pereyra, seu potiùs Perezius, qui Odysseam patrio sermone edidit, ut Syriacam versionem omittam a Theophilo Edesseno elaboratam, & Persicam, cujus meminit Labbæus. Vide, si lubet, aliorum Homeri Interpretum, & Scholiatorum catalogum apud Fabricium in Græca Bibliotheca tom. 1. & Alex. Politi præfationem ad suum Eustathium.

Poetarum igitur Principis mentem, non verba, latinis versibus exprimere conati, Virgilium Maronem, Homeri, inquam, optimum, & pulcherrimum interpretem ducem sequimur, in quo plura ex Homero ferè ad verbum expressa, plurima levi quadam immutatione detorta, innumera, immò totus quotus Maro est, ad Homeri imitationem compositus. Ubi ergo Virgilius, pene ad literam Homerum expressit, nos eadem Virgilii carmina omnino, aut fere nihil immutata

lectori dabimus, nec enim aut ab ullo mortalium elegantiùs efferri potuisse quisquam crediderit, aut vitio, plagiove nobis verti poterit, si ubicumque inventam Homericam supellectilem, ipso jure clamante, vero domino restituamus. Ubi autem Virgilius, Virgilius, inquam, ipse, nonnullas Græci Vatis loquutiones, & loca latinè,

Desperans tractata nitescere posse, reliquit,

nos item relinquemus. Habet enim unaquæque lingua lepores quosdam suos, ac dignitatem, decoremque verborum, quæ si in aliam transferre coneris, non nisi turpe quicquam, aut insulsum dixeris.

Quod autem de unaquaque lingua universa, id etiam de propriis uniuscujusque gentis, ac Provinciæ, immo & urbis loquutionibus dicendum est, quamobrem & Livius Patavinitatem, & Virgilius Mantuanitatem redolere dicitur. Idem etiam quod de verbis, de Heroum moribus judicandum est. Quid enim Achillem carnes scindentem, ac distribuentem, aut Nausicaam ad fluvium lavantem reprehendant, qui ejus gentis, eorumque temporum mores satis cognitos, ac perspectos habeant? Perinde quasi non iidem aut Abrahamum hospitibus pedes lavantem, aut Rebeccam adaquantem camelos in Scripturis legerint.

Ad calcem operis nonnullas addere ad-

notationes pollicitus eram, quum tamen Eustachii Thessalonicensis in Homerum Commentaria Latina fecerit Alexander Politus, & Appollonius Sophistes nuper quoque in Gallia Latinus prodierit, supersedendum duxi, eaque solum adnotare constitui, quæ Latinæ Versionis locis quibusdam aut explicandis, aut vindicandis necessaria visa sunt: quandoque etiam in ea quæ Homeri sunt propria non illibenter excurret calamus.

FRANCISCI XAVERII ALEGRII HOMERICÆ ILIADIS

LATINIS VERSIBUS EXPRESSÆ.

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Chryses sacerdos Apollinis filiam suam liberaturus ad Græcorum stationem venit. Re non obtenta, immo ab Agamemnone contumeliosè dimissus, Apollinem in Græcos precatur. Peste ingruente Achilles concionem vocat, in qua quum Calchas veram caussam patefaceret, iratus Agamemnon in Achillem invehitur, eique aufert Briseidem. Hinc Achillis in Græcos indignatio, quo rogante Thetis ab Jove auxilium pro Trojanis in Græcos precatur. Juno re comperta cum Jove rixatur, donec eos Vulcanus in concordiam adducit.

IRam, Diva trucem Pelidæ concine Achillei,
Quæ mala tot miseris, infandaque funera Graiis
Adtulit, ingenteisque animas tot tradidit Orco,
Mortaleisque virum exuvias, artusque cruentos,
Alitibusque (nefas) prædam, canibusque reliquit.
Consilium Jovis interea, atque arcana voluntas
Perficiebatur, donec discordia demens
Atridemque inter, sævumque arderet Achillem.
Tu memora quæ fata Deum, quæ numina claros

Digitized by Google

Commisere viros, tanto ut discrimine possent
Exercere odia, atque animos in se addere Teucris.
Venerat ad Regem Chryses, pictasque carinas
Dona ferens, pretiumque ingens, ut reddita patri
Rursus in assuetos remearet gnata penateis,
Quam bello quæsitam olim, ac victricibus armis
Duxerat in Phrygiam, Phœbique insignia, vittas,
Aureaque in manibus gestabat sceptra sacerdos.
Tum geminum Atridem, supplexque orabat Achæos:
Atride, & vos Grajugenum gens inclyta, prolem
Reddite dilectam, solatia tota parentum.
Dona fero, accipite, & miseri neu temnite planctum,
Siqua movet Superum, & magni reverentia Phœbi.
Sic urbem Priami, ac Trojanam exscindere gentem
Fata duint vobis, patriosque revisere fineis.
Dixerat, assensere omnes pulchramque puellam
Tradendam patri misero, accipiendaque dona.
At non hæc Danaum placuit sententia Regi,
Quin torvum adspectans, oculisque minacibus: absis
Ocyus hinc, vetule, haud, inquit, te in litore stantem
Adspiciam, Grajorum iterum vel castra petentem.
Ante ego non caream Chryseide, tarda senectus
Quam patria tellure procul, tectisque suorum
Argis inveniat nostris in sedibus illam.
Percurrentem amplas arguto pectine telas,
Et mihi depictosque thoros, & strata parantem
Mollia: ferto hæc, atque oculis te subtrahe nostris.
Sic ait, at senior vultum dejectus honestum
It lacrimans maris ad litus, fluctusque sonanteis,
Tum procul ab castris Divum sic voce precatur
Latona genitum pulchra: qui argentea semper
Tela geris, Smintheu, Chrysæ cui mœnia cordi,
Qui Tenedo, Cyllæque agro dominaris opimo,
Siqua tuis umquam imposui tecta ardua templis,
Pinguia si quando sacris admovimus aris
Exta boum, gratumve adipem, pro supplice luctu,

Digitized by Google

Pro lacrimis Danaos meritas da pendere pœnas,
O pater, hæc nec nostra ferant vota irrita venti.
Talia clamantem cœli de vertice summo
Audiit Arcitenens, subitasque exarsit in iras,
Tum se nube cava, ac densa caligine condens
Inde petit terras, humeris argentea pendet
Ex altis pharetra, atque arcus, quem plurima circum
Tela sonant gradiente Deo, cædeisque minante.
Ut procul ab ratibus conspexit castra, sagittam
Impulit ex arcu frendens, fatalis arundo
Cum sonitu per inane ruit, neque cernitur ulli,
Hinc aliam, atque aliam ingeminat, jumentaque passim
Corpora fida canum, taurorumque ardua membra
Sternuntur lætho, pecudesque, & vulgus equorum.
Tum Danaos petit insonteis, atque aggerat omneis
Per naveis turpi dilapsa cadavera tabo,
Ardebantque rogi per litora curva frequentes.
Jamque dies aderat decimus, quum regia Juno
Mœrentis mentem, atque animum commovit Achillei.
Illicet e castris pubem acciri imperat omnem,
Tum regem adloquitur: Non ultra insistere cœptis
Posse, reor, Danaos: Priami stent mœnia, Princeps.
Qua ventum, hac iterum (liceat modo vivere) eundũ est,
Irati Graios cœli inclementia quando,
Et vis sæva simul premit Hectoris, aut age, sorteis
Dilectosque Deo vates, templique ministros
Adsciscamus, ait, quibus aut arcana patescunt

V. 51. *Inde petit*) Sacerdotis sui injuriam ulturus Apollo terras petit. Sacerdotum namque personam sub singulari Deorum protectione esse omnis profana antiquitas credidit, cui & Sancta Religio attestatur dicens: *Nolite tangere Christos meos*.

V. 57. *jumentaque passim*.) Ab reliquis enim animantibus pestes plerumque incipere multis experimentis patet, & firmat latè Cerda in l. Georg.

Signa poli, aut avium cantus, vel nuntia veri (thor.
Somnia, namque horum est summus quoque Jupiter au-
Forte canet cur tot miseris iratus Apollo
Pessima molitur Graiis, neglectave sacra
Aut vota incuset Divum non reddita templis.
Plurima tum nostri languens cadat hostia dextris,
Placemusque Deos. Dixit, siluitque repente.
Tum mediis surgens effatur talia Calchas,
Calchas Thestorides, Vatum optimus, omnia namque,
Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur
Olli nosse datum, quo per tot inhospita saxa,
Incertasque vias pelagi duce Dorica classis
Sigeum ad litus, Phrygiasque advenerat oras.
Ille autem. O Superis Pelei dilecta propago,
Abstrusas rerum causas, & Apollinis iras
Pandere voce jubes, pandam, modo vera profari
Calchanti liceat, timeo nam sceptra tenentem.
Valde etenim irati metuenda potentia Regis
In sibi subjectos: simulet licet, ilia rodit,
Et semel admissum sedet alto in pectore vulnus,
Nec fatum effugias; quod si mihi vera canenti
Laturum auxilium spondes, nil demorer ultra.
Sic Calchas, Pelei contra sic filius orsus:
Fare quidem quæ arcana tibi Dij cumque revelant,
O pater, haud etenim quisquam (sacra numina testor,
Dilectumque Jovi Phœbum) nec maximus ipse
Grajorum ductor, dum spiritus hos regat artus,

V. 73. *vel nuntia veri Somnia* ,) Somnia universim observare vetitum est Deuter. 18. *Non erit in te* , *qui observet somnia* ; quandoque tamen veri nuntia fuisse, & horum Deum singulari quodam modo authorem esse testatur divina Scriptura dicens : *Siquis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei* , *vel per somnium loquar ad illum* . Deuter. 32. *quando enim sopor irruit super homines* , *&* *dormiunt in lectulis* , *tunc aperit aures virorum* (Deus) *&* *erudiens eos instruit disciplina* , ut est apud Job.

V. 81. *Omnia namque* ,) Versum hunc Protheo accomodavit Virg.

Tentabitve minas, aut pœnas exiget ullas.
Dixerat, & posita Calchas formidine fatur:
Non vos ulla premunt Superis non reddita vota;
Hostia non neglecta, viri, contemptave templa.
Hæc Chrysis lacrimæ, despectaque vota reposcunt
Immeriti Vatis, spretique injuria Phœbi,
Nec prius absistent quam filia pulchra parenti
Reddatur misero, taurorum & corpora centum
Pinguia Chrysæas Sminthei mactentur ad aras.
Omnia tunc Divis contingent vota secundis.
Talia dicentem jam dudum spectat Atrides
Mentis inops: turbata agitat præcordia sanguis,
Torvaque, ceu geminis ardebant lumina flammis,
Tunc sic adgreditur, verbisque adfatur amaris:
O Calcha, vates mihi semper lævus, eamne
Causam cladis, ais, quod splendida munera Chrysis;
Et gnatam abnuerim longævo tradere patri?
Atque equidem verum ut fatear, mihi gratior unquam
Fœmina nulla fuit: non illi corpore, vultu,
Flore juventutis, mentis vel dotibus ullis
Ipsa Clytemnestra antestat pulcherrima conjux.
Verum age, jam tradam, populi nam vita, salusque
Lex mihi prima fuat: vos autem digna parate
Dona duci. Solusne inter tot millia princeps
Muneribus caream, aut partis spoliabor inultus?
Vix ea, quum contra fatur sic dius Achilles:
Maxime Grajorum ductor, quas possumus omnes
Pro pietate tua, pro tot tam fortibus ausis
Solvemus grates; at prœmia solvere digna
Qui possint Danai? nihil in commune relictum,
Aut positum in medio est, prædam qua quisque potitus,

V. 121. *Salusque*) Allusum ad sapientissimum illud effatum apud Romanos. *Salus populi suprema lex esto*. *Fuat* autem Archaismus est, quo non semel usus est Virgilius.

Hanc retinet, propriosque lubens convertit in usus.
Nunc tu cede Deo; pubes tibi Dorica terque
Plura, quaterque dabit, siquando Jupiter urbem,
Et Priami nostris gazam concesserit armis.
Dixerat, & læto plaudebant ore Pelasgi
At non ista unquam, Danaum fortissime, nobis,
Rex ait, evinces, magnis ut parta periclis
Elabi e manibus patiar. Tantine videmur
Esse tibi, ut reliqui exultent, spoliisque fruantur,
Orbemur nos, & rerum ploremus egeni?
Scilicet hoc Calchas moneat, sic poscat Apollo?
Non ita: si Danai renuant, mihi juraque, fasque
Ipse manu faciam, tuaque, Ajacis, vel Ulyssi
Præmia corripiam, meaque in tentoria ducam.
Hæc alias autem; nunc, quod magis instat, agamus
In mare velivolum lecto cum remige puppim,
Quæ vehat in patriam roseo Chryseida vultu,
Centenosque simul præstanti corpore tauros,
Munera grata Deo: procerum lectissimus unus
Hæc ferat, & casto placet pia numina ritu.
Rex ea, quem torvum adspectans adfatur Achilles:
Atque erit, o hominum pestis, tua jussa sequutus
Grajugenum quisquam, cæcas qui tendere Teucris
Præterea velit insidias, aut agmine facto
Signa sequi, ac dubio sese committere Marti?
At non ulla quidem tristi gens Dardana bello
In Peleum commissa luit, non illa recenteis
Aut fruges unquam, aut pecudes, armentave latis
Avexit campis: nemora inter densa ferarum,
Prærupcæque jacent rupes, fretaque invia ventis.
Fratris jura tui, tua, pessime, signa sequuti
Tot Trojam petiere duces, quos despicis amens.
Jamque urbe ex capta Priami Te, & maxima Regum
Tot retro spolia, & servi, gazæque manebunt;
Ast ego (sit fas vera loqui) pars maxima belli,
Exigua vix parte fruar, quam sanguine multo,

Et multa fessus Teucrorum strage merebor :
Quin potius patriosque lareis, Phtiamque revisam.
I porro, Atrides medio in sermone profatur,
Si lubitum est animo: cernis quot millia nostro
Parent imperio, atque Jovis reverentur alumnum?
Tu mihi ductorum infensissimus, horrida cordi
Cui semper pugna, & rixæ: tibi maxima virtus.
Jupiter hoc voluit, fruere, atque in bella Pelasgos,
Myrmidonasque regas, nil te moror, hæc tamen audi:
Pulchram ego dimittam Chryseida, sic placitum Diis;
Formosam tamen abducam Briseida mecum
Invitam quamvis. Disces quid præstet Atrides
Æacidæ, discent Danai, nec se mihi quisquam
Ferre parem, aut Regi audebit se opponere contra.
Hæc jactat, dubiusque animi volvebat Achilles
Irruat an, ferrumque inimico in pectore condat.
Jamque manum capulo aptabat, quum cœlitus adstat
Junone ab Diva, ductor cui charus uterque,
Et juveni stetit a tergo Tritonia Pallas
Uni Conspicua, ac reliquis non visa Pelasgis,
Cæsariemque manu auricomam, atque in terga fluentem
Corripit, obstupuit visu perterritus heros:
Nostrorumque, inquit, Jovis aurea gnata, dolorum
Spectatrixne venis, cœdisque Agamemnonis atræ?
Huic ne faves nunc ut fugiat? quis tanta furentem
Usque ferat, meritas nec poscat sanguine pœnas?
At Pallas: Parce irarum, parce, inquit, Achilles,
Juno vetat, res quæ amborum curatque, fovetque:

V. 174. *Pelasgos*,) Hoc nomine ut plurimum Græcos generatim appellamus Virgilium sequuti; hic autem particularem quandam Græcorum gentem designat, quæ Achilli parebat, de qua lib. 2.

V. 194. *Juno vetat*,) Cœleste præceptum comminiscitur Poeta, quia alias verisimile non esset Achillem fortissimum, & truculentissimum hominum sibi temperasse. Simul pulcherrimo exemplo privatorum in majores etiam injurios, & maxime in Reges licentia coercetur, de quo infra Nestor.

Tu dictis solare animum , crudo abstine ab ense:
Quas tibi (vera cano) feret hæc injuria laudes?
Munera quot, meritisque pareis geminabit honores ?
Nec plura his, cui Pelides ; tua jussa sequemur,
O Dea, cor tumeat quamvis, ac ferveat ira,
Namque voluntati Divum parere decensque est,
Tutius & nihil, ac melius mortalibus ægris.
Hæc fatur, violenta manus simul ære nitenti
Hærebat capulo, & retro magnum impulit ensem
Palladis auscultans dicto. Dea pulchra per auras
In Jovis, ac Superum subito volat aurea templa.
Atridem interea dictis compellat amaris
Myrmidonum ductor (neque enim furor occidit intus)
At non te quisquam collatis, pessime, signis
Viderit irrumpentem acies, & cœde madentem.
Exhaurire alta undantem cratera corona
Hæ tibi sunt artes, lautisque accumbere mensis,
Condere opes proprias, aliorum invadere gazas,
Ora canis, pavidique gerens præcordia damæ.
At si animos Danai ingenteis, mentemque virilem,
Non pictis gererent muliebria corda sub armis,
Hac indigna tenus licuissent gesta furenti.
Verum ego sic juro, atque ultricia numina testor:
Ut sceptrum hoc (sceptrũ in manibus nam forte ferebat
Numquam fronde levi fundet virgulta, nec umbras,
Quum semel in silvis ima de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas, & brachia ferro
Olim arbos, nunc docta manus circumdedit auro,
Et patribus, ducibusque dedit gestare Pelasgis,
Ab Jove queis legesque datum, populosque tueri,
Sic habeas, desiderium te forte subibit
Nostri ingens, quando haud poteris, quum Troja circum

V. 218. *Ut sceptrum hoc*,) Hanc juramenti formulam mutuatus est ab Homero Virgilius in 12., & Latino Regi adaptavit pulcherrime.

Digitized by Google

Tela prement, miseris usquam prodesse, cadantque
Hinc, atque hinc plures, homicidaque sæviat Hector.
Despectum frustra tum voce vocabis Achillem.
Dixerat, & sceptrum projecit turbidus aureis
Distinctum clavis, nec Atridem segnior urget
Ira intus, mediis autem Nelejus heros
Consurgit Nestor, qui facundissimus unus
Inter bella fuit, vel quo non dulcior ulli
Suada sedet labris. Bina olli elapsa recedunt
Tempora, progeniesque hominum, queis ætheris auras
Hauserat ille Pylo pariter nutritus opima,
Tertia regnanti jam dudum volvitur ætas:
Tunc sic adloquitur prudens, & pectora mulcet:
Proh Superi, nos fata manent, nos tristia Graios,
Tam magis illa satis Priamo, Regique parenti,
Lætaque Dardaniæ pubi, quum norit Achivos
In se odiis certare duces, quibus inclyta virtus
Consiliumque præesse dedit, jus, fasque tueri.
Quin potius parete mihi, longissima rerum
Cui experimenta favent, annisque edocta senectus.
Namque olim juvenis, florens quum prima decoras
Vestiret lanugo genas, prima agmina duxi
Sub ducibus longe egregiis, ea cernere facta,
His solitus duros Martis tolerare labores.
Quos, quantosque viros, o Dij! Ceneusque, Driasque,
Exadiusque, & Pirithous, similesque Deorum

V. 234. *vel quo non dulcior ulli*) Triplex eloquentiæ genus distinguit Homerus, a quo deinde Tullius, Longinus, & posteriores Critici. Suavitatem, atque orationis dulcedinem hic tribuit Nestori, brevitatem, & arguriam Menelao, vim, copiam, & majestatem, Ulyssi. Primum Gorgiæ, secundum Isocrati, tertium Demostheni similem dixeris, aut si Latinos mavelis, Nestorem Plinio juniori, Menelao Lucium Senecam, Ulyssi Tullium compara.

V. 247. *Namque olim juvenis*,) Nestor ut quovis sene senior, ita ad nauseam usque, *laudator temporis acti se puero*. Quæ in hac Nestoris oratione reprehendit Volterius, futilia sunt.

Theseus Ægæi proles, Rex & Polyphemus.
Multum illi quum animis trucibus,tum corpore,& armis
Anteibant hominum genus, ingenteisque domabant
Nubigenasque viros, & monticolas Centauros.
His ego versabar ducibus, cum his fœdera junxi
Ex Apia tellure procul, patriaque profectus,
Quæsitusque aderam, præclaraque bella gerebam.
Non illis conferre manum, non tendere contra
Auderent homines, tellus quos nunc parit alma.
Parebant tamen hortanti, parete volentes
Et vos, o chari. Seniorum credere dictis (vit.
Prudentum est,Divum,atque hominum quos rector ama-
Nec tu vi raptam abducas Briseida, Achilli
Sorte datam, egregiæ sat debita præmia laudi,
Nec tu, Pelide, Argivum contendere Regi
Viribus adversis nitaris: honore potitus
Non simili, atque ille, Argolicas cui Jupiter arceis
Credidit, & populos voluit parere vocatos.
Te insignem bello, fateor, Thetis extulit alma;
Pluribus ille tamen Rex imperat, abstine, Atride,
Atque iram tu pone prior, me justa precantem
Audiet, ac facilis furiam compescet Achilles,
Una salus bello, & nostræ spes maxima gentis.
Sic fatur senior, Danaum cui talia ductor:
Atque equidem, pater, hæc nobis præclara loquutum
Admiror, vereorque: utinam tam grata sederent
Pelidæ; ast illum reliquis præstare superbum
Duntaxat juvat, & genti dominarier omni.
At quorsum hæc? magnis si numina viribus illum
Auxerunt, Regum contemnere jura licebit
Continuo, & rabidis famam proscindere dictis?
Talia jactantem adloquitur furibundus Achilles:
Næ viles animæ, Peleoque indigna parente
Dicamur soboles, tibi vel si adstare loquenti,
Sive tuis facilem concedam vocibus aurem.
Ista canas aliis, non jam mihi, teque, tuosque

Omneis despicio; tamen hæc in pectore serva:
Non ego pulchricomæ causa pugnabo puellæ,
Pone metum, aut tecum, fœdissime, vel Danaorum
Cum quovis, concessa semel qui dona retractent;
At gazam reliquam, magnorum munera avorum,
Quæ mihi apud naveis servantur plurima: nunquam
Me invito atinges, vel tenta, age, si potes omne
Quod tibi cumque lubet, vel tanta superbia regni,
Confestim nigro fundes cum sanguine vitam.
Talia certabant Reges, subitoque relictis
Sedibus adsurgunt, propria in tentoria quisque
Discedit Danaum: Pelidem ad litus euntem
Patroclus, atque ingens comitatur turba suorum.
At manus interea juvenum mandata facessit,
Atque unctam in maria alta ratem clamore secundo
Detrudunt obnixi humeris, tum remige multo
Centum sacra Deo taurorum corpora, & ipsam
Ore locant roseo Nympham, dux instat Ulysses.
Jamque vias ponti madidas, spumasque ruebant,
Quum totum lustrari agmen dux imperat ardens.
Lustrantur turmæ Grajorum, & corpora curant,
Tum maris ad litus taurique, hœdique petulci
Mille cadunt Clarii castas ad Apollinis aras,
Et nidore gravi superas it fumus in auras.
At Rex, ardet adhuc tumido cui in pectore livor,
Talthybium, Eurybatemque alta in tentoria Achillis
Ferre gradum jubet, & roseo Briseida vultu
Secum agere; at renuat, multo cum milite septus
Ipse ego nolenti abripiam, quo tristius olli
Nil fiet. Hæc infit. Non mollia jussa capessunt
Perculsi ambiguam pigra formidine mentem.
Ut ventum ad naveis ipsum stipante corona
Adspiciunt trepidi medium, timor inficit ora
Pallidus, exanimesque silent, verum ille benignis
Prosequitur dictis, premit altum corde dolorem.
Præcones salvete, Jovisque, hominumque ministri

Non equidem vobis nil tale merentibus unquam ;
Ponite corde metum , indigner : vos ferre puellam
Jusserit Atrides , simul hæc , Briseida pulchram
Duc , inquit , Patrocle , atque illis hanc trade ferendam.
At vos , vos inquam obtestor , vel quidquid in orbe est
Divorum, atque hominum durum genus , insuper ipsum
Grajorum Regem immitem , siquando ruentem
Hectora , perniciem ratibus , flammasque minantem
Pellere opus : furit ille nimis , non ulla protervum
Fama animum , instantisve moratur cura pericli .
Sic inquit , paretque Menethei clara propago ,
Paruit & Briseis honestas flumine largo
Humectans invita genas , puppimque reliquit .
Illicet ab sociis se se divellit Achilles
Litora sola petens , fixoque hic lumine vastum
Adspiciens pontum dabat has de pectore voces :
Mater , crudelis mater , quæ me brevis ævi
Fudisti , misero saltem daret æquus honorem
Terrigenas inter Saturnius , aspera ferrem
Non isthæc , raptà nec nostra ante ora puella
Impius irato sic succenseret Atrides .
Hæc queritur , Dea (sensit enim , novitque loquentem
Gurgite ab extremo) longævi limina patris ,
Et vitreos linquens thalamos petit ætheris oras ,
Candida ceu nebula æquoreis consurgit ab undis ,
Afflictumque manu mulcens cita verba profatur :
Fare , age , quis mentem , fili , quis tristia torquet
Corda dolor ? doleam tecum , atque hac parte levabo :
Hæc ait , ille gemens imo de pectore , nosti
Diva , inquit , juvat an nostrum renovare dolorem ?
Ivimus in Theben , magni sedem Eetionis ,
Cepimus hanc bello spoliis , opibusque potiti ,
Præmia qua Danais cesserunt partibus æquis ,
Pulchra Mycenæo est Chryseis tradita Regi .
Hanc pater argentique ferens , aurique talenta
Advenit repetens , vittæ illum , atque aurea Phœbi

Ornabant sceptra insignem: sua pignora patri
Reddere ductorum primis, populoque placebat.
Abnuit Atrides, vacuumque, & honore carentem
Ire jubet Chrysem; tamen hunc audivit Apollo,
Pestiferamque luem turmas dedit ire per omneis.
Sternuntur Danai passim, lucemque relinquunt.
Admonet irarum Phœbi, atque oracula Calchas
Concilio exponit, Regem furor, iraque cepit,
Illa quidem patrium ad litus jam navigat; at me
Orbatum pulchra Briseide torquet Atrides.
Tu tamen, alma parens, siquidem potes, adspice gnatum,
Inque profecta Jovis sedes, æternaque templa
Ipsum ora, si accepta refert tibi regna, decusque.
Te quoniam memini patriis in sedibus olim
Narrantem ut cladem infandam, sommoque paratas
Insidias, ac vincla Jovi, cœlique ruinam
Callida depuleris, cui tristia bella movebant
Junoque, Neptunusque ingens, & cæsia Pallas.
Tu tamen in pugna egisti, Diva, Gigantem,
Quem Briareum Superi, nos dicimus Ægæonem.
Illum autem Patri adstantem, ac centena moventem
Brachia, jactantemque manus in prælia centum
Dii timuere, irasque omneis posuere, minasque,
Fecistique suo cœlos servire Tonanti.
Hæc memora, & genibus lacrimans advolvere charis
Ut Troas bello audaceis, utque Hectoris arma
Auxilio juvet, & cæsos ad litora Graios,
Adque rateis agat exanimes: plectantur Atridæ
Unius ob noxam, doleat Rex ipse superbus,
Et tandem supplex in bella reposcat Achillem.
Dixerat, & genitrix lacrimis hæc fatur obortis:

V. 380. *Quem Briareum Superi*,) Plura occurrunt apud Homerum hujusmodi binomina, quæ Plato commendat, reprehendit Dio Chrysostomus. Meræ gerræ. Vide, si lubet, Eustathium.

Heu! miseræ hoc etiam restabat denique matri?
Non satis est plureis vitam haud potuisse per annos
Chare tibi, & longo producere stamina filo?
Quin etiam in luctu immeritum, tenebrisque sepultum
Adspiciam infelix, properant dum vellera Parcæ?
Sed quid verba querens jactem frustra irrita ventis?
Vadam ergo, culmenque petam stellantis Olympi,
Det precibus facilem nostris fors Jupiter aurem.
Tu tamen infensus Regi: populoque Pelasgum
Hic reside, & grave Martis opus, nec prælia tenta.
Jupiter Oceanum hesternus, charosque petivit
Æthiopes, hominum sanctum genus, inclyta Juno,
Cœlicolumque Patrem comitatur turba Deorum,
Lætaque bissenos celebrant convivia Soles,
Dein cœlos repetunt: adero, lacrimansque, gemensque
Advolvar genibus, flectamque in vota precando.
Tantum effata abiit mærentem in litore linquens,
Iraque, & magno perculsum corda dolore
Dilectæ ob raptum Briseidis. Æquor Ulysses
Horrisonum interea findit, Chrysæque propinquat,
Vela legunt socii, remisque ad litora tendunt
Hinc, atque hinc paribus, radit cava puppis arenam,
Anchora de prora jacitur, tum ductor Ulysses
Formosam ducens Chryseida primus in actam
Desilit, & centum præstanti corpore tauros
Pulcher Apollo, tibi, atque ipsam roseo ore puellam
Longævo tradit genitori, ac talia fatur:
Me Danaum ductor, Vates, has misit in oras
Ut gnatam laribus patriis, ac debita Phœbo
Munera portarem, cujus teterrima Grajos
Ira domat, cædemque ferens, crudosque dolores.

V. 403. *Æthiopes, hominum sanctum genus,*) Homerus *αμυμόνας* in culpatos, irreprehensibiles vocat, ob morum candorem, & vitæ simplicitatem ab omni luxu, atque ambitione alienam. Inde Diis charissimi, nam cum simplicibus cœlestium conversatio est.

Sic ait, at senior charæ petit oscula gnatæ,
Confestimque parat ramis frondentibus aram.
Et primo manibus puras dant ordine limphas,
Spargendasque molas famuli, tum rite precatur
Ad cœlum palmas tendens cum voce sacerdos:
Phœbe pater,Chrysam pinguem,Cyllamque gubernans,
Ac Tenedon, si quando alias mea vota, precesque
Grata tibi, & meritos domuisti vulnere Grajos,
Jam satis, o parcas commissa fatentibus ultro,
Tabidaque avertas veteris contagia culpæ.
Dixerat, audivitque precantem Phœbus Apollo.
Ut sparsere molas, finemque dedere precandi.
Cervicem inflectunt taurorum, & vulnere mactant;
Tergora diripiunt alii, & femora uncta secantes
Cooperiunt adipe, & frusta imposuere cruenta,
Lignaque fissa super Vates adolebat Jachi
Humorem infundens, juvenum stat proxima turba,
Quinque fidisque agitant verubus, versantque frequentes,
Pars in frustra secant, pars membra trementia figunt,
Subjiciunt alii prunas, & viscera torrent.
Tum demum instratis celebrant convivia mensis.
Vescitur atque Ithacus, simul atque Argiva juventus
Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.
Postquam exempta fames dapibus, mensæque remotæ,
Crateras magnos statuunt, & vina coronant,
Poculaque, & plausus usque ad surgentia ducunt
Sidera, dulcisonum Phœbo pæana canentes.
Olli sedatum pertentant gaudia pectus.
Mox per transtra ratis, frondosaque litora fusi
Sub tenebris grati carpebant munera somni.

V. 447. *Crateras*) Versus hic, & quinque aut sex præcedentes Virgiliani sunt ex hoc, & aliis Homeri locis desumpti.

V. 450. *Olli sedatum*) Hoc Virgilius de Latona in I.

Vix autem roseos Aurora reviserat ortus,
Solvunt é portu celeres, Trojamque reposcunt.
Delius hinc ventis implevit vela secundis.
Sternitur æquor aquis, plaudentes ocyus altum
Attollunt malum, & candentia carbasa pandunt.
Intumuere sinus, portant sua flamina puppem,
Ocyor & jaculo, & ventos æquante sagitta
Illa volat, laterique adsultans murmurat unda.
Ut ventum ad portus, Argivaque castra, carinam
Subducunt pelago obnixi, sociosque revisunt,
Instaurantque epulas simul, & blanda otia carpunt.
At non Æacidæ proles pulcherrima, Regum
Concilio intererat, fugit & convivia læta,
Sermonesque hominum, & sævi commercia Martis,
Solus & in puppi, castrorum aut parte reposta
Iram alit, & tristeis volvit sub corde dolores
Hectora voce vocans, infensaque numina Graiis.
Jupiter interea Oceanum, Æthiopesque relinquens
In cœlos turba Superum comitante redibat.
Nec genitrix oblita sui pulcherrima gnati,
Illicet ab pelago in sedem contendit Olympi
Rex ibi Divorum, atque hominum de vertice summo
Omnia prospiciens, altoque in pectore versans
Semotus Divum ab turba, tacitusque sedebat,
Genua Thetis cui pulchra manu, mentumque prehendens
Hæc fatur lacrimans: Si quando, Jupiter, ulla
Aut opera, aut usus verbo fata impia nostro
Vitasti, pater, hoc miseræ nunc perfice votum,
Est mihi non longos tamen, o! concessa per annos
Ex Peleo proles, nosti, utque injurius ipsi
Præmia parta manu, pulchram Briseida ductor
Abstulerit Danaum; sed tu, potes omnia quando,
Affer opem, facili hoc saltem dignatus honore.
Dardaniis precor auxilium, fata aspera Graiis,
Ipse Mycenæus donec Rex victus, & exspes
Pelidem vocet, & supplex vereatur Achillem.

Sic ait, at pater omnipotens nihil ore profatur,
Conseditque diu tacitus mente omnia volvens.
Diva autem ut primum steterat, perstatque, rogatque:
Fare, age, dic Pater, & dictis solare dolentem,
Abnue vel, quidnam trepidas? noscam ægra Dearum
Quam tibi viluerim cunctarum, & sidera linquam.
Dixerat, ille alto ducens de pectore questum,
Magna petis, Dea, namque odiis Junonis iniquæ
Objicis hoc caput, ac diris exponis acerbis.
Illa quidem temere ante etiam me Dardana sæpe
Mœnia tutari, Phrygiisque favere maniplis
Indoluit, gemuitque: age vero lumina vitans
Conspectumque Deæ magno perlabere cœlo.
Quæ poscis nobis dudum sunt omnia cordi.
Ne dubita, aut capite annuero, quæ maxima veri
Signa Deis, neque enim verbum revocabile quidquam,
Aut fallax fuat, annuerim quodcumque libenter.
Sic ait, & quassat caput immortale, per ora,
Perque humeros fluxere comæ, & tremit altus Olympus,
Disceduntque ambo pariter: Dea pulchra profundum
Desilit in pontum stellati a vertice mundi,
Jupiter æternasque domos, sedeisque beatas.
Inde petit, superum venienti turba Deorum
Eminus adsurgit, proceditque obvia patri,
Tum solio sedet, actutum cui regia conjux,
Nam Thetidis, fratrisque Jovis communia norat
Consilia, atque ipsam chari prope genua mariti
Viderat hærentem, verbis ita fatur amaris:
Dissimulare etiam sperasti, perfide mentem,
Consiliumque tuum? Soror an, conjuxque Tonantis
Propterea vocor, ut Divum quicumque latenter,

V. 504. *Signa Deis*,) Deis in Dativo casu apud Virgilium non occurrit. Eo tamen usi sunt non semel Lucanus, & Juvenalis. Sufficiat tritissimum illud, & impiissimum Lucani. *Victrix cauſa Deis placuit; sed victa Catoni.*

Meque etiam velit invita deflectere verbis
Corda, animumque tuum? Sic nos in regna vocasti?
Olli respondens hominum sator, atque Deorum:
Juno, inquit, ne cuncta meo quæ in pectore verso
Scire velis, nec enim tutum tibi, Diva, decensve est;
Promere quæ tamen instituo, non te prior alter
Divorum quisquam, aut hominum cognoverit unquam.
Quare age, quæ ab Divis reliquis secretus agebam,
Scire nefas, nec tu scrutari, aut noscere tenta.
Hæc ille, at magnis oculis pulcherrima Juno
Talia voce refert: Quid me, austerissime Divum,
Perstringis verbis? unquam ne arcana patere
Sensa animi, aut volui, aut tecum importuna peregi?
Indignum tamen hoc fuerat non munus amante.
At quæcumque placent animo, tute ipse repostus
Decernis procul, ac peragis: nunc me timor angit
Ne tua fallaci præcordia flexerit ore
Pulchra Thetis, primo vix nam lux fulserat ortu,
Quum tibi prendentemque genu, ac secreta precantem
Conspexi, vereorque preces te, ac vota sequutum
Laturum auxilium Teucris, cæsosque Pelasgos
Acturum ad naveis. Dixit, cui nubila cogens
Jupiter hæc: Non te lateat, Diva improba, quicquam
Singula rimaris, scrutaris singula, nec te
Ista juvant tamen: haud animo magis ulla Dearum
Nostro ingrata fuat, quo uxori tristius ullum
Accidere haud possit, quod si hæc, ut callida reris
Constitui, placitum sic est mihi, nuncque sedeto,

V. 524. *Scire velis*,) Fœminas in secretiorum consiliorum partem vocatas sæpe Rebus publicis perniciosas fuisse pluribus experimentis comprobatum est. Simul hic notaverim extare pulcherrimam Joannis Pzetzæ Homericarum sententiarum quum Politicarum, tum moralium Metaphrasim ad Irenem Augustam, ex ejus lectione clarescet, quam vere dixerit magnus Basilius *πᾶσαν την του Ομηρου ποιήσιν τής αρετης επαινον*, *totam Homeri poesim, virtutis laudem esse.*

Et tacita, ut fas est, nostris submittere jussis,
Ne tibi si accendens proprius vireisque potenteis,
Invictamque manum injiciam, non maxima prosit
Turba Deum, cœli quot habent fulgentia templa.
Hæc fatur, Diva ingenti perculsa timore
Contremuit, seditque silens, nec dira placebant
Jurgia Cœlicolis, quos inter farier orsus
Vulcanus faber egregius sic pectora mulcet
Formosam niveis ulnis, atque ore parentem
Junonem adspiciens: Non cœlis ulla voluptas,
Nulla beatorum convivia læta Deorum
Amplius expectanda, isthæc dum prælia Divi
Terrigenum generi pergant miscere faventes.
Propterea tu, Diva parens, tu prima Tonanti
Obsequium præstare Jovi convicia linquens
Disce precor, facilemque animum mollire precando
Adgredere, ut toto regnet pax aurea cœlo.
Nam lubet æthereo si te, Dea, pellere regno
Quis ferat auxilium, patrive obsistere certet
Nimborum authori, tempestatumque potenti?
Sic ait, & surgens magnum cratera parenti
Obtulit undantem Baccho, blandumque prehendens:
Sustine, ait, genitrix, doleas licet, aspera plura
Fors subeunda tibi, forti parere marito
Si renuas, nec enim, quanquam charissima, possem
Auxilium præstare tibi: vis nulla Deorum
Saturni obstiterit gnato, cui paret Olympus.
Atque equidem memini quum me non æqua parantem
Auxilia, iratus quondam pede, Diva, prehensum
Aera per vacuum divino ab limine jecit,
Volvebarque diem totum, & cum sole cadente
In Lemnon cecidi: hic auras vix ore trahentem
Sinties excepere, hominum gratissima nobis

V. 580. *Sinties excepere*) Sinties dicti quasi nocentes, aut perniciosi homines, quod pyraticam artem exercerent. & de naufragorum spoliis viverent, Lemni insulæ populi. Eustath.

Hinc soboles. Risit gnato Dea candida Juno;
Spumantemque haurit pateram, & se proluit auro:
Mulciber at Divum reliquis hinc, inde ministrat
Mellifluum effundens nectar: risere beati
Cœlicolæ immensum, ut claudum non passibus æquis
Hac illac cursantem amplas videre per ædeis.
Sic ad labentem ducunt convivia Solem.
Postquam extincta fames, cythara crinitus Apollo
Personat aurata, alterna tum voce canebant
Thespiades Musæ, proles gratissima cœlo.
Cœlicolæ propriasque domos, fulgentia templa
Inde petunt, mira extulerat quæ Mulciber arte.
Jupiter altitonans, dulceis ubi carpere somnos
Mos olli fuerat, stratum contendit in aureum,
Quem prope jam placidum decumbit regia conjux.

V. 584. *Risere beati*) Divum reliquos in risum effusos describit Homerus; at non Jovem, nec enim immoderatus risus maximum, & sapientissimum Deorum decebat. Eusth.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS

ARGUMENTUM.

Jupiter Agamemnoni somnium immittit ut copias omnes in prælium ducat. Ille militum animos rimaturus in patriam quosque suam fugere hortatur. Fugam adornantes Vlisses a Minerva admonitus in officio continet, Thersitem etiam, qui petulanter, ac seditiose Regem verbis insectabatur, compescit. Ille deinde, ac Nestor, tum denique Agamemnon ad pugnam hortantur. Græcorum naves, & cujusque duces, tum etiam Trojanorum, atque auxiliarium copiarum principes recensentur.

NOx erat, & mortale genus, genus omne Deorum
Per terras, cœlumque ingens sopor altus habebat
Saturno genitum præter, quem cura fatigat
Ut Thetidis, gnatique preces, ac vota secundet.
Somnia qua propter, vanæ ac deliria mentis
Ad sese vocat, et Regis præcordia falsis
Ludere imaginibus, fatumque impellere tentat.
Ite, inquit, subito, Regique hæc dicta referte
Argolico: Surgat stratis, Grajosque comatos
Efferat in pugnas: instat lux ultima Trojæ,
Ac Priamo, Priamique satis, est una Deorum
Mens hæc, atque animus, supplex quos candida Juno
Inflexit tandem, traxitque in fata volenteis.
Nec plura his, levis umbra volat, stratisque propinquat,
Ductor ubi affuso circum cava tempora somno
Carpebat requiem, verbisque volucribus infit,
Vocem, habitumque gerens, incanaque Nestoris ora
Nelidæ: Dormis, Atrei clarissima proles,

Dormis ? non etenim deceat Regemque, ducemque,
Cui populi, et belli ingentis cui tradita summa est.
Arripe tela manu, dum te concordia Divum,
Pronaque fata juvant. Supremo nuntius adsum
Ab Jove, cui Argolicæ turres, tuaque agmina cordi.
Dixerat, ille animum trepidum spe pastus inani,
Labentem Trojam, atque ardentia Pergama cernit.
Demens, qui Jovis arcanam internoscere mentem
Crediderit, quænam Argivis, heu! nescius, et quæ
Immineant mala Trojugenis, sociisque superbis.
Interea erigitur stratis, nec dia recedunt
Visa animo, membris niveo tum stamine mollem
Induitur tunicam, et pulchris talaria plantis,
At lateri, atque humeris Argivum subligat ensem
Argento, bullisque gravem, sceptrique paterni
Immortale decus manibus rapit, inde profectus
Castra petit, Danaumque micanteis ære catervas.
Et jam longævi conjux Tithonis Olympum
Nascentis Phœbi conscendit nuntia Divis,
Quum Rex solicitus præcones ire canoros
Immensum per agrum jubet, atque indicere cœtum.
Undique confestim decurritur. Ille potenteis
Abdita ductores primum in penetralia cogit
Nestorea in puppe, & magni miracula somni
Exponit paucis, tum quæ sententia pandit:
Armentur turmæ, ac trepidum ducantur in hostem.
Ipse prius tamen instabileis rimarier astu
Adgredior Graiorum animos. Huc vertite mentem:
Namque ego, ceu Martem ancipitem, pugnasque perosus,
In patrias fugere hinc sedeis, Argosque jubebo:
Vos autem in reditum pronos, & abire paranteis,
Vos, inquam, cohibete, fugaque avertite menteis.
Hæc Rex: at Pyliæ dominator callidus oræ
Nestor, Ductores, inquit, gens inclyta bello,
Non ego Grajugenum cuicumque ea visa canenti

Suaderem præstare fidem. Spem somnia sæpe
Ludificant sic falsa; tamen quum maximus ipse
Viderit hæc Danaum ductor, ludibria vana
Non reor, ergo moras omneis quin pellimus, acremque
Armari pubem hortamur? nec plura loquutus
Surgit, cum reliqui Regesque, ducesque sequuntur.
Ast avidæ rerum decurrunt undique turbæ,
Ac veluti in pratis ubi apes æstate serena
Per sudum sese adglomerant, circumque, supraque
Floribus insidunt variis, & candida circum
Lilia funduntur, strepit omnis murmure campus,
Haud secus Argolicæ properant ab litore pictas
Linquentes naveis, grata ac tentoria turmæ.
Cunctanteis hinc, inde volans urgetque, cietque
Nuntia fama Jovis, crebrescitque undique murmur.
Occulitur tellus, turbaque sedente remugit,
Præconesque novem magno ab clamore per agros
Cessare hortantur, pendentque loquentis ab ore.
Ille sedet sceptro innixus, quod Mulciber auro
Fecerat, et magno dederat gestare parenti,
Jupiter at chara sibi Nympha Atlantide creto,
Hic Pelopi, atque Pelops Atreo regna ampla tenenti,
Ast Atreus pecorum domino post fata Thyestæ,
Ille Mycenæo Regi, populosque superbos,
Pinguiaque arva tenens solio ut regnaret avito.
Composito hinc vultu, dextraque silentia poscens,
O socii, flos Grajum, inquit, stirps inclyta Martis,
Quid memorem quibus insontem mulctantque, premuntque
Numina sæva malis? Nam Laomedontia regna

V. 54. *Spem somnia sæpe* Hinc patet non universim somnia observanda ex Homero, *multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis*: ut dicitur Ecclesiastici 34.

V. 61. *Ac veluti* Comparationem hanc Homericam ita expressit Virgilius in 6. Æneidos.

Annuerant, Priami ac sceleratam exscindere gentem.
Nunc post tot cladeis, & funera acerba meorum,
Tellurem in propriam, patriumque inglorius Argos
Incassum cogor remeare, ac cedere fatis.
Namque Jovi id placitum summo, qui mœnia nutu,
Regnorumque viceis servat, vertitque, ruitque
Ut lubet. Hæc virtus, magnique potentia cæli.
Atque equidem nil turpe magis, miserumque fatebor
Quam tot florentum juvenum lecta agmina, nonum
Post annum, post tot cladeis, atque irrita post tot
Prælia, paucorum longe virtute, manuque
Defensam haud potuisse urbem, atque evertere gentem.
Nec tamen affulget sortis spes ulla secundæ.
At certo nobis coeant si fœdere Teucri,
Atque illinc capita, atque isthinc numerare liceret,
Tumque decem Danaum miscentem pocula quemque
Seligerent Troum, multis, ut opinor, Achivis
Pocillatores deerint: adeo agmina magno
Dardanidum numero præcedit Achaica pubes.
At Phrygio ingenteis animos, vireisque superbas
Dant populo socii numero, ac virtute potentes,
Qui Danaum quanquam fortissima pectora bello
Hic retinent, Trojæque minantia fata morantur.
Et jam Sol magnum novies percurrit Olympum,
Ingenteisque trabeis ratium, putrisque rudenteis
Est situs, ac turpi squallent tabulata veterno.
Dulceis interea gnatos, charosque parenteis,
Uxoresque animi mæror, spesque ægra fatigat.
Ergo agite, infandum litus, nec debita fatis
Mœnia linquentes patrias redeamus ad oras.
Hæc ait, & memores animos, pugnamque perosos
Accendit dictis, strepit omnis murmure cœtus,
Quam multum Icario resonant in marmore fluctus,

V. 115. *Quam multum*. Hanc duplicem Homericam comparationem adhibuit etiam Virgilius in 7.

Quos Eurusque, Notusque cient, quum Jupiter atras
Per cœlum nubeis, nimbosque dat ire sonanteis.
Ac veluti intactam Lyciæ flaventibus arvis
Quum segetem perflant Zephyri, tum fluctuat ingens
Hinc, atque hinc ager, ac densæ inflectuntur aristæ,
Haud secus exciti clamorem ad sidera tollunt
Argivi, totoque petunt tentoria cursu,
Pulveream que cient nubem, seseque vicissim
Hortantur læti patriam, dulceisque suorum
Amplexus petere, & nataleis quærere sedeis.
Hinc alii purgant undis stagnantibus alveos,
Et remos, unctosque parant aptare rudenteis.
Atque etiam Danai fatis obstantibus irent
Litus in Argolicum, Priamique arx alta maneres,
Ni furiis animum pungentibus aspera Juno
His adgressa trucem monuisset Pallada dictis:
Gnata Jove, ergon' Trojanis sua gloria constet,
Et sua sint Paridi in tuto jam præmia? cedat
Tyndaris egregio prædoni? inglorius atque
Incertum per iter rursum, fluctusque minaceis
Litora tuta petat Grajorum exercitus ingens?
Stabuntque æternum perjuræ mœnia Trojæ?
Non ita. Tu menteis, Diva, ac trepidantia corda,
I, cohibe, & blando prudens sermone coerce.
Hæc ait, actutumque alto de vertice cœli
Illa volans ratibusque cavis, castrisque propinquat.
Hic Laertiadem cernit prope litus Ulyssem
Consilio, & multa similem immortalibus arte:
Non illi reditus curæ, celeresque carinæ,
Id magis, ut cohibere fugam, possetque suorum
Turbatos firmare animos, cui talia Pallas:
Siccine Ledæaque Helena, Trojaque relicta
Indecores fugitis Danai? Laerteque magno
Non pudeat genitum pubem haud potuisse Pelasgam
Consilio regere, imperio aut frænare ruentem?
Hæc Dea, præstantemque virum pudor, iraque cepit,

Extemploque ruens Agamemnonis obvius aurea
Sceptra manu rapit, ac medios perrumpit Achivos.
Currenti gravis ardenti de murice læna
In terram cadit, hanc præco, fidusque minister
Sustulit Euribates patria Regem urbe sequutus.
Tum virtute gravem, ac meritis si forte virum quem
Viderat, his placidis mulcebat pectora dictis.
Tu quoque bella timens patriam petis, optime Grajum?
Haud reor, absiste, & socios absistere cæptis
Tenta, age. Quis mentem, atque animum introspexit Atridæ?
His fortasse dolis, & multa callidus arte
Experiunda sibi rimatur sensa, nec ullam
Imperat, intenditve fugam. Mox ille rebelleis,
Perjurosque canet: faciet Ducis ira nocenteis.
Namque honor ab summo est illi Jove. Jupiter ipsi
Imperium pater, ac rerum permisit habenas.
At media de plebe viros, turbasque cienteis
Percutiens sceptro dictis pungebat acerbis:
Scilicet huc ventum est, ut tu, fœdissime, belli
Dotibus, aut pacis nunquam numerandus, Achivos
Voce regas? hoc tu ingenio, atque hac, pessime, dextra?
Parebit nullus? cuncti dominabimur? atqui
Non acies, non aula duos capit unica Reges.
Unus Rex esto, Genitor cui maximus altam
Pectoribus mentem, & vireis concesserit æquas.
Sic loquitur, cessatque furor, parentque vocanti.
Illicet e ratibus magno clamore juventus
In cœtum coit, horrisoni velut æquoris unda
Litora circum curva fremit, reboatque profundum.
Unus erat super effrœni convicia lingua,

V. 157. *Tum virtute* Versus Virgilianus ex 1. Æneidos.

V. 174. *Non acies* laudatissima, & innumeris experimentis confirmata sententia: *Unica regnanteis non capit aula duos*.

Digitized by Google

Indígnosque jocos rauco de gutture fundens
Thersites, Grajos inter quo turpior alter
Non erat: oblongum monstro caput, & cava circum
Tempora canities inculta, at cætera calvus,
Pes brevior lævus, magnos curvatur in arcus
Crus geminum, geminoque tument in pectora gibbo,
Contractique humeri in dorsum, Regique Pelasgum,
Neritioque duci infensus, tumque ore procaci
Hæc populo coram in Regem jactabat Achivum:
Magna Atrei soboles, quererisne, & plura requiris?
Auro plena tibi, plena & tentoria facto
Argento, infectoque: tibi, lectissima præda,
Imberbes cedunt pueri, innuptæque puellæ,
Quæ urbibus ex captis largimur munera Graii.
Ingens prætereane argenti pondus, & auri
Captivum Trojana velis, quo fæmina, charus
Aut genitor gnatum redimat, quem mœnia circum
Sive ego, seu Danaum quisquam discrimine multo
Vinctum duxerimus? pulchramne ex urbe puellam,
Cui pugnam effugiens blando jungaris amore?
At non istorum causa Regemque, ducemque
In mala tot decet insonteis inducere turbas.
O Argivæ, non jam Argivi, quin cedimus arvis,
Immeritisque gravem spoliis hunc linquimus? ipse
Nos vocet, ac Teucros tandem experiatur in armis.
Cernitis ut belli fulmen contempserit amens
Pelidem abducta Briseide? mitis Achilles
Certe erat, & solitas animo haud conceperat iras,
Non cuiquam posthac injurius esset Atrides.
Talia jactanti subito adstitit acer Ulysses,
Et torvum intuitus: finem dabis ore loquendi

V. 211. *Talia jactanti*. Quum jactatas in se contumelias Agamemnon aut prudenter se non audire dissimularet, aut magnanimiter contemneret, Ulysses offensam Regis dignitatem tuetur. Pulcherrimum in utroque exemplum.

Improbe, ait? tene Atridæ contendere Regi?
Quid tibi cum Teucrum spoliis? quid prælia jactas?
Et captos juvenes, infensum & Achillea Graiis?
Haud etenim nostrorum ex agmine venerit ullus
Ignavus magis in Phrygiam, vel turpior alter.
At Martem in lingua hac, atque hoc, deterrime, in ore
Semper habes: bonus opprobriis incessere Reges;
Cominus at nunquam hostileis discernere vultus.
Accipe nostra tamen, memorique hæc pectore serva:
Nequaquam his humeris caput hoc sese efferat altum,
Telemachi nec rursum hominum pater audiar ulli,
Te nisi ego similes fundentem pectore voces,
Nudum artus, atque hæc deformia membra trahentem
Correptum mittam, multoque hinc verbere cæsum.
Dixit, & impacto percussit tergora sceptro
Atque humeros: olli extumuit vibice cruenta
Dorsum informe, oculi & lacrimis maduere profusis.
Illum & plorantem Danai, & risere trementem,
Ac reliquos inter nonnullus, plurima dixit
Consilioque, manuque bonus perfecit Ulysses;
Nil tamen utilius quam fanda, infanda vomentem
Hunc frænare virum, et meritis compescere pœnis.
I nunc, et dictis Reges, incesse malignis.
Sic ait, ac mediis heros consurgit Ulysses
Sceptra tenens, propterque illum Jove gnata Minerva
Præconi adsimilis vocemque, habitumque; silenteis
Verba audire jubet, placidamque advertere mentem.
Tunc sic adfatur prudens, et pectora mulcet:
Atride, haud Regum quisquam infelicior alter
Te fuerit, cui juratam populique, ducesque
Abnuerint præstare fidem, se non redituros
Polliciti dulcem in patriam, amplexusque suorum,
Argolicis donec flagrarent Pergama tædis;
Nunc tamen ut pueri imbelles, timidæve puellæ
Lugentque, et patrias ardent invisere sedeis.
Non equidem indignor, doleo magis, horrida namque

Digitized by Google

Seu quem vis maris hiberna subeunte procella;
Vel dum Luna semel totum compleverit orbem,
Sede procul patria, atque alienis distinet arvis,
Defleat is magnoque gemat mærore necesse est.
Atqui jam nonus Graiis hic vertitur annus
Trojanos circum muros hærentibus. Esto.
In patriam turbæ indecores fugiamus inulti
Continuo? tangat seros ea fama nepotes?
* Non ita, durate, o socii, et sperate secunda.
Calchantem nisi falsa canens delusit Apollo.
Namque olim (memini, et meminit qui Tartara cumque
Non subiit Danaum) classis quum Argiva coiret
Aulide, perjuris portans mala plurima Teucris,
Sacra Jovi, ac Divum reliquis altaria circum
Taurorum centum calidum fluxisse cruorem
Illimem propter fontem, qua limpidus amnis
Volvitur, et platanus frondoso vertice nutat.
Vix ea nos, adytis quum lubricus anguis ab imis,
Cæruleæ cui terga notæ, maculosus et auro
Squammam incendebat fulgor, Jove missus ab alto.
Septem ingens giros, septena volumina torquens
Frondentis platani petit alta cacumina cursu.
Octo illic volucris fœtus enixa jacebat,
Quos ille implumeis mactat, miserumque gementeis:
At dulceis miseranda parens circumque, supraque
Pervolitat nidos, et mœsto pipilat ore
Pignora chara vocans; penna tamen ille prehensam
Hanc quoque dilacerat, turpique recondit in alvo.
Illicet adtoniti sinuosa rigescere dorsa
Cernimus, ac totum in lapidem mutarier anguem.
Nos portenta Deum taciti veneramur ad aras.
Tum mediis Calchas: Quæ tanta silentia cives?
Hæc nos hæc portenta volunt Jove missa secundo,
Sera quidem, ac sero complenda; at gloria nunquam
Interitura manet; gnatos ceu passeris octo
Cæruleus coluber, nonam tum denique matrem

Digitized by Google

Immiti lacerat rictu, sic Dorica pubes
Laomedontæa totidem cum gente per annos
Bella geret, decimo tandem capta urbe fruetur.
* Edidit hæc Calchas, magna quæ ex parte videntur
Jam completa, polum novies Sol dum aureus ambiit.
Quare agite, o, nunc eventus stat signa futuri
Expectare, animosque in spem convertere magnam.
Sic ait, ac dictis læto clamore faventes
Plauserunt Danai, atque cavæ gemuere carinæ.
Nestor ad hæc: teneris similes infantibus, inquit,
Queis nec charus honos, nec bellica munera curæ,
Sic agitis. Quo jam leges, jurataque pacta,
Et sancita sacro libamine fœdera quondam,
Et consulta virum, atque oblatæ pignora dextræ?
Certamus verbis, ratio nec quæritur ulla
Gestorum. Tu propterea, Rex optime captum
Consilium exequere, armarique edice maniplos.
Ille fremat licet, invitos qui in talia Grajos
Impulit, & patrios, desperet visere fineis,
Noverimus donec falsis an Jupiter olim
Luserit auspiciis, quum portu abeuntibus alto
Intonuit dexter, crebris polus ignibus arsit.
Macti ergo virtute, viri, non ullus abibit
Hinc mihi, quin primum Iliacas violaverit ædeis,
Virgineosque thoros, captivaque corpora matrum
Ulturus raptum infandum, gemitusque Lacenæ.
Quod si tantus amor cuiquam, si tanta cupido est
In patriam regredi, & pugnas vitare cruentas,
Instruat ille ratem, properet. Næ protinus Orcum
Hinc nigrum petet, ac Ditis regna invia vivis.
Tu interea, Rex, consulito, atque hæc mente reconde.

V. 288. *Edidit hæc Calchas* Versus hos asteriscis inclusos traductos habes quoque apud Tullium lib. 2. de Divin. c. 30. ex eoque Homeri loco nonnulla delibavit Virgilius lib. 5. Æneidos.

Digitized by Google

Haud temnenda loquar: Grajorum ex agmine toto
Sume viros, lectosque tribus dispone per omneis.
Inque vicem tribubusque tribus, & curia quæque
Curiæ opem ferat instanti in discrimine: nosces
Quis Marti bonus, et pugnæ, quis ineptus, et excors.
Præterea fatone Deum, gentisne pudenda
Desidia, hos circum muros victoria Grajum
Hæreat, ac decimum vestigia ducat in annum.
Hæc senior, Danaum fatur cui talia ductor:
Ista quidem tua dicta, pater, laudoque, proboque.
Jupiter o mihi si simileis linguaque, manuque,
Et Phœbus, Pallasque decem concederet æqua,
Eruta postremas tandem urbs daret improba pœnas.
In caput hoc tamen omnipotens Saturnius iras,
Et mala congeminat, qui me Briseida pulchram
Jusserit auferre, et sævi objectarit Achillei
Quæstubus, atque odiis. Priami non regia starent
Tecta diu, semel antiquo si fœdere dextræ,
Conveniantque animi. Nunc ite, et sumite vireis,
O socii, bene quisque truci splendescere ferro
Telum agat, et clypeos, loricasque ære rigenteis,
Luxuriet bene pastus equus præsepibus altis,
Et bene quisque rotas, currumque, axemque sonantem
Exploret, pugnasque animo, cædemque revolvens,
Certanteis ut nos Phœbi fulgentis ab ortu
Humida nox dirimat. Quanto fera pectora circum
Loraque, et ingentes clypei sudore madescent!
Spirabunt et equi patulis de naribus ignem!
Quam multo juvenumque manus, vultusque decoro
Pulvere deformeis, armorum et pondere fessos
Cernere jam videor, stillantiaque arma cruore!

V. 325. *Iſta quidem* Certant officiis in tota Iliade Nestor, atque Agamemnon. Ille Regis dignitatem, hic Nestoris ætatem, prudentiamque reveretur.

Ast altis siquem in ratibus, castrisve morantem
A pugna procul adspiciam, non ille voraceis
Sive canum rictus, volucrum seu evaserit ungueis.
Hæc fatum insequitur clamor, ceu quando cavatum
Unda ruens scopulum spumanti verberat ictu,
Litoreum scopulum, quem prima ab origine pontus
Abluit, et viridi fluctus circumtegit alga
Ventorum excitus vi multa, atque æquora longe,
Et longe horrisono reboant cava saxa fragore.
Haud secus exclamant Danai, cœtuque soluto,
Perque cavas naveis, ac per tentoria raptim
Ingenteisque cient fumos, dapibusque fruuntur.
Ast alii mortem ut fugiant, nigrasque sorores
Sacra Deum multis onerant altaria votis.
Interea Atrides pingui cervice juvencum
Divorum mactat genitori, ac Nestora, Cretæque
Idomenea ducem, et geminos, duo fulmina belli,
Ajaces, Tydeoque satum, atque accersit Ulyssem.
Jungitur his, fratrique adstat Menelaus, et omnes
Sumpseruntque molas, steteruntque ex ordine circum.
Atrides medios inter sic rite precatur;
Jupiter omnipotens, cœli qui sidera nutu
Horrisonosque regis nimbos, non Phœbus in undas
Labatur prius, ac terris nox incubet atra,
Splendida, quam Priami, ac Teucrorum tecta Pelasgi
Corruerint flammis, & multo vulnere ruptam
Hectoream tunicam fortissima pectora circum
Disciderim: socii prono tum corpore juxta
Mille cadant, nigramque petant terram ore cruento.
Sic ait: at genitor, quanquam stat victima cordi,
Cladem animo struit, atque preces sinit ire per auras
Exin perfectis celebrant convivia sacris.
Postquam extincta fames, & amor compressus edendi

V. 379. *Postquam*) Hunc versum Homericum ita reddidit Virgilius Æn. 8. & aliis in locis.

Adstanteis sic adloquitur Neleius heros;
Quid lenti, proceres, fortunam, & fata moramur?
Maturate viri. Tu Rex per castra, canoros
Ire jube, populos cogant qui in bella, ministros;
Nos armatorum conferta per agmina Grajum
Lustremus cuneos, primique in tela ruamus.
Accingunt omnes jussis, ruit undique totis
Plebs armata viis, proceres hanc ordine certo
In turmas, longosque jubent discedere versus.
Ductores præit, atque manu quatit ægida Pallas
Horrificam, ingentem, taurorum e tergore centum:
Atque auro super insignem, squammisque coruscis.
Hanc Dea portendens turmas, aciesque micanteis
Discursat, miscetque viris, nec jam amplius ulli
Cura subit patriam, dulceisque revisere gnatos,
Martem ardent, pulchrumque mori succurrit in armis.
Ac velut ignis edax torrenti vortice totos
Quum populat monteis, densisque cacumina silvis,
Collucent campi longe, vallesque profundæ,
Sic lævesque virum clypei, galeæque refulgent
Sole repercussæ, lucemque ad sidera jactant.
Hinc aliæ ratibusque cavis, castrisque relictis
Succedunt acies, liquidi ceu ad stagna Caystri
Imber agit volucrum raucarum ex æthere nubem.
Illæ urgent sese mutuo, atque in gramine picto
Considunt aliæ ante alias, tum longa canoros

V. 386. *Accingunt omnes*. Eadem activi hujus verbi constructione usus est Virgilius in l. 4, & alibi, a quo alii latini Poetæ.

V. 389. *Ægida Pallas*. Ægis proprie est scutum Jovis ex Oleniæ capræ, cujus lacte nutritus fuerat tegmine factum. Hujus tamen similitudine etiam Palladis clypeum Ægida vocavit Homerus, a quo etiam Virgilius in 8, & alii Poetæ.

V. 393. *Miscetque viris* Supple se. Loquutio Virgiliana.

V. 402. *Liquidi ceu ad stagna Caystri*. Comparationem hanc ex Homero desumpsit Virgilius in 7. Homerus tamen Asia prata, Virgilius Asiam paludem memorat, Utrumque verum.

Dant, per colla modos: sonat amnis, & Asia circum
Prata sonant. Stant Trojani prope fluminis undam
Armati juvenum cunei, quot vere tepenti
Nascuntur frondes, quot floribus arva renident,
Aut ubi Sole novo spumant mulctralia lacte,
Quam multa in caulis muscarum examina circum
Vasa volant, revolantque: agro tam densa minantur
Mœnibus Iliacis, laqueatisque agmina tectis.
Ac veluti ingenteis ovium per pabula læta,
Caprarumve greges passim hinc, atque inde vaganteis
Distinguit, cogitque vocans sua nomina pastor,
Sic turmas primi ductorum in bella recensent,
Discernuntque viros, reliquis sed præstat Atrides
Os, oculosque Jovi similis dum fulmina torquet
Pectora Neptuno, atque ingenti cingula Marti,
Robore ceu præstans, pingui ac cervice, juvencas
Pulcher agit taurus, quem tota armenta sequuntur
Talis erat reliquos inter, namque ipse decoram
Cæsariem æthereus genitor, lumenque juventæ
Purpureum, diosque oculis adflarat honores.
Eja agite, Aonides, scitis namque omnia, Divæ;
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.
Pandite qui Danaum Reges, quæ quemque sequutæ
Adpulerint celeres Trojana ad litora puppes.
Singula quid capita adgrediar comprehendere versu?
Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum

V. 410. *Aut ubi Sole novo*. De hac ex muscis ducta comparatione diximus in præfatione, quam alibi etiam repetit Homerus. Simul nota Homericas comparationes ex obviis, ac tritissimis rebus desumptas, campis, avibus, gregibus, armentis, quorum & notitia facilis est, & jucunda recordatio.

V. 423. *Namque ipse decoram*. Hæc ex Agamennone Homerico ad Æneam transtulit Virg. in 1.

V. 426. *Eja agite*. Hanc quoque invocationem habes Æneid. 7.

V. 431. *Non mihi*. Hyperbolem hanc Homericam latinam fecit Virg. in 6. Unde alii Vates passim.

Ferrea vox, omneis peditumque, equitumque maniplos,
Omnia bellantum percurrere nomina possem.
Peneleus primum, & Clonius, necnon Protoenor,
Leitus, Arcesilasque in tristia bella regebant
Cadmæas genteis, Hyriemque, atque Aulidis urbem,
Et Scholum, & Schænum, cinctamque jugis Eteonem,
Thespiam, Græamque, atque ingentem Mycalesum,
Fatidicasque Erythras, Harmamque, Hilemque superbam
Ocaleem quicumque tenent, ac mœnibus altis
Præcinctam Medeonem, Eleonisque ardua tecta,
Qui Ilesion, Copasque colunt, gratamque columbis
Thisben, Eutresinque, salutiferasque Plateas,
Quique Coronæam, Glissemque, & Patra Haliarti
Herbososque thoros, & amicam vitibus Arnen
Atque Hypothebæas arceis, cœloque minanteis
Onchestumque habitant, Neptuno sacra parenti
Mœnia, pomiferumque nemus, quicumque Mideam,
Nissamque insignem, extremæque Antedonis oram.
Quinquaginta horum stabant ad litora puppes,
Centum, ac bis denos fert quæque in Pergama lectos.
His quoque ter denas jungunt qui Aspledonis altos
Proscindunt colleis, atque Orchomenon Miniæum;
Jalmenus, Ascalaphusque duces, stirps inclyta Martis,
Actoris Azidæ quondam quos ædibus amplis
Extulit Astioche, tectorum in parte superna
Mixta Deo mulier, nec docta Cupidinis arteis.
Phocaici stant deinde viri, quos petrea Pithon,
Et melior Cyparissa satis, pecorosaque Chrissa,

V. 434. *Peneleus primum*. Recensio utriusque exercitus, in qua totius antiquæ Græciæ descriptionem habet a Plinio, Strabone, Stephano laudatissimam. Plura ex hoc loco delibarunt Lucanus, & Seneca Tragœdus. Homerum imitati sunt fere omnes Epici Poetæ, ut alibi dictum. Nos hic nonnulla ampliori libertate in epithetis assignandis usi sumus, vitandi fastidii gratia.

Daulis quos misit Prognes monumenta nefandæ.
Quique Anemories, & Hyampolis arva fatigant,
Qui Panopes loca grata colunt, pinguemque Lilæam,
Qua vitreis Cephyssus aquis per gramina serpit.
Hi quadraginta proscindunt navibus æquor.
Has fortis Schedius turmas, & Epistrophus urgent,
Naubolidæ proles Iphiti pulcherrima uterque.
Proxima succedunt Phocensibus agmina, Locri,
Quos Opois fœcunda viris, quos nobilis armat
Calliarus, Scarphesque, Cynus, nemorosaque Bessa
Perpetuumque polo ridens Augia sereno,
Et Tarphe, & Thronium, labente Boagrius unda
Quas rigat, imperio pubes Ajacis Oilei
Bella gerit, minor ille quidem, nec mole, nec armis,
Consilio, aut dextra quantus Telamonius Ajax.
Exiguus sane, exiguo sed corpore virtus
Haud temnenda viri: non illo certius astam
Torserit aut melius Grajorum ex agmine quisquam.
Quadraginta altis veniens secat æquora rostris.
Euboicos regit inde viros, genteisque superbas
Martius Elphenor magnorum ductor Abantum
Chalcodontiades, summas qui Chalcidos arceis,
Qui Eretriam, atque Styrum, quique alta cacumina Dius,
Cerinthum æquoream, ac felicia jugera Bacho,
Istiamque colunt, Cereri ingratamque Caryston.
Hos sequitur bello pubes lectissima Abantes,
Ferrea gens, latos humeros, perque ardua colla
Horrida cæsaries ollis in tergora pendet.
Non alii melius pugnantum in pectora docti
Per prærupta virum scuta, & thoracas ahenos
Invenere viam: quater illi in Pergama denis,
Sigeumque jugum longis venere carinis.
Vos quoque in arma viros claræ misistis Athenæ,
Dives Erechtei regio, quem casta Minerva
Nascentem fovit, quem Tellus extulit alma.
At Dea promeritum temploque, arisque locavit

In propriis, ubi Cecropii per singula cives
Lustra diem largo taurorum sanguine sacrum,
Agnorumque agitant. Petei stirps clara Menestheus
His præerat, quo non Danaum præstantior alter
Instruere æratas equitum, peditumque cohorteis.
Huic Pylius (sinerent anni) contenderet heros.
Quinquaginta olli parent per litora puppes.
Bissenas quibus adjungit Salamina relinquens,
Atque in bella viros rapiens Telamonius Ajax.
At quos Argos equis aptum, portuque profundo
Hermiones, Asinesque dabant, & quam Herculis alti
Sublimem cœlo Tirinthum gloria tollit,
Træzenque, Ejonque ferax, dilectaque Bacho
Verum invisa Jovi æquoreas Epidaurus ad undas,
Quique colunt tenuem Æginam, Mazetaque Graii
Imperio parent Stheneli, Capaneus in oras
Quem misit genitor Phrygias: simul agmina ducit
Euryalus, Talajonidæ pulcherrima proles
Mecistei; tamen ingentis Diomedis uterque
Expectant jussa, & primum reverentur in armis.
Ilion hi adpulerant cum navibus octoginta,
At centum pictis sulcant vada salsa carinis
Quisquis Aræthyreæ frondentia possidet arva,
Ægion, & Pallenem, atque antiquam Gonoessam,
Orniasque urbem insignem, ditesque Mycenas,
Quique Hyperesiam, atque Helicem, bimaremque
  Corinthum,
Atque Cleonæas arceis, regnataque Adrasto
Quondam rura terunt; & proxima litora circum,
Et numero ingenti, & præstanti corpore turmæ.
His ipse heroes pulcherrimus inter Achivos
Imperat Atrides, Tyrioque exultat in ostro
Eximiusque armis, & luce coruscus ahena.
Qui vero umbrosis cinctam Lacedæmona clivis,
Et Pharen, Spartenque tenent, Briseia quique
Arva serunt, Messenque, aptissima tecta columbis,

Quos Amyclæus ager, vernans Augæaque pascit,
Œtylos, atque Laas, & Elos prope litora ponti
Sex denas agitant naveis, quas maximus author
Ipse mali, rapit in Trojam Menelaus Atrides,
Hospitis heu, scelus infandum, raptumque Lacænæ,
Conjugis ulturus, pictisque coruscat in armis,
Fervidus, Iliacasque animo jam præcipit arceis.
Jungitur his Pylios campos, & quisquis Arenem
Ac bene cultum Æpi, quisquis colit Amphigeniam
Alphæumque bibit circum Thryos arva fluentem,
Qui Cyparissæam, Pteleonque, ac Dorion ira
Nobile Pieridum, Thamyrim qua multa canentem,
Threicium, Eurytho ab Rege, Œchaliaque profectum
Luminibus, pulchraque orbarunt numina voce.
Dementem! qui se Aoniis opponere Musis,
Argutoque Deas jactarit vincere cantu,
Quique Helos, has ducit turmas Neleius heros,
Nongintaque secant liquentia marmora proris.
Arcades his subeunt, præstantes Arcades armis,
Qui Ripen, Stratiemque, atque Orchomenon pecorosum,
Mantineamque habitant, ventosaque culmina Enispæ,
Qui Pheneum, Tegeamque humilem Cyllenia propter
Culmina, & Epytion tumulum, Stympheliaque arva,
Parrhasiemque: horum sex denas Rex Agapenor
Ancæi soboles moderatur in æquore puppeis,
Ipse Mycenæus dederat quas providus heros
Spumantis per iter pelagi ut Trojana venirent
Litora, nec siquidem genti res nautica cordi est.

V. 534. *Ipse mali*. Author mali Menelaus dicitur, quoniam ejus ulciscendi causa bellum susceptum est.

V. 537. *Jam præcipit arceis*. Eadem significatione hoc verbo usus est Virgilius in II.

V. 541. *Dorion ira*. Ita Lucanus eandem hanc fabulam referens.

V. 556. *Ipse Mycenæus*. Locum hunc Homericum adducit cum laude Thucydides de bell. Peloponnesiaco.

At qui Buprasios colleis, atque Elidis alma
Rura domant, quotque Hyrmine, atque Alision altum,
Oleniique ingens saxum, postremaque cingit
Myrsinus, irrigui fœlicia jugera campi
Parebant ducibus quatuor, bisquinque sequutæ
Quemque rates: primus Cteati dilecta propago
Amphimachus, subit Eurytho satus Actorione
Thalpius, hinc Amaryncides se mole Diores
Fert magna, similisque Deo præstantibus armis
Rege Polyxenus Augida Agasthene natus.
Dulichium vero, sacras & Echinadas oris
Elidis adversas, circumflua litora ponto,
Ducit in arma Meges, patriis quem ab sedibus olim
Dulichium profugus rabieque, odiisque parentis
Mavorti similem Phyleus genuitque, aluitque.
Quadraginta olli parent per cærula pinus.
Parte Cephallenseis alia fert dius Ulysses
Gentem magnanimam, quæ Ithacam, atque Ægilipa pulchram,
Et Crocylen, Epirumque colunt, pinguemque Zacynthum,
Neriton, atque Samon, vicinaque litora contra;
Bissenisque secat veniens freta cærula cimbis.
Ætolos in bella Thoas Andræmone natus,
Qui Pleurona tenent, quique Olenon, atque Pylenem.
Chalcidaque æquoream, & petream Calydona regebat,
Nam neque iam proles aderat prædivitis Œnei,
Ipsumque, & flavum Meleagrum terra tenebat.
Hic super unus erat, rerum cui tradita summa est,
Atque quaterdenis proscindit puppibus undas:
Cretenses tamen Idomenei signa sequuti
Bella gerunt, quos Gnossus alit, quos lambit Oaxis
Qui Phæstum, Rhytiumque habitant, cœloque minanteis
Gortinæ muros, quos Lectus pinguia culta,
Myletumque dedit, pecorique inimica Lycastos,
Quotque alii Cretam ingentem, pulcherrima regna,

Centenasque colunt urbeis: hos inclytus hasta
Idomeneus agit, Martique simillimus heros
Meriones: octoginta sectantur utrumque
Armatæ juvenum puppes, terno inde subibant
Agmine distincti, atque armis, qui Lindia ferro
Arva terunt, qui Jalyssum, atque ingrata Camiri
Jugera proscindunt Rhodii, Satus Hercule magno
Magnus Tlepolemus pubem regit, inclyta virgo
Quem dedit Astiochia Deo commixta procaci
Frondosa ex Ephyre fluvii Selleentis ad undam.
Ille autem patriosque lareis, vultumque verendum
Funere fœdavit, sub quo Lycimnius ævo
Jam gravior, Martis proles, & avunculus ipse
Dilectus patri Stygias descendit ad umbras.
Hinc profugus ratibusque cavis, sociisque coactis
Committit sese pelago, namque Herculis olli
Sæva minabantur reliqui gnatique, nepotesque;
Ast illum Oceano errantem, ac mala plurima passum
Respexit tandem, ac Rhodias eduxit in oras
Divorum, atque hominum sorteis qui temperat æquus
Jupiter, argentoque viros ditavit, & agris.
Hos naves vexere novem, treis insuper addit
Nireus ab Sima, Regi quem protulit alma
Aglaies Charopo, Nireus, formosior alter
Quo nullus Danaos inter, pubemque Pelasgam
Ilion adpulerat, Pelidæ corpore dempto;
Imbellis tamen, exiguoque ille agmine septus.

V. 593. *Centenasque*. Inde Virgilius in tertio
Centum urbeis habitant magnas, uberrima regna.
Idem tamen Homerus in Odyssea nonaginta urbes tribuit Cretensibus.

V. 602. *Frondosa ex Ephyre*. Non solum majorum locorum, sed etiam urbium singularium nomina cum præpositione efferri posse pluribus Tullii, & aliorum Latinorum exemplis firmat Ludovicus Cerda in not. 40, 41, 42. ad lib. 4. Grammaticæ Antonii Nebrissensis.

V. 618. *Pelidæ corpore dempto*. Hinc Virg. *Excepto Laurentis corpore Turni*.

At qui Nisyrum pinguem, Crapathumque, Casumque,
Conque, urbem Eurypili, & Nereo amplectente Calydnas,
Litora culta tenent, Phidippus, & Antiphus acer
Thessalia vehit ex ampla, par nobile fratrum,
Terdenis ratibus quos Thessalus Heraclides
Miserat auxilium Menelao. Hos deinde sequuntur
Quique Alopen, Phtiamque tenent, Argosque Pelasgum,
Quisquis Alos Cereri ingratam, lapidosaque Trechis
Arva terit, qui fœminea colit Helladis urbem
Insignem forma Hellenes gens dicta, & Achæi,
Myrmidonesque truces: quinquaginta æquore in alto
Stant ratibus; non arma viris, non prælia curæ.
Dux deerat, qui pugnaceis sub signa cohorteis
Cogeret, iratus postquam frendebat Achilles
Pulchricomæ ob raptum Briseidis, ille cruento
Lyrnessum bello, ac Thebas populatus opimas,
Quam sibi quæsierat, percussi vulnere multo
Quum terram petiere Mineus, & Epistrophus ingens,
Ambo Selepiadæ Eveni stirps inclyta Regis.
Hæc gemit indignans; Priamo tamen ille dolores
Quot feret insurgens, lacrimas quot matribus ægris?
Qui vero Phylacem, Pteleumque, Antronaque linquunt
Vicinam pelago, pecorumque Itona feracem,
Quos in bella viros dat florida Pyrrhasus, almæ
Aptus ager Cereri, his ductor, dum vita superstes,
Protesilaus erat; tunc vero Acheronte sub imo
Errabat miser, hastili transfixus acuto
Quum primus Phrygiis vestigia figeret agris.
At pulchras laniata genas vota irrita templis

V. 626. *Argosque Pelasgum*. Pelasgorum gentem duplicem distinguit Homerus. Altera, de qua hic, Achillem ducem sequebatur; altera, de qua infra, inter Trojanorum auxiliares copias recensetur. Virgilius Pelasgorum nomine Græcos omnes universim appellat, quem nos quandoque sequuti, ut supra admonuimus.

Digitized by Google

Congeminat conjux, dilectaque pignora, nati.
Pro duce sed tamen extincto fert signa Podarces
Magnanimi frater germanus Protesilai,
Phylacidæ Jphicli soboles, cui lata per arva
Mille greges ovium, totidemque armenta vagantur.
Ille autem quum ætate prior, tum corpore, & armis.
Quadraginta illum, sociosque in litora Trojæ
Advexere rates. Succedunt ordine longo
Qui Bœben, Glaphyrasque, Pheras, limosaque rastris
Arva domant vitreas propter Bœbeidos undas,
Umbrososque lacus, formosam quique Jaolcum,
Pinguia prata tenent: undenis navibus æquor,
Et liquidas secuere vias, Eumelus in hosteis
Agmen agit, Regi Admeto quem in luminis auras
Gnatarum Peliæ Alcestis pulcherrima fudit.
Hos sequitur qui Thaumatiam colit, atque Olygona,
Qui Metona tenet, Cerericque aptam Melibæam
Septem armant longas auratis puppibus alnos,
Duxque Medon, claro quem forma insignis Oileo
Rhena tulit, justis non illa inducta hymenæis.
Hæc tunc, at quondam turmas, pubemque comatam
Ipse Philoctetes jurata in bella regebat,
Insignis jaculo, & longe fallente sagitta.
Illum autem sacra in Lemno procul ulcere tetro
Fatalis colubri mœrentem classis Achivum
Liquerat, at serum quanquam, tandem ultima Troiæ
Fata virum Phrygii ducent Simoentis ad undas.
Quinquaginta intus juvenes per quamque, periti
Spargere tela manu, & pontum convellere remis.
Hinc Phœbo chari Podalirius, atque Machaon,
Ambo Æsclapiadæ, terdenis navibus armant

V. 676. *Quinquaginta intus*. Adnotat Thucydides loco supra citato Homerum solum designasse numerum remigum in Bœotum navibus qui maximum, centum nempe, ac viginti, & in his Philoctetæ, qui minimum gerebant.

Quotquot Tricca viros, quotquot dabat aspera Jthome,
Regiaque Eurythi Œchalia. Exinde arva tenebant
Quæ Ormenion, Titanique albentia culmina gentes,
Asteriumque colunt, fontemque bibunt Hyperium,
Ductore Eurypilo, claro cui Evæmone gnato
Terdenæ parent Trojano in litore puppes:
Qui vero Argissam, albentisque Oloossonis agros,
Ortenque, atque Elona tenent, subsunt Polypœti
Pirithoi soboli, genitor cui maximus ipse
Jupiter, at fortem Polypœtem regia virgo
Hippodamia duci genuit commixta superbo,
Setigeros quum Centauros monstra horrida abegit
Pelio ex alto, inque Æthicia transtulit arva.
Non solus tamen; huic adstat Mavortia proles
Cœnidaque Corone satus regit arma Leonteus.
Quadraginta altis findunt hi marmora proris
At Guneum ab Cypho sequitur gens dura, Perœbi
Dodonem circum gelidam, torvique Enienes,
Jugera quique colunt, Stygia Titaresus ab unda
Quæ rigat, in Peneum latices agit inde sonanteis,
Immixtusque olei in morem superenatat amnis,

V. 692. *Pelio ex alto*. Correpta ultima in *Pelio* more Græcorum propter sequentem vocalem, quod & fecit quandoque Virg. *imponere Pelio Ossam*, *Credimus an qui amant*, & alibi sæpius.

V. 698. *Stygia Titaresus ab unda*. De hoc fluvio scribens Strabo, *bituminoso*, inquit, *liquore fluit*, *atque ejus natura*, *ut cum aqua misceri non possit*. Cui Plinius consonans l. 2. c. 8. *Accipit*, inquit, *Peneus Eurotam amnem* (ita enim ille appellat, quem Homerus, Lucanus, Strabo, & Tragœdus Seneca Titaresum) *nec recipit*; *sed olei modo supernatantem*, *ut dictum est ab Homero*, *brevi spatio portatum abdicat*, *pœnales aquas dirisque genitas argenteis suis misceri recusans*. Quod autem Plinius Penei pulchritudini, id Lucanus Titaresi dignitati, ac nobilitati tribuit, quem nos sequuti cecinimus Alexandr. I.

„ Post Peneum irrumpit, lapsuque per aquora summo
„ Immixtas defendit aquas, fluviique minoris
„ Contactum effugiens, Superum sibi servat honores.
Quippe ab Styge ortus, *Dii cujus jurare timent*, *& fallere numen*.

Amnis Cœlicolum irrevocabile juramentum.
Hi denas, geminasque agitant per cærula puppeis.
Sed quater hinc denis Prothous Tenthredone gnatus
Pubem agit, umbrosos quæ circum Pelion agros,
Et sata culta tenet, plena qua argenteus urna
Labitur, herbososque thoros rigat agmine Peneus.
Hæ Danaum turmæ, atque duces. Nunc tu mihi, Diva
Calliope, memora quis præstantissimus horum
Sanguinea in pugna? quis equis pernicibus esset?
Grajorumque duces longe Telamonius Ajax
Anteit, Atridæ dum Larissæus Achilles
Indignatus abest, nam quis contendere magno
Æacidæ posset? picta nunc puppe quiescens
Ille jacet rabido perculsus corda dolore.
Ast Dolopum manus, Hellenes, turbæque superbæ
Myrmidonum hac illac fulva luctantur arena:
Pars in litoreis exercent membra palestris,
Pars disco, aut jaculo celeri, certantve sagitta.
Stant terræ defixæ hastæ, ac tentoria propter
Aurataeque rotæ, & currus servantur inanes.
Tum bellator equus lotumque, herbasque palustreis
Carpebat plenis præsepibus; at genere horum
Non quisquam Grajum eximio certarit Achilli,
Nec celeri auderet cursu contendere bigis.
Laudantur juxta pulcherrima corpora equarum
Eumeli Pheretiadæ, volucremque sagittam,
Quæque leveis rapidis anteirent cursibus auras.
Pieria in magna has quondam nutrivit Apollo
Aurea tela gerens, bellique aptavit in usus.
Dorsum æquale, pares anni, color omnibus idem.
Tum ceu flamma volans totos depascitur agros
Et sonitum ingentem late ciet excita tellus,
Jupiter armata geminat quum fulmina dextra,

V. 716. *Fulva luctantur arena*. Militum in otio oblectamenta, quæ Virgilius ad camperum Elysiorum incolas transtulit lib. 6.

Et strepitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
In Arimis, Jovis imperiis impoſta Typhœo,
Haud ſecus Argivum properantum tota tumultu
Terra tremit, fremitu cœlum circumtonat ingens.
Interea ad Teucros pernicibus ocyor Euris
Ab Jove miſſa volat picto Thaumantias arcu.
Forte aula in magna Priami juveneſque, ſeneſque
Soliciti inter ſe ſummis de rebus agebant.
His Dea ſe immiſcet, vocemque, atque ora Politæ
Adſimulans Priamo geniti, qui non procul urbe
Æſyetæ ſenis ad tumulum, ſpeculaque repoſta
Subjectam claſſem, & caſtra obſervabat Achivum.
Tum ſic orſa loqui: Semper tibi copia fandi
Larga, ſenex, & pace quidem florente licebat;
Nunc nos arma premunt, & ineluctabile bellum.
Sæpe ego nam Martem indomitum, pugnamque ſe-
quutus;
At taleis nunquam, ac tantas turmaſque, viroſque,
Invictoſque duces vidi, quot gramine toto
Circumeunt muros, incurvaque litora complent,
Quot nemorum folia, aut bibulas mare lambit arenas.
Propterea tu, pubem, Hector, fer primus in hoſtem.
Tum lectas ſociorum acies, genteiſque ſuperbas

V. 734. *Et ſtrepitu Prochyta alta*. Ita hunc locum Homericum reddidit Virgil. in 9, *ubi*, inquit Ruæus, *duo videntur a Virgilio ſane facta audacter. Primum, quod Arimos populos Pythacuſæ inſulæ adjecit, qui apud alios Ciliciæ, aut Lydiæ, aut Syriæ incolæ eſſe dicuntur. Secundum quod vocet illas εἰν Ἀρίμοις, quæ Homeri ſunt, & Heſiodi in unum ſubſtantivum compoſuerit*. Nec Plinii longe poſterioris, aut Scaligeri Græcæ linguæ ignari authoritate defendi poteſt, quod Cerda voluit. Quid ſi Virgilius non Inarime, ſed in Arimis ſcripſit, ut hic nos? At enim Ovidius, Statius Papinius, Silius, Lucanus, Plinius, Claudianus Inarime quoque ſcripſerunt Virgilium proculdubio ſequuti. Quod vero Homerus non Inarimen, ſed in Arimis ſcripſerit, Heſiodi, & antiquorum omnium codicum authoritate convincitur contra Plinium. Vide ſi lubet Homeri in hunc locum, & Virgilii interpretes.

Tam varias linguis, habitu quam vestis, & armis
Unus in arma ferat ductorum quisque suorum.
Hæc infit, paretque Hector, cœtumque resolvit:
Arma fremunt, tota passim procurritur urbe,
Panduntur portæ ingentes, equitum, peditumque
Turba ruit, magno fervet via cuncta tumultu.
Urbe procul muros contra, ac tentoria Grajum
Colle tumet tellus modico, cui pronus in altum
Hinc, atque hinc aditus medio patet æquore campi.
Terrigenæ Batiea vocant, sed dicta Myrinnes
Culmina Cœlicolis priscæ de nomine Nymphæ.
Hic tunc indigenæ, sociorumque agmina Regum
Explicuere acies. Trojanos maximus Hector
Priamides numero ingenti, lectosque regebat.
Dardaniis Anchisiades dux imperat heros,
Quem Venus Idæo conceptum vertice fudit,
Mortalis Dea pulchra viri dignata hymenæos.
Archilocus comes huic, Acamasque Antenore gnati,
Par bello egregium: Troas sed Pandarus ingens
Lecta Lycaonides regit agmina, quæque Zeliam,
Ideasque serunt valleis, quæ rauca fluenta
Æsepi, camposque domat gens dives opimos.
At qui Adrestiam, Terienque, Pythæaque rura,
Et campos, Apœse, tuos proscindit aratro
Amphius hos in bella viros, & pulcher Adrastus
Imperiis duxere, Merops Percosius ambos
Quos gemitu pater, & lacrimis revocare furenteis
Tentavit frustra, Iliacisque avertere campis
Vaticinans; sed fata tamen sua quemque sequuntur
Terrigenum, placidasque virum Deus obstruit aureis.
At qui Percotem juvenes, & Praction altum
Seston, Abydenasque arceis, & nobilem Arisben
Circum habitant, magnum Hyrtacides regit Asius agmen,
Asius Hyrtacides, magna quem mole superbi
Adtulerant biiuges patriis Selleentis ab oris.

Google

Hinc Larissæi portabant arma Pelasgi,
Hippothous præit, atque Pyleus, Mavortia fratrum
Pectora, Theutamidæ soboles fortissima Lethi.
Threjcios Achamas cuneos, Pyrousque regebant,
Et quotquot rapidus complectitur Hellespontus.
Euphemus Ciconum turmas in prælia ducit
Trœzenii Ceadæ proles, tum Pæonas arcu
Insignes curvo Pyræchmes congregat heros
Ex Amydone procul, quos Axius irrigat agros,
Axius illimi fluvius pulcherrimus unda.
Inde Pylæmeneus multa vir callidus arte
Paphlagonas rapit ex Enetis, unde exstat agrestum
Mulorum genus eximium, Cromnamque, Cytorumque,
Ægialonque urbem antiquam, ripasque salubreis
Parthenium propter fluvium, qui Sesamon almæ
Felicem Cereri inde habitant, celsosque Erythinos.
Acer Alizones. Odiusque, & Epistrophus armant
Ex Alibe procul, argenti qua fœta metallo
Ditescit tellus. Mysos Chronis impiger urget,
Ennomus atque augur; sed non depellere pestem
Augurio potuit, telo confossus Achilli
Cum sociis liquidam Phrygii Simoentis ad undam.
Phorus, & Ascanius Phrygios patria usque trahebant
Ascania, duro ardenteis decernere ferro.
Mæonium Mesthles, atque Antiphus agmen agebant,
Ambo Pylæmeneo gnati, stagnantibus undis
Quos Gygæa palus peperit, Tmolique nivalis
Secum agitant pubem, queis agmina barbara jungunt,

V. 802. *Paphlagonas rapit ex Enetis*. Alii scribunt cum adspiratione Henetis, unde mutata adspiratione in V. facti sint Veneti. Henetus porro cum magna Teucrorum, & finitimorum populorum parte, duce Antenore, in intimum Adriatici maris sinum penetrasse scribunt aliqui apud Sigonium de antiq. jur. Italiæ lib. 1. cap. 25, ibique de nomine eversæ patriæ urbem Trojam condidisse. Vide Virgilii interpretes ad 1. Æneidos, ubi de Antenoris in Italiam adventu & Patavina urbe.

Miletum quicumque habitant, frondosaque Phtius
Culmina, Mæandri quisquis sinuosa fluenta,
Quique tenent Mycales vexata cacumina ventis.
Nasthes, Amphimachusque, Nomeone natus uterque,
Ductores, Caresque regunt in bella superbos.
Nasthes, Amphimachusque innuptæ more puellæ
Pictus acu tunicas demens, & fulgidus auro;
Profuit at misero nequicquam lana veneno
Tincta peregrino, & compti sub casside crines,
Æacidæ ut ferrum, & mortem vitaret acerbam.
Denique Sarpedon Lycios, Glaucusque regebant
Ab Lycia tellure procul, quæ jugera Xanthus
Vorticibus secat, & fulva fæcundat arena.

LIBER TERTIUS

ARGUMENTUM.

Instructa utrinque acie, visoque Menelao Paris fugit; postea tamen ab Hectore increpitus Menelaum ipsum ad singulare certamen provocat. Agamemnone, Priamoque præsentibus pacta firmantur. Victum Paridem Venus rapit, & in proprium thalamum abducens arcessit ab muro Helenam, ubi illa Priamo roganti primos Græcorum duces ostenderat. Agamemnon, ut starent promissis, Trojanos admonet.

IAm Danaum campis exercitus ibat apertis,
Quũ subito immensũ clamorem ad sidera tollunt
Dardanidæ ex alto, quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant
Cum sonitu, fugiuntque hiemem, repetuntque fluenta
Oceani, tepidasque plagas clangore secundo

V. 3. *Quales sub nubibus atris*. Comparationis hujus partem aliquam delibavit Virgilius, cujus ea sunt verba in 10. Strymoniæ

Tristia Pygmæis portantes bella colonis.
At parte ex alia spirantes robur Achivi,
Inque vicem prompti auxilium sibi ferre, silentes
Arva terunt, tum piniferi ceu e vertice montis
Quum nebula exurgit, lapidem non quidlibet ultra
Jactum quisque videt: tacitis aptissima furtis
Illa dies, minus atque ullo non tempore prudens
Incustodito discedet pastor ovili,
Sic pedibus Danaum tellus percussa comantum
Pulveream coit in nubem. Forte agmine primo
Dardanidum forma ante omneis pulcherrimus ibat
Ipse Paris, cinctus maculosi tegmina pardi,
Fulmineumque ensem lateri, tum voce vocabat
Grajugenas duro ut vellent contendere Marte,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hunc tamen ut magnis gradientem passibus ipsam
Ante aciem procul adspexit Menelaus Atrides,
Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans,
(Suadet enim vesana fames) si forte fugacem
Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum,
Gaudet hians immane, comasque arrexit, & hæret
Visceribus super accumbens, lavit improba teter
Ora cruor, juvenumque minas contemnit inaneis,
Latratusque canum, adspecto sic fervidus hoste
Æstuat Atrides, Helenamque, & jura sacrati
Infracta hospitii flagranti in pectore versat.
At Paris heroem cernens horrenda minantem
Obstupuit, gressumque simul cum voce repressit;

---

autem eas vocat, quia frequentes circum Strymonem Macedoniæ fluvium in confinio Thraciæ, ubi quum Geramam urbem Pygmæi condidissent, a gruibus fugatos, & novas sibi sedes quærere coactos fuisse scribit *Plinius* lib. 4. c. 11. inde illud Juven. Sat. 13.

„ Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram
„ Pigmæus parvis currit bellator in armis &c. „

V. 24. *Impastus*. Ita hanc comparationem reddidit Virg. lib. 10.

Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Attollentem iras, & cærula colla tumentem.
Haud secus ille fugit pavitans, densæque suorum
Miscet se turbæ, atque oculis inglorius aufert,
Hector quem tali fugientem est voce sequutus:
O nunquam æthereas hausisses luminis auras,
Bellule, deceptor, vetitorum cultor amorum,
Non tali Iliacam fœdasses crimine gentem.
I, fuge, nil satis, Argolicis irrise maniplis,
Qui te præstantem ob formam, Mavortia corda
Non muliebrem animum duris gestare sub armis
Crediderint; at non vires, non defuit ingens
Cor tibi, quum procul ab patria, tectisque tuorum,
Permixtus Danais, sociorumque agmine lecto,
Idæis Helenam ratibus per dorsa tumentis
Lata maris, ventosque truceis, spumasque sonanteis
Ex Apia tellure procul malefidus in oras
Abduxti Phrygias, belloque, armisque petendam
Uxorem, sobolemque ducum, Regumque potentum,
Tum Priamo pestem, ac patriæ, victoribus Argis
Gaudia, & æternum misero tibi dedecus ipsi.
Nunc fugis? Experiare licet, cui, pessime, charam
Uxorem abstuleris, castum violare cubile
Ausus, & Argivos in bella lacessere Reges.
Grata Cytheriacæ non te, non præmia Divæ,
Aut roseus color, aut fidibus cantata juvabunt
Carmina dulcisonis, jaceas quum in pulvere comptum
Fœdatus caput, & spiranteis balsama crineis.
Atque etenim nisi falsa animos pietasque, pudorque
Flexisset Phrygios, solvisses, pessime, factis
Digna tuis, dudum Stygias delatus ad undas.

V. 35. *Improvisum aspris*. Hanc quoque comparationem Virgilius a Paride ad Androgeum transtulit Æneidos lib. 2.

Sic Hector, Paris hæc contra: Quid sæpe fatenti
Obiicis hoc scelus & verbis perstringis amaris?
Atque acie velut indomita pennata securis
Ligna secat ratis in costam, aut laquearia tecti,
Artis opus multæ, & repetitis usque fatigat
Ictibus acta super, geminatque in pondere vireis,
Haud secus ista ferox iterumque, iterumque retractas.
Quid concessa mihi Cythereja præmia damnas?
Nulli fas hominum Divum contemnere dona,
Quæ nec quisque volens invito accersat Olympo.
Quod si me vocat in pugnam Menelaus Atrides
Eja age, Teucrorumque acies, Grajumque comantum
Stare jube, nostro dirimatur sanguine bellum,
Victor opes, Helenamque ferat: sæva arma quiescant,
Atque Phryges, Danaosque inter pax floreat alma.
Dixerat, atque Hector jussit consistere turmas,
Oblato gaudens componi fœdere dextras.
Conspicuum tamen in mediis, armisque coruscum
Undique tela petunt adverso ex agmine Grajum;
At cohibete manum, Danai, vos sistite, Achivi,
Atrides clamat, namque Hector dicere magnum
Nescio quid parat. Actutum tela aspera ponunt,
Hectoreis tacitique aptant sermonibus aurem.
Ille autem: Argivi juvenes, ac Dardana pubes,
Accipite hæc animis: alma deponere terra
Arma jubet Paris, in medio Menelaus Atrides,
Ipseque contendant duro ut certamine: victor
Tyndaridem ferat uxorem, partisque fruatur,
Atque æterna Phrygum, & Grajorum fœdera sunto.
Conticuere omnes, arrectisque auribus hærent.
Strenuus inde armis Menelaus farier orsus:

V. 77. *Quod si me*. Hujus certaminis ad imitationem inventum illud Turni, atque Æneæ apud Virgilium.
V. 79. *Nostro*. Verb. Virgiliani Turni in 12.
V. 83. *Oblato gaudens*; Verba Virgiliani Aeneæ in 12.

Me quoque nunc audite, viri, quem maxima belli
Cura premit, vos quem propter tot tristia passi.
Occidat is nostrum, cui mors, & fata parantur
Vivite vos pulchra in pace, ac durate beati.
Nunc geminos huc ferte agnos, albumque, nigrumque,
Alma nigrum tellus, niveum Sol almus habebit,
Nos itidemque Jovi pinguem mactabimus agnum.
Laomedontiades Priamus tum fœdera firmans
Ipse adsit, vereor Paridem, neque pectora fratrum
Fida satis, varium quippe, ac mutabile semper
Mens est, atque animus juvenum: pacata senectus
Prospicit hinc transacta simul, cavet inde futura,
Prudentumque piis succedunt omnia votis.
Dixerat, infremuere omnes, Graiique, Phrygesque
Affulsisse diem, finem quæ imponeret armis,
Tristibus atque odiis, altos tunc ordine linquunt
Cornipedes, viridique omnes in gramine longas
Defigunt hastas, atque ærea scuta reclinant.
Hinc, atque inde acies spatia in sua quæque recedunt.
In medio ancipiti patet ingens area Marti.
Hector, qui Priamum adciret, lectasque bidenteis
In campum adferrent, celeres jubet ire ministros.
Thaltybium Atrides pictis de navibus agnum
Ferre jubet: parent rapidis illi ocyus Euris.
Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Iris Tyndaridi descendit nuncia cœlo
Laodicen vultu referens, ac corpore toto,
Quæ Priami gnatas forma supereminet omneis,
Atque Antenorides duxit quam Rex Helicaon.
Telam illa ingentem tecti in penetralibus altis
Texebat variam, ac duplicem, (mirabile visu)

V. 107. *Varium quippe*. Quod Virgilius ad fœminas transtulit *Varium ac mutabile semper . . . . Fœmina*.

V. 108. *Pacata senectus*. Tumultu affectionum quiescente. *Cani enim sunt sensus hominis*.

Namque sui causa pugnanteis Pergama circum
Grajugenas, Phrygiosque duces intexerat auro.
Hac Hector micat, inde ruit cristatus Achilles.
Hanc prope sic placido adfatur Thaumantias ore:
Nympha mihi dilecta, veni, res maxima poscit.
Agmina nam Troum, Grajorumque ære micantum,
Quæ prius infestis ardebant prælia dextris,
Nunc tranquilla sedent campis, pugna aspera cessat,
Defiguntque hastas, clypeisque innixa recumbunt.
At Paris, atque acer Menelaus Marte cruento
Rem diriment: ferat uxorem te, præmia, victor.
Hæc ait, injecitque animo patriæque relictæ,
Desertique thori, dilectorumque parentum
Ingentem flammam, & sopitum accendit amorem.
Hinc niveo in velo tectis sese extulit altis
Adproperans, lacrimisque oculos suffusa nitenteis.
Binæ illam famulæ, Clymene pulcherrima vultu,
Æthraque Pythæi proles comitantur euntem.
Ut Scæas ventum ad portas, in limine cernit
Laomedontiadem Priamum, juxtaque Thymætem;
Panthoumque, & Clytium, ac Lampum, atque Antenora clarum,
Ucalegonta quoque, atque Hicetaona, fortibus omneis
Insigneis ausis florenti in corpore quondam
Nunc pugna procul, & campis effœta senectus,
Tardaque membra tenent, doctos prudentibus acrem
Consiliis regere, ac dictis frænare juventam.
Umbrosis veluti in silvis æstate serena
Arboris insidunt ramis, aurasque cicadæ
Arguto resonant cantu, sic turribus altis
Gaudentes vario Reges sermone sedebant.
Utque procul nivea fulgentem in veste Lacænam
Adventare vident, mirati orisque decorem,
Incessumque Deæ similem, vestemque micantem;
Non sane, ajebant, tantæ ob miracula formæ
Indignum fuat Argolicos capere arma tyrannos,

Dardaniamque manum, & longa tabescere clade,
Namque immortaleis mortali in corpore Divas
Illa refert; tamen in patrias pulcherrima sedeis
Hinc abeat, nec fata manens ferat ultima Teucris.
Talia sese inter submissa voce dolebant,
Mussabantque senes; Priamus sed maximus ipsam
Nomine compellans vicina in sede locavit,
Tunc sic: Chara mihi, hic adsis, cui cernere Grajos
Dulce erit, & magnos mirari, ac noscere Reges,
Cognatosque, atque affineis (non tu mihi quicquam,
Culpatusve Paris, verum inclementia Divum,
Tristia qui in nostros duxerunt agmina muros)
Verum age, quis Grajum, membra, fulgentibus ille
Conspicuusque armis, vultuque insignis honesto?
Mole quidem, atque humeris alii per gramina lata
Altius adsurgunt, oris tamen illa decori
Majestas haud visa mihi. Quantum instar in ipso est?
Ast Helena ex alto deducens pectore questum
Sic fatur: Dilecte socer mihi; maxime Regum,
O miseræ lux illa Helenæ postrema fuisset,
Quum gnatam in luctu, thalamosque infida priores,
Et fratres, pariumque choros, cœtumque relinquens
Nympharum, huc veni, Paridem, ac mea fata sequuta.
Volvere quid tamen ista juvat? Volvisse juvaret.
Nunc ad te, & tua, chare pater, quæsita revertor,
Quem cernis, Danaum Rex est, insignis Atrides,
Rex idem bonus, atque armis fortissimus heros

V. 165. *Namque immortaleis*. Quiddam huic affine de Helenæ pulchritudine Lucianus in Dialog. mortuorum.

Vt 173. *Non tu mihi quicquam*. Quod Aeneæ Venus in 2.
Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ
Culpatusve Paris.

V. 180. *Quantum instar*. Virgiliana loquutio in 6.

V. 181. *Ast Helena*. Locum hunc Homericum ubi Helena Priamo præcipuos Grajorum duces ostendit, pulchre imitatus est Torquatus Tassus lib. 7. ubi Armida Sarracenorum Regi Christiani exercitus præcipuos duces demonstrat.

Quondam eheu! quondam levir meus. O sate Divis,
Hic senior Priamus, fatis & nate secundis,
Atride, cui tot parent populique, ducesque.
Atque equidem memini quondam juvenilibus annis,
Quum Phrygiam peterem, & florenteis vitibus agros,
Ingenteis vidisse equitum, peditumque catervas,
Mygdonaque, atque Otreum, Diis immortalibus arma,
Oraque persimileis, queis auxiliaria castra
Sangarium ad fluvium Sigeo ab litore junxi,
Quum primum ab Scythia lunatis agmina peltis
Advenere etiam, pictis & Amazones armis.
Non tamen hi numero tot erant quot Dorica pubes.
Quisnam autem, dilecta precor, quisnam ille, comantum
Qui juvenum turmas obit indefessus? Atrides
Toto illum capite exsuperat; sed nescio, magnum
Quid latis humeris, latoque hic pectore monstrat.
Laniger ille aries visus mihi, qui grege magno
Circumcursat oveis niveas, caulasque pererrat.
Tyndaris at, Laertiades, Rex maxime, Ulysses,
Hic vir, hic est Ithacæ tristi de rupe profectus,
Instructusque dolis, & multo callidus astu:
Hæc illa: Antenor fatur cui talia prudens:
Vera quidem narras, namque olim Pergama vectos
Legatos Danaum prima sub origine belli
Hospitio excepi ingenti dignatus honore
Atridem Menelaum, atque hunc quem dicis, Ulyssem
Amborumque animos Regum, ingeniumque notabam:
Concilio admissis Troum, pulchraque corona
Stantibus, Atrides humeris augustior altis.
Sedissent, vultu gravior præstabat Ulysses.

V. 194. *Atque equidem*. Priamus quoque laudator temporis acti, cautius tamen Nestore, siquidem non adeo senex.

V. 210. *Hic est*. *Hic* in nominativo casu corripuit etiam Virgilius in 6. *Hic vir, hic est tibi quem promitti sæpius audis*.

Ib. *tristi de rupe*. Unde Virg. in 3. *Effugimus scopulos Ithacæ, Laertia regna*.

Mox quum verba darent, Menelaus acumine multo
Et dictis animum brevioribus usque ferebat
Flectebatque volens: non illi copia fandi
Larga, nec appensis captabat vocibus auram,
Quamquam annis minor; ast Ithacus consultus Ulysses
Surgebat, terraque oculos defixus honestos,
Non hac, non illac flectens, immota tenebat
Sceptra manu, amenti similem, verbisque carentem
Dixisses, stolidumque virum; sed pectore magno
Quum vocem ingentem, meditataque verba sonaret
Crebra, nivis ritu hibernæ, contendere nullus
Terrigenum posset, Regi aut certare loquenti.
Hæc tunc non hominis speciem miratus, & arma.
Ecquis, ait Priamus, quisnam hic qui vertice toto,
Atque humeris longe Argivos supereminet omneis?
Ast Helena, hic est, hic, inquit, Telamonius Ajax.
Idomenea vides? Illum qui propter? habetur
Hic Creta in magna veluti Deus. Undique Regem
Circumstantque duces, pendentque jubentis ab ore.
Sæpe illum hospitio tectis Menelaus in altis
Excepit Jovis ab patria tellure profectum.
Atque equidem plureis Grajorum ex agmine toto
Adspicio, agnoscoque lubens, & nomina possem
Commemorare tibi, geminos at cernere charos
Germanos fratres, Ledaque ex matre creatos

V. 223. *Non ille copia fandi*. Breve, concisum, & acuminatum orationis genus Menelao tribuitur. Notat autem cultissimus Poeta illum quanquam ætate juniorem non verborum, sed sententiarum potius studiosum fuisse, quod non juventutis, sed maturioris ætatis, & in canos vergentis proprium esse solet. Ut autem Ulyssem, & Menelaum mole corporis, & oris majestate discreverat, ita oratione quoque discernit. Ulyssi enim copiam, majestatem, & robur orationis tribuit cum laterum firmitate, honestate oculorum, & canora voce, ut perfectum, ac numeris omnibus absolutum oratorem agnoscas.

V. 236. *Telamonius Ajax*. Honoris causa nominatur, nec laudatur tamen, in tota enim Iliade, ducis post Achillem maximi, sed infelicis personam sustinet.

Pollucem pugilem, & domitorem Castora equorum
Haud possum infelix. An non Lacedæmone pulchra
Exierint classem Argolicam, Atridasque sequuti?
An Trojam adpulerint ratibus; sed dedecus absint,
Heu! nostrum veriti, & pugnas tentare recusent?
Hæc ait ast illos patriis in sedibus ambos
Abstulerant fata, & tellus injecta tenebat.
Interea lecti procedunt urbe ministri
Fœdera sacra Deum, felicia munera Bachi,
Atque agnos geminos, gemmisque, auroque rigentem
Cratera in manibus, pretiosaque vasa ferentes.
Tum Priamum hortantur: Surge, o Rex maxime, Grajum
Te expectant unum, fulgentiaque agmina Teucrum
Pacto ut conveniant stabili, & pia fœdera firment.
Dardanius Paris, & flavus Menelaus in armis
Certabunt paribus: victorem palma sequetur
Tyndaris, ingentes & opes, nos arva colemus,
Mœniaque in pace: illi iterum maria alta remensī
Argos equis aptum, & patrias vertentur ad urbeis
Fœminea celebreis forma. Stupet inscius heros
Laomedontiades dictis, jussitque frementeis
Jungere equos: properant famuli, & mandata facessunt,
Confestim adscendit Priamus, lorumque retraxit,
Antenor sequitur, Scææque ab limine portæ
Cornipedes hortantur equos, campoque feruntur.
Ut ventum ad sedeis, currumque, rotasque relinquunt,
Et medias inter Teucrum, Danaumque comatas
Procedunt acies, Agamemnon primus eunti
Obvius adsurgit, fraudumque inventor Ulysses,
Præcones autem, puraque in veste ministri,
Adportant lectas pecudes, & pocula miscent,
Dein manibus limphas properant, & tempora Atrides
Summa notat pecudum, medioque e vertice pilos
Abscindit cultro, magna quem semper ab ensis
Vagina appensum simileis gestabat in usus.

Hos famuli ducibus Phrygiis, ducibusque Pelasgis
Distribuere citi, mediis sic infit Atrides
In cœlum cum voce manus conversus, & ora:
Summe parens Idæ Deum, qui fulmina torques,
Tu quoque, qui cuncta exaudis Sol, qui omnia lustras,
Fluminaque, & Tellus, & quæ sub Tartara Divum
Religio est, ubi torquentur post fata nocentes,
Este mihi testes, vestro stent numine pacta.
Contigerit Paridi si fors victoria Teucro,
Ipse Helenam, gazamque feret, nos alta petemus
Æquora, nec Phrygiam ferro tentabimus urbem:
Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem,
Gazamque, Argivamque Helenam Menelaus habebit,
Insuper & Danais argenti pondera, & auri
Congrua persolvent Teucri: si pendere nolint,
Bella geram, meritas donec dent Pergama pœnas.
Dixerat, & pecudes flagrantibus admovet aris,
Vulnere tum jugulat gemino, mactatque trementeis.
Dein reliqui auratis pateris altaria libant
Argivique, Phrygesque, onerantque his æthera votis:
Jnpiter omnipotens, & sancti numina cœli,
Fœdera quicumqne hæc Danaum, Troumve priores
Audebunt violare manu, sic sanguine campos
Commaculent Phrygios, vina ut spumantia fundo,
Ipsi, inquam, ac dulces gnati, formosaque conjux
Victoris Domini cedat captiva cubili.
Talibus orabant; sed inaneis perdit in auras
Vota Deus. Rex tum Priamus sic farier orsus:
Ductores Danaum, ac Troes, nos Ilion altum
Hinc petimus, gnati siquidem discrimen acerbum
Adspectare oculis patrio prohibemur amore.
Nempe Jovi patet hoc uni, Divisque beatis
Quis metam attigerit, mortem cui fata minentur.

V. 284. *Summe parens*. Hoc juramentum imitatur Virgilianus Aeneas in 12. unde desumpti versus 286, 289, 292.

Dixerat, impositisque agnis Trojam inde petivit.
Hectore tum socio spatium partitur Ulysses,
Limitibusque ambit certis, hinc ærea sorteis
Accepit galea, ut longam quis mitteret hastam
Amborum prior indiciis constaret apertis.
Stant circum effusæ turmæ, sicque ore precantur:
Qui terras, cœlosque Idæo a vertice lustras
Authorem infandi sceleris, fontemque malorum,
Quicumque ille siet, Grajus, seu Dardanus, æquus
Perde, Pater, Stygiasque inhumatum mitte sub umbras.
Nos in amicitiam coeamus fœdere pacto.
Sic illi orabant taciti; verum Hector ahena,
Ardenteis oculos retro conversus, & ora,
Terque, quaterque manu concussa ex casside sortem,
Nomenque inclamat Paridis, tum quisque recedit,
Cornipedes ubi per campum, & varia arma jacebant.
Hinc Helenæ vir pulchricomæ, Priameia proles,
Plurima quas mordens argentea fibula nectit
Primum aptat suris ocreas, dein pectora circum
Thoracem induitur squammis, auroque rigentem,
Quem frater fratri dederat gestare Lycaon,
Fulmineumque humeris ensem suspendit ab altis,
Ingentisque orbem clypei, galeamque coruscam,
Cui triplici crinita juba crista alta tremendum
Nutabat super, hinc validam dextra arripit hastam,
Interea paribus Menelaus cingitur armis,
Et rapidus medium procedit in æquor uterque
Torvum adspectantes oculis, tum frigidus omni
Spectantum turbæ coit in præcordia sanguis.

V. 327. *Concussa ex casside sortem*. Aeream galeam, & sortes habes etiam apud Virgilium in 5. reliqua ex hoc loco decerpta in 12, libationes, sacrificia, juramenta, descriptos limites, duellique omnes, sive singularium certaminum leges, quæ imitati etiam Silius, & Torquatus.

V. 342. *Spectantum turbæ*. Quod de Arcadibus Virgilius in conflictu Pallantis, & Turni lib. 10.

Stant olli, quassantque hastas, verbisque minantur.
Inde Paris magno contorquet turbine cedrum.
Illa volans alto clypei sonat ære repulsa,
Inque cadit flavam reflexa cuspide arenam.
Atrides ferro præfixum robur acuto
Priamidem contra librans jacit, atque ita fatur:
Jupiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur)
Hospitis infandum scelus hoc ulciscier ictu,
Da genitor, fandique homines, testesque nefandi,
Et scelerum ultores discant non temnere Divos.
Talia jactanti stridens immane per auras
Hasta manu volat, & clypei septemplicis orbem,
Loricæque moras rumpens juxta ilia pulchram
Discindit tunicam, flexu sed corporis heros
Dardanius mortem, & vulnus vitavit acerbum.
Irruit Atrides, vaginaque eripit ensem,
Et caput insurgens dextra petit, ærea cassis
Obstitit, & mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit, flava resplendent fragmina arena.
Obstupuit casu in subito Menelaus, & alter
Non te, summe Parens, infensior æthere toto,
Aut fuerit Divorum, inquit, mihi tristior ullus,
Hic lueret meritas scelerato sanguine pœnas;
Incassum tamen hasta volat, tum perfidus ensis
Frangitur; haud manibus nostris illexus adulter
Ast aberit. Simul ista furens, simul involat, atque
Nutantem triplici ex crista, conoque prehensum
Argivum in campum, atque hostilia castra ferebat.
Namque viro mento subter lactentia colla,
Pictaque stringebant galeæ retinacula fauceis,

V. 349. *Jupiter*. Precandi hac formula ad rem valde dissimilem usus est Virgilius lib. 4.

V. 360. *Obstitit*, *& mucro*. Hunc quoque casum a Menelao ad Turnum transtulit Virgilius, cujus ii sunt gemini versus in 12.

V. 367. *Tum perſidus ensis*. Virgiliana loqutio loc. cit.

Vivumque Atrides Grajorum in castra tulisset,
(Immortale decus) Venus at Jove gnata per auras
Lora manu scidit occisi de tergore tauri.
Pondus inane manum sequitur galea ærea fortem:
Hanc heros valido contortam turbine campum
Mittit in Argolicum: socii accepere cadentem.
Evolat hinc iterum frendens, jam jamque tenebat,
Quum Venus occultum Paridem, nimboque latentem
Eripuit facile, (quid enim non numina possint?)
Fragrantique virum thalamo, pulchroque locavit.
Inde petit turrim, Teucris ubi mixta Lacena
Spemque, metumque inter pugnam spectaverat acrem.
Hic Dea vocemque, & vultus imitatur anileis
Lanificæ, quæ ipsi patria in Lacedæmone quondam
Vellera carpebat, magnoque hærebat amore,
Ambrosiumque manu peplum, vestemque fluentem
Concutiens, ades huc, inquit, te nam ædibus altis
Pulcher odorato in thalamo, stratisque coruscis
Expectat Paris: haud ipsum Mavortis ab acri
Credideris reducem pugna; sed abire paratum
Nympharum in choreas, cantusque, aut inde reversum.
Hæc inquit, movitque animum, totasque medullas.
Ut tamen adspiciens abeuntis pectora Divæ,
Fulgenteisque oculos, & lactea colla notavit,
Obstupuit visu in subito, dehinc talia fatur.
Quid miseram falsa deludis imagine rerum?
Longius hincne voles Phrygias me abducere in urbeis,
Mæoniasve domos, hominum clara oppida linguis,
Quo tibi sit juvenum quisquam charissimus alter?

V. 385. *Hic Dea*. Hujusmodi Deorum transmutationes innumeræ occurrunt apud Homerum, & Virgilium, de quo alibi dictum.

V. 390. *Pulcher*. Effœminati, ac debilis animi character. Assurgit enim quandoque Paris pudore correptus, & fratris Hectoris increpationibus, rursum tamen animum sponte remittit, & ad delicias revertitur.

An quia devicto Menelaus de hoste superbus
Antiquas me iterum in sedeis, patriosque penateis
Ferre parat, rursum insidias meditare, dolosque?
Quin Paridi æternum adsideas, cœlosque relinquens
Mensasque, & Superum cœtum adspernere Deorum,
Ærumnasque ferens ipsum prope semper amaras
Hunc serves, conjux donec dilecta marito,
Aut domini saltem valeas ancilla vocari.
Haud te, Diva, sequar, Paridis nec dicier uxor
Ulterius patiar, Phrygiis aut matribus ibo
Irridenda alti soboles Jovis. Hæc Dea fatam
Terribili adspectat vultu, dein talibus infit:
Ne, infelix, verbis Superos incesse malignis,
Ne te fors miseram, in luctuque irata relinquam
Tam mihi tum magis exosam, gratissima quantum
Hac Veneri tenus extiteris, Danaumque ciebo
In te odia, & tristi solves mihi funere pœnas.
Dixerat, expavitque Helena, exauditque vocantem,
Et præeunte Dea, niveo pulcherrima peplo
Proripuit sese, Teucrum neque cernitur ulli.
Ut ventum ad sedeis, famulæ sua munera quæque
Ocyus adproperant; illa in penetralia tendit,
Atque Venus thalamum contra, vultumque jacentis
Picta in sede locat cunctantem, ac torva tuentem,
Oraque, & averso vertentem lumina collo.
Tum demum in taleis dissolvit pectora voces:
Ergo redux ades huc pugna? nec vulnere multo
Te meus Atrides domitum confecerit heros?
At non ista mihi dederas promissa roganti

V. 411. *Phrygiis aut matribus ibo*. Similia illa Creusæ in 2.
„ Aut Graiis servitum matribus ibo
„ Dardanis, & Divæ Veneris nurus „.
V. 430. *At non ista mihi*. Quod Horatius de Paride eodem:
„ Sublimi fugies mollis anhelitu
„ Non hoc pollicitus tuæ „.
Lege Oden 15. lib. 1.

Quin potius valido Menelaum robore, & hasta
Jactabas super, & crudo te Marte ferebas.
I, miser, insanoque viros rursum ore lacesse.
Quid tibi cum pugna? tectis te contine in altis,
Si superesse velis, & cœli vescier aura.
Hæc Helena, at Priami contra sic filius inquit:
Uxor amara, quid increpitas, torquesque dolentem?
Palladis ille ope nunc duro in certamine vicit,
Vincam ego fors alias. Sunt & sua numina Teucris.
Tristia mittamus tamen hæc, Cypriæque fruamur
Muneribus Divæ, haud etenim, mea chara fatebor,
Dulcibus usque adeo accendit præcordia flammis
Sævus amor, neque tunc pingui ab Lacedæmone quondã
Quum primum raptam præcelsa in puppe vehebam,
Atque tibi in Cranae blandis complexibus hæsi,
Quam nunc ossa calor, labefactaque corda fatigat.
Dixerat, atque Helenam fusis hinc inde lacertis
Cunctantem fovet amplexu, placidumqne petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.
Hæc inter frendens Menelaus tygridis instar,
Vestigatque virum cuneos, atque agmina lustrat;
Cœlitus ast tamen ereptum non Dorica pubes,
Non ipsi Phryges, aut sociorum ex agmine magno
Viderat, aut cuperet quisquam servare repertum.
Usque adeo infensum Danaique, ac Troes habebant.
Tum placido in mediis Agamemnon pectore fatur:
Trojani, sociique Phryges, victoria nostra est,
Fœderis atque ipsi testes, pugnæque fuistis:
Ergo Helenam, raptas & opes jam reddite Graiis,
Præterea gravis argentique, aurique talenta,
Quæque etiam seri solvant in sæcla nepotes.
Sic ait, atque acies Danaum plausere faventes.

V. 437. *Uxor amara*. Jovis Virgiliani verba ad Junonem.
V. 440. *Tristia mittamus*. Quod ex Epicureorum sententia Horatius:
„ Dona præsentis cape lætus horæ, &
„ Linque severa.
V. 448. *Placidumque petivit*, Virgiliani versus ex 8. Aeneidos.

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Dii apud Jovem de Ilio deliberant. Ille Junonis suasu Minervam ad Trojanos mittit confusionem foederum facturam. Hæc Pandaro suadet, ut sagitta feriat Menelaum. Eo percusso Agamemnon dolet, & Machaon Medicum accersit, qui vulneri medetur. Hæc iram armati Trojani exercitum invadunt. Agamemnon acies lustrans eos, qui jam in procinctu erant, hortatur, laudatque, segniores increpat. Æquis deinde viribus utrinque concurritur, cæduntque vicissim, caduntque.

AT Jovis in templo, & stellati in vertice Olympi
Cœlicolæ coeunt, Hebe pulcherrima nectar
Queis fundit, miscetque: olli aurea pocula libant
Agmina cernentes, varioque in Pergama vultu.
Junonem interea verbis compellat amaris
Jupiter: Atque, inquit, Menelao bina favebant
Numina magna Deum, Juno, armipotensque Minerva;
Sed procul hæ pugnam gaudent spectare cruentam,
At Cytheræa suum media inter tela clientem
Eripuit ferro incolumen, fatoque minanti.
Verum agite, Atridæ certa est victoria quando,
Consulite in medium, ac rebus succurrite fessis.
An pugnas iterum, & sævum crudescere Martem?
An libeat stabili conjungi fœdere dextras?
Si pax alma placet, Priamo stent mœnia Regi,
Argivamque Helenam rursus Menelaus in oras,
Inque domos referat patrias. Sic Jupiter infit.
Hæc inter Regina Deum, ac Tritonia virgo
Ore fremunt tacito; ast iram cohibere silentem
Haud potis usque, Jovem adgreditur sic regia conjux:
Ergon', summe Deum nostros tot abire labores

Incassum patieris? agrosque, urbeisque cienti
Confracti mihi tot currus, tot corpore toto
Sudarint biiuges frustra, dum Troia bello
Urbs justo petitur, Priamique infida propago?
Fac age, si lubet; at reliquis non grata profecto
Illa sedet Divis pietas. Tum nubila cogens
Omnipotens genitor torvo sic intonat ore:
Quid Priamus, Priamoque sati, soror improba, tantum
Peccavere tibi, totis ut viribus urbem
Indefessa velis, claramque evertere gentem?
Nec, reor, absistas, ponasque e corde furorem
Laomedontiadæ, & gnatorum viscera quamvis,
Immeritosque Phryges laceraveris ore cruento,
Fac age, si lubet, haud mortalibus usque faventeis
Fas certare Deos; memori hæc in pectore serva
Dicta tamen: veniet stellis volventibus, ætas,
Quum tibi dilectas genteis, urbeisque superbas
Eruere adgrediar, tu nostram inflectere mentem
Non vi, non precibus tenta, non artibus ullis,
Quandoquidem invitum cogis servire dolori
Diva tuo, atque urbem Trojanam exscindere ferro,
Qua mihi non reliquas inter, quas ambit Olympus,
Charior ulla fuit, semper nam sanguine multo
Cæsarum pecudum, & sacris altaria flammis
Nostra calent, qui solus honos optatus Olympo est.
Iupiter hæc, contra adloquitur quem maxima Juno:
Oppida, fabor enim, tria sunt gratissima nobis,

V. 37. *Veniet stellis volventibus, ætas*. Quod Virg. in 1. jam præteritum, quasi eventurum cecinit: *veniet lustris volventibus ætas*
,, Quum domus Assaraci Phtiam, clarasque Mycenas
,, Imperio premet, ac victis dominabitur Argis
Quæ adhuc distinctius de Lucio Mumio, & Paulo Æmilio canit in 6.
,, Ille triumphata Capitolia ad Alta Corintho
,, Victor aget currum, cæsis insignis Achivis.
,, Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas
,, Ultus avos Trojæ.

Nobile equis Argos, Spartes, ditesquæ Mycenæ.
Has quum fata ferent, imis ab sedibus urbeis
Nil moror, exscindas, quid enim, da velle precando
In Te unquam possem, nutu qui sidera torques?
Nec tamen hic noster cedat labor irritus omnis,
Sum Dea namque & ego, genus & mihi ducitur inde
Unde tibi, genitorque idem Saturnus utrique est,
Et soror, & conjux dicor tua; Tu tamen omne
Imperio regis, & cœli tua jussa capessunt.
Me tibi, Teque mihi quædam donare vicissim
Fas est propterea, reliquos nec spernere Divos.
Nunc adeo in medias pernicem Pallada turmas
Ire jube: paret illa viam, qua in bella superbos
Dardanidæ Argivos poscant, & fœdera rumpant.
Annuit his genitor, gnatamque ea jussa frementem
In terras mittit: liquidas Dea pervolat auras,
Sanguinei quantum jubar exitiale cometes
Æstiva sub nocte rubet, vel stella sereno
Transcurrit cœlo, & longo secat aera sulco,
Ab Jove portentum findentibus æquora nautis,
Agminis aut magni ductoribus: illa cruentas
Aut pugnas, hiememve ferens mortalibus ægris
Evolat, & multa præstringit lumina flamma.
Huic similis Jove gnata volat, turmisque propinquat.
Obstupuere animis Troes, Danaique comantes,
Adstantumque aliquis: vel tristeis surgere pugnas,
Vel tandem posito firmari fœdera bello
Jupiter annuerit, belli, pacisque serenæ
Quem penes arbitrium est, inquit, rerumque potestas.
Talia volvebant animis Graiique, Phrygesque.
At se Dardanidum miscet Dea callida turmis
Laodocum vultu referens Antenore natum,
Vestigatque oculis si quà sibi Pandarus ingens

V. 65. *Sanguinei*) Hanc comparationem adhibuit Virgilius in 10.

Obvius occurrat lati per gramina campi.
Utque ipsum magna circum stipante corona
Prospexit juvenum, pugnæ quos nobilis ardor
Æsepo ab liquido, & patriis abduxerat oris,
Sic adgressa loqui: Dictisne, Lycaone nate,
Parueris nostris, telo petere ausus acuto
Atridem Menelaum? O quem Te gloria tollet.
Quas tibi non grates Troes, laudesque rependent?
Quæ non magna tibi, pretiosaque munera donent
Priamides Paris, & Priamus, servataque Troja?
Ergo pelle moras, Lyciumque in vota precare
Insignem pharetra Phœbum, cui corpora lecta,
Mactaturum offer candentis velleris agnos
Primitias matrum, patriæ siquando Zeliæ
Concessum in sedeis, dulceisque redire penateis.
Sic infit, facilemque animum, ignarumque futuri
Impulit in scelus, & jurata in fœdera adegit.
Illicet ex humeris arcum trahit ille sonantem,
Eximium, ingentem (prærupto in vertice rupis
Namque olim insidiis caprum speculatus euntem
Agrestem, indomitum, erectæ cui cornua fronti
Bis palmis octo surgebant, fuderat alto
Pectora transfossum ferro: ruit ille supinus,
Cornua sed faber egregio perfecta labore
Undique reddiderat, fulvoque incluserat auro.)
Hunc ergo inclinans terra deponit in alma.
Objectu laterum interea, clypeisque tegebant
Ductorem socii, detecta fraude Pelsagi
Ne priùs ingruerent, magnum quam sterneret hostem.
Tum pulchra ex pharetra emissam non ante sagittam
Extrahit aligeram, semen, fontemque dolorum,
Dein telum aptavit nervo, sicque ore precatur:
Arcitenens, Lyciæ custos, mihi, Phœbe, precanti
Da decus hoc, cadat hac dextra Menelaus Atrides.
E grege lanigero, primisque ex fœtibus olim
Hostia multa tibi sacris mactabitur aris,

Quum charam incolumis patriam, gnatosque revisam.
Dixerat, & cornu extrema cum voce tetendit,
Ac nervum pariter bubulum, crenasque prehensas
Vi trahit ingenti, donec curvata coirent
Inter se capita, & manibus jam tangeret æquis,
Læva aciem ferri, nervumque, & pectora dextra.
Infremuere auræ, atque arcu stridente sagitta
Evolat in turmas; neque Te, Menelae, Deorum
Destituit cura, adverso nam pectore telum
Exceptum in tenueis vitam dispergeret auras,
Ni Dea diversum Jove nata inflecteret ictum.
Ac veluti charum genitrix, cui pignus in ulnis
Dulcis habet sopor, in vultus, oculosque volantem
Muscam abigit, tantum crudelem ab pectore pestem
Depulit illa manu, at subtus, qua nectitur auro
Baltheus, ac duplex fulgebat murice thorax
Cuspis it, ac tunicas geminas, & cingula rumpit,
Loricæque moras, telorum ferrea septa,
Ac tandem magno stringit de corpore Atridæ.
Purpureus calido sequitur de vulnere sanguis.
Indum coccineo mulier ceu Mæonis ostro
Quum violavit ebur, sonipes quod fortè superbus
Maxillis aut fronte gerat: jacet ædibus altis
Ornamentum ingens, quæsitum pluribus usque,
Optatum ac votis, equiti decus, & decus ipsi
Cornipedi eximium, haud aliter, Menelae, rubescunt
Nervosumque femur, suræque, atque infima pulchri
Planta tibi pedis. Adspiciens Rex maximus horret,
Et Grajum reliqui ductores: horruit ipse

V. 121. *donec*) Quod de Camilla Virgilius in 11.

V. 125. *Evolat in turmas*) Quod hic Pandarus, facit apud Virgilium Tolumnius, quod hic Pallas ibi Juthurna, utraque Junonis suasu, ut Homerum in Virgilio ubique deprehendas.

V. 138. *Indum coccineo*) Comparationis hujus partem aliquam delibavit Virgilius in 12. ad rem valde dissimilem, quum nempe pudibundæ, atque lacrimantis Laviniæ colorem describeret.

Quanquam Marte satus Menelaus ; sed tamen olli
Exanimata iterum redit in præcordia virtus,
Ut teli nervum ; atque exstanteis conspicit hamos.
At Rex solicito ducens e pectore questum
Sic fatur Danaum : fuerantne hæc fœdera nobis
Exitio ferienda tuo, dulcissime rerum ?
Perjuros Troas, si mens non læva fuisset,
Fas cavisse mihi, Priami nec credere dictis.
Tene ego Dardanidum insidiis, germane, tuumque
Objeci caput, indigna ut nunc morte peremptum
Adspiciam ? tamen at, conjunctis fœdera destris,
Et sacer agnorum cruor, & libamina multo
Sancta mero, ingentumque vocata potentia Divum
Irrita nequaquam fuerint, namque ab Jove tandem
Pœna licet claudo veniet pede, dignaque solvent
Et capite, & gnatis, charisque uxoribus olim.
Credo equidem, nec vana mihi, aut spes falsa futuri est,
Illa dies aderit, meritis quum Pergama flammis,
Et Priamus, Priamoque sati, ac Trojana juventus
Corruerint, sic fata ferunt. Saturnius ipse
Ægida terrificam incutiet torpentibus, alta
Ætheris ab sede, & stellantis culmine olympi,
Divorum, atque hominum unde animos, & pectora lustrans
Fanda, infanda pater perpendit lancibus æquis.
Quid miserum tamen ista juvant ? Inglorius Argos
Hinc repetam: neque enim, pugnas, Martemque perosi,
Me Regem veriti tentabunt prœlia Graii,
Ledæamque Helenam Paridi, Phrygiisque relinquam
Immortale decus, Teque atro funere raptum.
Interea Iliaca, mihi chare jacebis arena,
Insultanseque tuo forsan gens dura sepulchro,

V. 161. *Pœna licet*) Nam *raro antecedentem scelestum Deseruit pede pœna claudo*, ut Horatius.

Sic utinam semper, dicet, sævam expleat iram
Grajugenum ductor: semper sic prœlia tentet,
Nunc veluti amissis sociis, & fratre perempto
Navibus in vacuis patrias remeavit in oras.
Sic Troes; mihi sed tellus prius ima dehiscat.
Rex ea, cui placido Menelaus pectore fatur:
Euge animo, frater, nec questibus agmina turba,
Haud læthalis enim plaga est, nam baltheus ictum,
Atque laborato fregit lorica metallo.
Vera utinam hæc fuerint Agamemnon,sed tamen,inquit,
Arte opus est Medica crudos lenire dolores.
Hæc ait, actutumque agros jubet ire per omneis
Taltybium, clarumque Machaona accersere laude
Artis Apollineæ, genitor quam maximus olli
Phœbigena indiderat, monitisque impresserat altis.
Illicet ille virum cuncos, cursatque micanteis
Ære globos, magna donec stipante caterva
Stantem Æsclapiadem cernit procul, atque ita fatur:
Pelle moras, Æsclapiade, siqua arte mederi
Atridæ valeas Menelao, fœdera contra
Troius, aut Lycius tristi quem vulnere quispiam
Afflixit, decus olli ingens, sed luctus Achivis.
Sic ait, atque ambo simul in tentoria tendunt,
Ductor ubi magna procerum comitante corona
Ora Deo similis lecto fulgente jacebat.
Protinus ille trahit calidum de corpore telum,
Cingulaque,& cinctum internum,chalybemque resolvit,
Contrectatque manu vulnus, sistitque cruorem,
Hinc varios spargit succos, herbasque potenteis,
Phœbigenæ quondam dederat quæ munera Chiron.
Dardanidum interea sævus magis, ac magis horror
Crebrescit campis, & equos, atque arma retractant.

V. 192. *Phœbigena*) Æsculapius Phœbi filius, unde Machaon Æsculapiades, aut Æsclapiades deinde vocatur.
V. 208. *Sævus magis*) Virgiliana loquutio in 12.

Audiit, atque iras magno stimulante dolore
Grajorum rapitur ductor: non mœror inertem,
Non trepidum in pugnam fraterni cura pericli,
Aut stupor attonitum ferventi ab Marte moratur.
Nec celeris meminit currus fulvo ære micantis,
Nec biiugum: (procul hos frænis, auroque coercet
Pyraidæ Eurymedon Ptolemei clara propago,
Siquando lustranti acies, turmasque cienti
Regi opus) ipse pedes cuneos obit impiger omneis,
Quosque alacreis ruere in pugnas, atque arma videret,
His placide accedens acuebat pectora dictis:
Macte animo, & patria insignis virtute juventus,
Numina perjuris nec enim æqua favere putandum est.
Fœdera propter qui ausu fregere priori,
Horum artus mandentque canes, fœdæque volucres;
Nos urbe ex capta uxores, gnatosque ferentes
Dilectam in patriam, & Grajas vertemur ad oras.
At siquos trepidare metu, ac pigrescere cernit,
Hos animo indignans verbis castigat amaris:
O dudum cædi, ac Phrygiis devota sagittis,
Gens ignava, quid attoniti statisque trementes?
Hinnulus ac veluti longo per gramina cursu
Fertur in incertum pavitans, stat deinde repente,
Hæretque exanimis, sic vos torpetis inertes.
Expectatis adhuc donec facto agmine Teucri
Usque ruant maris ad litus, pictasque carinas
Vastarint flammis, adigantque in viscera ferrum.
Sic ait, atque his dimissis reliqua agmina cursat,
Cretenseisque adit, horum acies, primasque phalangeis
Idomeneus agit, magno vir robore, & armis,
Meriones regit extremas, quos fervidus heros
Gestiit adspiciens, blando ac sermone profatur:
Haud equidem immerito summo te dignor honore,
Idomeneu, seu in concilio, seu in Marte cruento,
Pocula sive inter, quum nobile munus Jachi

Argolici libant proceres: cratera capacem
Nam tibi, ceu mihi, pro lubitu puer impiger adstans
Haud semel exhaustum miscet, vinoque coronat.
Perge, bone, & fama quantus, te robore præsta.
Dixerat hæc, contra adfatur, quem Gnossius heros:
Ne dubita, comes in magnis, sociusque periclis
Haud unquam deero; Danaos tu in bella comanteis,
Et reliquos hostare duces. Gens perfida ferro
Persolvat dignas violato fœdere pœnas.
Hæc ait, Atrides lætatus pectora transiit,
Ajacemque videt geminum, quos plurima circum
Agmina densantur, specula ceu pastor ab alta,
Quum procul obscuro cœlum nigrescere nimbo,
Ac Zephyrum incubuisse mari, atque horrescere fluctus,
Semotasque videt misceri murmure silvas,
Cògit oveis subito, tutoque recondit in antro,
Haud secus Ajaces circum manus impigra bello
Adglomerat sese juvenum, & clypeata renidet,
Atque hastata virum latis seges ærea campis.
Rex fatur (magnum pertentant gaudia pectus)
Grajugenum decora alta, duces, quid sponte ruenteis
Horter ego in pugnas? utinam Saturnius acrem
Hunc animum, & mentem, Phœbusque, atque aurea Pallas
Omnibus indiderint Danais, non Troia stabunt
Tecta diu, Priamique arces, populique protervi,
Quin ferro, meritisque luant scelera impia flammis.
Hæc infit, graditurque ultra, tum Nestora cernit
Hortantem socios, atque ordine quosque locantem
Insignem Pelagonta, & Alastora, & Hæmona magnum,
Et fortem Chromium, sceptro clarumque Biantem.
Ille equites primos, & equos, currusque locarat.
Pone sequebatur peditum Marte inclyta pubes,
Vallum ingens belli numero, & fulgentibus armis
Ast aciem in mediam ignavos, segneisque coegit,
Ut vireis, animosque ollis spes nulla salutis,

Nulla daret via tuta fugæ, dein plurima prudens
Ordinibus mandata dabat, primumque jubebat
Cornipedes ut equos præscripto in limite quisque,
Contineatque datis spatiis: non agmina cursu,
Incertisque globos erroribus undique turbent.
Neu quisquam ante alios, vel equum tractare peritus,
Robore seu præstans Teucrorum incessere turmas,
Aut solus velit ancipiti se credere pugnæ,
Nec retro trepidus cedat, namque hostibus ultro
Vireis ille, dabitque animos; qui in curribus altis
Bella ciet tamen, hostilem quum invadere currum
Contigerit, pugnet porrecta longius hasta.
Namque operæ hoc pretium eximium, taleisque sequuti
Armorum leges, populosque, urbeisque superbas
Majores quondam bellis domuere cruentis.
Hæc senior, quo non Grajorum doctior ullus
Voce movere animos, formamque imponere Marti.
Adspicit hæc gaudens Agamemnon, deinde profatur.
O siquos animos, pater, hoc in pectore condis,
Genua tibi, & valido sequerentur corpore vires!
At tristis generi misero, atque infesta senectus
Membra gelu cohibet, daret o, cuicunque volenti
Jupiter hanc, roburque tibi, floremque juventæ.
Talia Rex, subdit prudens cui talia Nestor:
O mihi præteritos referat si Jupiter annos,
Qualis eram, cecidit duro in certamine quando
Magnus Ereuthalion dextra hac, sed numina nulli
Omnia contulerunt hominum: juvenilibus annis
Talis eram, nunc longa senem me conterit ætas;

V. 280. *dein plurima prudens*. Nestor disciplinæ militaris peritissimus, & factis, & præceptis ostenditur, ubi mire senectutis indoles elucet, quia & sociis ejus prisca nomina, & inter recentiores Græcos inusitata tribuit Poeta.

V. 304. *O mihi*. Quod Virgilius ad Evandrum transtulit Æneidos lib. 8. ubi Herilum a se juvene interfectum commemorat ad imitationem Nestoris Homerici.

Consilio tamen , & facundo accendere Martem
Eloquio bonus , arma aliis , pugnamque relinquo ,
Membra valent , sanguisque viget quibus integer ævi.
Talia commemorat , ductor reliqua agmina lustrans
Inde abit , & Petei claro de sanguine cretum ,
Cecropidumque acies , & magnum propter Ulyssem.
Ille Cephallenseis turmas consistere longe
Ut vidit (nec enim Teucrorum bellicus aureis
Impulerat clamor , Danaum vel in arma ruentum ;
Sed primo tantum misceri murmure campum
Audierant positi procul , & qua parte phalanges
Ingruerent primum observabant) talibus heros
Increpitat dictis : O magno ex patre , Menestheu ,
Tuque , instructe dolis , fraudumque inventor Ulysses
Cur trepidi hæretis , pugna procul , atque tumultu ?
Atque etenim vos hostileis invadere turmas
Fas erat , & primos caput objectare periclo ,
Quandoquidem & primi soliti considere mensis ,
Regificas siquando epulas , convivia læta
Instruimus Danais , magnorum & lancibus aureis
Terga boum fumant , & inundant vasa Lyæo .
Nunc tamen Argivum totas ruere ante phalangas
Adspicitis lenti , ac duro decernere ferro .
Non tulit hæc animis Ithacus , frendensque profatur :
Ergo nos genus ignavum , segnesque videmur
Esse tibi ? neque collatis in mœnia signis
Tendere posse putas conferta per agmina Teucrum ?
At primam ante aciem , ipse voles si cernere , cernes
Telemachi patrem permixtum cædibus atris ,
Heroasque inter Phrygios turbare maniplos .
Verba furens igitur vento quid inania jactas ?
Huic vero , ut dictis commotum agnovit Atrides ,
Subrisit blandum , placidoque hæc addidit ore :

V. 311. *Sanguisque*. Pulcherrima Virgilii loquutio in 2. Aeneid.

Digitized by Google

O Laertiade, haud equidem te hortarier unquam,
Neu te urgere ausim: novi quantum mea cordi
Sint tibi, nam nostro doluisti sæpe dolore,
Consiliisque vales prudentibus: ergo age, siquid
Peccatum dicto, magnis pensabimus olim
In te te Officiis, celeres modo verba per auras
Numina disperdant. Taleis dat pectore voces,
Inque alias properat turmas. Diomedea magnum
Inter equos, interque rotas videt ære nitenteis
Hinc stantem, ac juxta Sthenelum, quos lumine ductor
Adspectans torvo, dictis castigat amaris:
Tydeo gnate, quid hinc acies circumspicis hærens?
At non ille, satum cujus te e sanguine jactas,
Talis in arma fuit, namque ille (ut sæpe priores
Narrantes memini, nec enim gesta inclyta nobis
Cernere concessum) virtute, & mole superba
Præstabat reliquis Danaum, diteisque profecto
Quum peteret nullo turbatas Marte Mycenas
(OEdipodionidæ Polynicis signa sequutus,
Fraternumque nefas sacratæ ad mœnia Thebes)
Oratum auxilium, posset neque flectere menteis,
Monstra Deum quippe adversis terroribus obstant,
Asopum petiisse aciem, loca consita dumis.
Thebanum ad murum legatum hinc Tydea mittunt.
Solemneis tum forte dapeis Eteoclis in aula
Delecti cum Rege duces, patresque trahebant.
Ille hospes quanquam, armato nec milite septus
Bistonios ausus dura in certamina civeis,
Et lectos proceres, ipsumque vocare tyrannum,
Palladis auxilio victor: dein castra petenti
(Dedecus urit enim, atque accepta injuria menteis),
Insidias, fraudemque parant. Toto agmine lectos
Quinquaginta heros Mæon, nec non Lycophrontes,
Mæon Hæmonides, Lycophrontes Marte peritus
Autophonis proles secreta in sede locarunt.
Ille haud mentis inops ingentem Mæona primum,

Mox reliquos ferro Stygias demittit in umbras :
Vix bellatorum florenti ex agmine quisquam
Regressus tristem attonitæ famam attulit urbi .
Hic erat Ætolus Tydeus ; sed filius olli,
Ore quidem melior ; dispar sed robore, & armis .
Sit ait, ac veritus Regem fortissimus heros
Conticuit : pressoque pudens obmutuit ore .
At Regem adfatur contra Capaneja proles :
Atride, quid vera sciens, mendacia jactas ?
Nos etenim patribus similes ferimurque, probamurque.
Et septemgemino cantatas limine Thebas,
Mœniaque antiquis longe præstantia ; bello
Vertimus haud longo, nec multo milite septi
Auspicibus Divis, qui lævam in pectora mentem
Indiderint prisco Cadmi de sanguine natis :
Ne tu igitur patribus dicas, jactesque minores .
Talia fundentem Diomedes increpat ardens :
Hæc mitte, o Sthenele, haud nobis jus, fasque supremo
Succensere duci proprias in bella cohorteis
Hortanti Danaum : hunc etiam laus tota sequetur,
Gloriaque, Argivi stratis si Troibus, urbem
Ceperimus Priami ; cæsis hunc luctus Achivis,
Dedecus atque ingens : quapropter in arma ruamus.
Hæc data pars nobis bello, commissaque cura est
Hæc fatur, bijugesque furens, currumque relinquens.
Desilit in terram : properanti pectora circum
Horrendum insonuere arma, ac velut æquore in alto
Paulatim adsurgit Zephyris crispantibus olim,
Deinde allisa fremit terris, litusque sonorum,

V. 382. *Ore quidem melior*. Hæc Agamemnon veluti indignatione correptus evomuit, non quod reapse ita sentiret. Unde & Horatius, *Ecce furis te reperire atrox. Tydides melior parte*.

V. 395. *Hæc mitte*. Pulcherrima sententia, qua Diomedes & strenuus simul, & majoribus obsequens ostenditur, quique adversum se dicta non contumeliosis in Regem verbis ; sed factis refutare conaretur, ut alibi.

Et cava saxa super spumam salis exspuit unda,
Sic Danaum confertæ acies hinc, inde recursant,
Imperium ac tacitæ ductorum quæque suorum
Observantque, paventque, ullam nec pectore vocem
Dixeris esse viris. Strictis seges ensibus horret,
Armorumque procul perstringit lumina fulgor.
Ast magna veluti in caula stant sæpe bidentes
Pastorem circum innumeræ, turgentia donec
Ubera mulgentur, vallesque nemusque propinquum
Balatu matrum, atque agnorum implentur acuto,
Haud secus Iliacus miscetur murmure campus.
Nec siquidem clamor, nec vox erat omnibus una,
Linguaque mixta viris, habitus quam barbarus ollis;
Et mores, patriæque domus, peregrinaque tela.
Mars Teucros agit in pugnam: sed Pallas Achivos.
At Fuga, Terrorque, & scissa Discordia palla,
Terribiles viso formæ media agmina turbant,
Mavortis soror, atque comes Discordia, quæque
Parva quidem primo, mox sese adtollit in auras,
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.
Jamque acies infensa virum simul utraque in unum
Convenere locum, pede pes, densusque viro vir,
Et clypei urgentur clypeis, tum pulvere cæco,
Armorumque simul strepitu, gemituque cadentum
Mars utrinque furit, fluit atri sanguinis unda,
Atque velut rapidus montano vortice torrens
In cava saxa ruens, atræque voraginis alveum,
Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores,
Præcipitesque trahit silvas: stupet inscius alto

V. 409. *Tacitæ*. Hoc & sequentibus versibus, adjunctaque comparatione Græcorum ac Teucrorum diversa disciplina monstratur.

V. 425. *Parva quidem*. Hos versus ad Famam transtulit Virg. in 4.

V. 428. *Pede pes*. Loquutionem hanc Virgilius ab Homero mutuatus est in 10. unde alii Latinorum.

V. 432. *Atque velut rapidus*. Hanc comparationem Latinam fecit Virgilius in 2.

Accipiens sonitum saxi de vertice pastor,
Haud aliter turmis pugnantibus, undique clamor
Exoriturque virum, & fremitus crebrescit equorum.
Tuque Thalysiade telis, Echepole, Pelasgis
Prime cadis, setis galea haud te insignis equinis
Juverit, infixum fronti penetrabile ferrum
Antiochi subit ora manu, tum lumina densis
Clauduntur tenebris, & magnæ turris ad instar
Mole premit terras, Elephenor calce prehensum
Calchodontiades magnorum ductor Abantum,
Quem procul ab telis armis spoliare parabat,
Incassum tamen; Iliaco nam ex agmine Agenor
Pendentis costam, & ferro latus haurit apertum:
Olli continuo solvuntur frigore membra.
At circum Troum, ac Danaum pugna aspera surgit,
Atque lupi veluti perduntque, caduntque vicissim.
Anthemionis erat cœlebs florente juventa
Gnatus, quem genitrix fluvii Simoentis ad undam
Idæi peperit veniens ab culmine montis,
Quo visura greges, dulceisque sequuta parenteis
Contulerat sese, hinc nomen Simoisius olli.
At misero haud quaquam charis genitoribus ulla
Præmia pro tantis licuit persolvere curis
Præcocibus domito fatis. Telamonius Ajax
Nam petit adverso venientis pectora telo,
Perque humerum ad tergum duplicato vulnere adegit.
Ille cadit, placidæ quondam ceu ad stagna paludis
Populus alticomo consurgit vertice ad auras,
Quam faber, aut volucrem meditatus flectere in orbem,
Temonemve altum excidit rutilante bipenni,
Illa autem herbosas propter jacet arida ripas.
Haud secus Anthemidem juvenem Salaminius heros
Exutumque armis, deformem ac pulvere linquit.

V. 440. *Prime.* Vocativus pro nominativo Græco more.

Ajacem contra ingentem jacit Antiphus hastam
Priamides varium indutus thoraca, sed illum
Numina servarunt; Leuci, qui fidus Ulyssi
Venerat in Phrygiam socius, subit inguina cuspis.
Sternitur ille Ithacum propter, manibusque cadaver
Excidit, ut spoliis inhians id forte trahebat.
Infremuit miseri sortem indignatus amici
Neritius ductor, clypeoque, atque ære coruscus
Emicat in medios Phrygia agmina circumspectans,
Dein telum jacit intorquens, toto æquore cedunt
Dardanidæ: stridens vacuum secat aera cornus
Democoonta petens, pingui qui nuper Abydo
Patre nothus Priamo Iliacas advenerat arceis,
Pervaditque viri simul utraque tempora ferro.
Volvitur exanimis, super arma dedere fragorem
Horrificum, ac duro clauduntur lumina somno.
Tum vero primi Teucrorum, atque ipsemet agris
Hector abit, Danai clamorem ad sidera tollunt
Certatim, spoliisque cadentum onerantur opimis,
Intrassentque urbem; summo sed culmine tecti,
Pergameæque arcis casum indignatus Apollo,
Quis metus, o cives, quis vos pavor urget inerteis?
Trojani, exclamat, mortali urgemini ab hoste
Mortales, totidem vobis animæque, manusque,
Nec lapide, aut duro Graiis sunt corpora ferro,
Ut possint valido haudquaquam diffindier ictu,
Non etiam Thetidis pugnat fortissima proles,
Sed procul ad naveis irarum decoquit æstus.
Intonat hæc Deus; at Grajos Jove gnata Minerva
In pugnam ciet, atque acies cursatque, recursatque.
Hic Amaryncidem implicuit Diorea fatum:
Ab Piro Imbraside inflicto cui malleus ictu
Tunditur, at nervos geminos pedis, ossaque dextri
Comminuit saxum: devolvitur ille supinus
Ad socios cum voce manus, ac lumina vertens,
Sed frustra; Pirus nam protinus advolat, atque

Digitized by Google

Fervidus infixo rimatur viscera ferro:
Imbrasides Pirus Thraces qui in bella comanteis
Duxerat ex Æno: hunc contra consurgit in hastam,
Intorquetque Thoas Ætolus, pectora cuspis
Dissecat, atque hærens calido in pulmone tepescit.
Emicat inde Thoas, telumque ab pectore vellit,
Spirantisque uterum districto perforat ense.
Non tamen arma viri cupido cessere Thoanti,
Undique nam socio defenditur agmine corpus
Pugnantum Thracum, atque hastilia longa trementum.
Sic geminos pariter ductores funere acerbo
Sustulit atra dies, Thraces hic, alter Epeos
Egerat in Phrygiam: hos circum sine nomine Grajum
Ingens turba jacet, Teucrumque; at viribus æquis
Interea certant reliqui, reprehendere quisquam
Nec facile: alterutri aut posset concedere palmam,
Incolumem ab telis Pallas Tritonia siquem
Per medias ageret pugnantum hinc, inde cohorteis.
Usque adeo paribusque armis, animisque resistunt
Hinc, atque hinc, pulchramque petunt per vulnera famam.

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Diomedes Minervæ auxilio strenue rem gerit, pluresque hostium interficit, Venerem ad manum vulnerat in Æneam irruens, quem Apollo nube tectum prælio eripit. Tlepolemus cum Sarpedone congreditur, ab eoque interficitur. Diomedes item ope Palladis Martem in ventre vulnerat, quem ab Jove increpitum Pæon sanat.

Tydidæ interea divinum in pectora robur
Indidit, atque animos Pallas, nec sævior alter
Confertas acies Teucrorũ, atque agmina turbat,
Cui ex capite, atque humeris, galea, clypeoque corusco
Multa ardet flammma, Oceani ceu lotus ab unda
Sanguineo exurgens collucet Sirius igne.
Hunc Dea per campos, qua confertissima pugna,
Ire jubet, forte hic Dares, qui ditior unus
In Teucris erat, atque probus, magnique Sacerdos
Vulcani, geminam prolem invitusque, dolensque
Miserat in pugnam, armorum, Martisque peritos,
Idæum, Phegeumque: pedes prior, alter ab alto
Pugnabat curru: hic hastam Diomedea contra
Stridentem jacit, illa humerum super irrita lævum
Evolat; at non Tydidæ frustrata per auras
Cuspis iit, juvenis sed pectora perforat ictu.
Volvitur ille excussus humi: fugit illicet Euris
Ocyor Idæus, nec fratrem ulciscier audet,

V. 6. *Sanguineo*. Hanc comparationem adhibuit Virg. in 10.

Digitized by Google

Nec meminit biiuges, pictos neque flectere currus.
Illum Vulcanus, misero solatia patri,
Nube cava tegit, ac magno tutum eripit hosti.
Ast heros sociis ad naveis vertere charis
Mandat equos, volucresque rotas, fulgentiaque arma.
Obstupuere animis cernentes talia Troes.
At Pallas fratrem adloquitur sic callida Martem:
Mars age, pernicies hominum, Grajosque sinamus,
Dardaniamque manum sese inter cernere ferro,
Vicerit is, cui fata dabunt, ac Jupiter æquus:
Sic effata Deum vicini ad fluminis undam
Florenti locat in ripa. Dant terga Pelasgis
Dardanidæ subito, ac toto cæduntur in agro.
Magnus Halizonum ductorem exturbat Atrides
Sublimi ab curru, telumque in pectore figit:
Idomeneus Phæstum Boro de Mæone natum,
Scandentemque rotas ingenti dejicit ictu
Dextrum humerum subter, terram petit ore cruento
Ille ruens, & nigra oculos circumtegit umbra.
Exanimum famuli spoliant: Menelaus Atrides
Progenitum Strophio telo prosternit acuto
Pectora transfossum, nec virginis arma Dianæ,
Profuit aut misero quicquam, quod montibus olim
Venator cursu, & longe fallente sagitta
Aut pavidum leporem, aut rabidos incesseret apros:
Meriones Phereclum fugientem cuspide sistit
Harmonidæ prolem, multa quem instruxerat arte
Ligna secare manu, atque omneis convertere in usus
Docta Minerva, rateis Paridi molitus & ipse est,
Heu Trojæ caput ingentum, causamque malorum,
Perniciemque sibi, Divum qui oracula lævum
Torserit in sensum, demens: huic ile sub imum
Hasta subit, petit inflexo tum poplite terram
Multa gemens, tristemque animam sub Tartara fundit.
Ast Antenoridem Pedæum, pulchra Theano
Quem placitura viro tectis nutriverat altis

Dilectam ut prolem, quanquam de pellice natum,
Phylides petit, hasta truci subit occiput ictu,
Purpureamque ima linguam ab radice revellit,
Oraque pervadit, tum corpore labitur ægro,
Et gelidum chalybem moriens premit ore tenaci.
Hypsenor magni Dolopionis inclyta proles,
Quem numen veluti summo dignantur honore
Dardanidæ addictum sacris, temploque Scamandri,
Eurypili fugiens humerum percussus ad altum
Ense cadit, procul ab reliquo stat corpore in agris
Dextera trunca, micant digiti, ferrumque retractant,
Ferrea nox oculos olli nigra obruit umbra.
Talia per campos; at non Diomedea nosses,
Trojanasve scias, aciesve sequatur Achivas.
Non sic aggeribus ruptis quum spumeus amnis
Fertur in arva ruens cumulo, camposque per omneis,
Et sata læta boum sternit, juvenumque labores,
Nec patitur pontem, quum Jupiter humidus Austris
Torquet aquosam hiemem, & cœlo cava nubila rumpit.
Usque adeo furit in mediis, atque agmina turbat.
Non tulit has furias, stragemque Lycaone natus,
Incurvosque arcus contra, celeremque sagittam
Tydidem intendit: liquidas volat illa per auras,
Figitur atque humero, loricæ qua dabat aptum
Commissura locum, & partem pervadit utramque.
Tum manus, & nigro fœdatur sanguine thorax.
Pandarus exultans, hac, hac toto impete Troes,
Ingruite, exclamat, Tydidem hæc dextera lætho
Pene dedit, Grajos qui inter fortissimus audit.
Haud etenim dura confossus cuspide vivet
Ille diu, vere ab Lycia tellure profectum
Jupiter hæc quondam si me in certamina adegit.

V. 65. *Dextera trunca*. Quia simile de Tymbro Virg. in 10.
V. 69. *Quum spumeus amnis*. Comparationem hanc imitatus est Virgilius partim in 2, partim in 9.

Talia jactabat, læthali nec tamen ictu
Tydidem domuisse datum, retro ille Pelasgum
Inter equos, interque rotas pede restitit altas,
Tum sic adloquitur Sthenelum: Capaneja proles,
Huc propera, atque humero hoc Lyciam convelle sagittam.
Actutum paret Sthenelus, currumque relinquit,
Eximit atque manu ferrum, tum largus utrinque
It cruor, & tenueis tunicas, atque inficit artus.
Ast heros cœlum adspectans sic voce precatur:
Audi me, armipotens Pallas, Jove nata parente.
Siqua tuis unquam auspiciis victoria Tydeo,
Contigit aut nobis duro in certamine, nunc o
Aspera virgo fave, telique venire sub ictum
Trojanum concede virum, qui vulnere nostro
Gestit ovans, nec me cœlesti vescier aura
Posse diu jactat. Clamantem talia Pallas
Audiit, ac subitum immisit per membra vigorem,
Perque manus, celeresque pedes, dein talibus infit:
Macte nova virtute, Phrygesque invade superbos,
Namque patris vireis, patriumque in pectora robur
Indidimusque tibi, & quæ nunc obducta tuenti
Mortaleis hebetat visus, dimovimus umbram,
Divorum, atque hominum veros ut noscere vultus
Pugnantum possis, nec tu immortalia contra
Numina ferre manum, telumve impellere tenta,
Idaliam præter Venerem, quam cuspide acuta
Nil violare veto. Tantumque effata recessit.
Tydides subito medios contendit in hosteis
Terque, quaterque magis firmatis robore membris,
Ac veluti pastor per ovilia plena leonem
Quum ferro petit, at penitus non conficit ictu,

V. 107. *Et quæ nunc obducta*. Hæc ab Diomede ad Æneam transtulit Virgilius Æneid. 2. Aliter enim nec Venerem adspicere, nedum ferro invadere potuisset.

Tam magis acrem animum, ingenteisque exsuscitat iras.
Ille fuga stabula alta petit, fremit horrida circum
Bellua, lanigerumque pecus mactatque, trahitque,
Horrendum visu, ac toto grassatur ovili.
Haud secus Iliacis Diomedes sævit in agris,
Astynoumque hasta percussum ad pectora, & ense
Percussum magno prosternit Hypenora Regem,
Atque humerum ab dorso, & molli ab cervice revellit.
Inde ruens Polyidum, & fortem sternit Abantem,
Eurydamante satos, cui præscia munere Divum
Somnia nosse datum; sed non per somnia tristem
Gnatorum infelix valuit prænoscere casum.
Phænopis hinc prolem geminam, solatia tota
Longævi patris, Xanthumque, Thoonaque ferro
Dejicit. Ah luctus misero, mœrorque parenti,
Cui charos iterum licuit non cernere vultus,
Nec reduces inter pingueis partirier agros,
Quæsitas & opes. Chromium his, & Echemona magnum
Laomedontiadæ Priami duo pignora jungit,
Atque bovis veluti, aut pascentis prata juvencæ
Cervicem super accumbens vorat ore cruento
Torva fremens leo, Priamidas sic fervidus heros
Deturbat curru, & fulgentibus exuit armis.
At satus Anchisa furia commotus acerba
Per medias graditur turmas, strepitumque frementum,
Vestigatque, Lycaonides si qua ampla per arva
Occurrat sibi, quem cernens sic voce profatur:
Pandare, quo tibi jam nervi, volucresque sagittæ,
Et nomen Lyciis quæsitum in saltibus ingens?
Huncne potes nostras turbantem cæde phalanges
Ferre virum? sive ille hominum, sive ille Deorum
Gente satus, merito qui forte orbatus honore,
Tot Troum indignans animas demiserit orco,
Nam gravis ira Deum est. Jactanti talia, contra
Pandarus hæc: O Teucrorum clarissime ductor,
Tydidæ hinc veros videor mihi cernere vultus,

Prælongamque hastam, & clypeum, biiugesque frementeis.
Quis tamen an falsa lateat sub imagine numen
Scire potis? Tydei certe si filius ille est,
Haud unquam, reor, hæc Divum sine numine præstat.
Est Deus hic, Deus hic quisquam, immortalia circum
Pectoraque, atque humeros tenui caligine tectus
Pugnatori adstat, pellitque ab corpore tela,
Num nostro potuit demitti in Tartara ferro?
Percussumne humero an saltem dare terga coegi?
Divi, inquam, prohibent, infensaque numina Teucris.
Sed nec equi, currusve mihi: bis quinque corusco
Ære renidenteis genitoris in ædibus amplis
Arte laboratos multa, tectosque reliqui.
Bis denum hos circum præstantia corpora equorum
Hordeaque, & solitas carpunt præsepibus herbas.
Atque senex rerum expertus, Martisque Lycaon
Plura quidem mandata dabat, biiugesque, rotasque
Iliaca in pugna jussit me opponere Graiis.
Visum aliter nobis, ne fors siqua aspera septis
Murorum Teucros, sociumque includeret agmen,
Pabula deficerent, plena ad præsepia suetis
Gramina lecta manu, atque herbas gustare recenteis.
Sic pedes huc veni, (satius parere fuisset
Hortanti genitori) arcu, Lyciisque sagittis,
Et pharetra instructus, quæ pondus inutile nobis
Heu toties fuerant instanti in Marte futura.
Namque Atreo, Tydeoque satum configere acuta
Cuspide conatus, nigrum ex utroque cruorem
Manantem vidi; ast animas auferre nequivi,
Iram acui magis, atque accendi vulnere vireis.
Infaustis ideo alitibus, Divisque sinistris
Servatosque diu, fixosque penatibus arcus
Diripui Trojæ pingueis venturus in agros,
Quos, si iterum patriam Lyciam, dulceisque parenteis,
Et charam uxorem, liceatque revisere gnatos,

Digitized by Google

Hoc humeris caput hostilis mihi demetat ensis,
Confractos nisi ego crepitantibus ussero flammis,
Frustra humeris onus, inventos neque Martis in usus.
Dixerat hæc, placido Æneas cui Trojus ore:
Ne tu, ait, hæc loquere, hinc aberis non, chare, priusquam
Curribus hanc, & equis ab nostro avertere pestem
Conemur campo: hos propera conscendere currus.
Experiere, cito quam se per gramina cursu
Troes agant biiuges, seu adversos tendere in hosteis,
Sive secare fuga campos juvet, ab Jove rursum
Contigerit Tydei si fors victoria gnato.
Hæc Anchisiades, cui talia Pandarus infit:
Parebo hortanti; at currum, volucresque jugaleis
Ipse regas, nota aut ruere, aut consistere voce
Quandoquidem soliti, totos ne forte per agros
Correpti subita cursent formidine, in urbem
Si fugere expediat, murosque redire sub altos,
Mirati vocem insuetam, ductumque magistri.
Propterea currum, & pictas modereris habenas
Tu magis, hostem nos ferro excipiemus acuto.
Vix ea, conscenduntque rotas, campoque feruntur
Tydidem contra, Sthenelus cui talia fatur:
Tydeo gnate viden' quanto par nobile cursu
Te petit heroum? procul hinc fuge: Pandarus alter,
Alter Acidaliæ Veneris de sanguine cretus
Æneas Anchisiades, queis martius ardor,
Parque animi robur. Suadentem talia ductor
Audiit Ætolus, torvoque hæc addidit ore:
Mene fugam capere? aut magnum Diomedea jactet
Terga dedisse sibi Trojano ex agmine quisquam?
Sunt mihi adhuc solidæ robusto in corpore vires,
Nec trepidare sinit præsenti numine Pallas.
Sed nec equi, currusve placent, pedes obvius ipsis
Ire paro: non hos geminos ad Pergama retro
Cornipedes referent, si fatum effugerit alter.

Digitized by Google

Tu (mihi si armipotens dabit hanc Tritonia laudem,
Utrumque ut possim fulgenti sternere ferro)
Hos biiuges ubi suspensis religaris habenis
Mitte, precor, procul & campis avertere bigas
Trojani Æneæ nostra in tentoria cura.
Illorum quoniam veniunt ab semine equorum,
Quos rapti pretium Ganimedis Jupiter olim
Altitonans Troj dederat, nec enim axe sub alto
Nobilior stirps ulla fuit. Clam Dardanus heros
Hinc Rege, immissis suscepit semen equabus.
Sex olli geniti, quatuor præsepibus altis
Crebra lavat, multaque sinit pinguescere avena.
Hos gnato geminos pugnas concessit in acreis.
Si tulero hos, feriam sublimi vertice cœlos.
Hæc ait, Æneas, claroque Lycaone natus
Interea adproperant, prior & sic Pandarus infit;
Haud equidem potui, Danaum fortissime, telo
Te volucri, & Lycia nuper domuisse sagitta,
Experiar mage sit ferro penetrabilis hasta.
Dixit, & ingenti contorsit turbine pinum,
Perque moras clypei septemplicis ærea cuspis,
Thoracemque meat varium, atque hinc lassa resedit.
Pandarus, hoc habet, exclamat, percussus ad ile
Æternum decus huic dextræ, metuende, jacebis.
Errasti, miser, haud ulla formidine pulsus,
Dux Ætolus ait, sed non vos Ilion ambos
Excipiet reduces, quin fatis debitus alter
Invictum effuso satiarit sanguine Martem.
Dixerat, intorsitque hastam, quam Pallas in ora,
Inque viri nasum, atque oculos direxit ovantis,
Extremamque olli linguam rigido abscidit ære,
Perque imum egreditur mentum; de curribus altis
Tum non sponte ruit: super arma dedere fragorem
Splendidaque & varia, atque animam sub Tartara fundit.
At Trepidos biiuges subito in discrimine linquens
Irruit Æneas, corpusque tuetur amici

Et clypeo ingenti, & longa fortissimus hasta,
Atque leo veluti parteis se vertit in omneis
Vociferans, mortemque oculis, ferroque minatur.
Tydides procul immani stans pondere saxum
Corripuit facile, adversumque intorsit in hostem.
Non illud magno ab terra convellere nisu
Bis gemini auderent juvenes, quos hæc daret ætas,
Percusamque viri coxam, nervosque refregit
Labitur in genua Æneas, terræque recumbit
Robusta innixus dextra, tum lumina densis
Turbantur tenebris, luxque olli extrema fuisset,
Diva parens nisi prostratum complexa lacertis
Fovisset gremio, & nitido obtexisset amictu
Subductum pugna, & furiis Diomedis acerbi.
At mandatorum Sthenelus non immemor, acreis
Linquit equos, subitusque ruens in castra comanteis
Æneæ biiuges Teucrorum ex agmine abegit,
Deipiloque dedit tentoria ad alta ferendos,
Quem reliquos super ingenti dignatur honore
Moribus, atque ætate parem; dein concitus heros,
Ad proprias iterum turmas, currumque reversus
Tydidem cursu adsequitur: forte ille per agros
In Veneris numen furiata mente ruebat,
Quippe Deam imbellem, nec pugnarum arte cruenta
Noverat insignem, qualis Tritonia virgo,
Sanguineque, & tristi gaudens Bellona ruina.
Ergo manum Divæ ferrata cuspide pungit
Mollem, lacteolam tenui sub veste latentem,

V. 265. *Non illud*. Unde natum Virgilianum illud saxum in 12. Hinc lepide Juven. Sat. 15.
„ Nec hunc lapidem quali se Turnus, & Ajax,
„ Vel quo Tydides percussit pondere coxam
„ Æneæ, sed quem valeant emittere dextra
„ Illis dissimiles, & nostro tempore natæ.
„ Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero.
„ Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.

Digitized by Google

Quam ternæ adsiduo Charites nevere labore.
Tum cute rescissa immortali ab corpore fluxit,
Non sanguis, nec enim summorum corpora Divum
Sanguine concrescunt, suetas mortalibus escas
Non illi soliti, aut gustare liquentia vina,
Verum Ichor, qualis Divis solet esse beatis.
Illa dolens gnatum viridanti in gramine linquit,
Quem multa obductum caligine Phœbus Apollo
Præstitit incolumem, Danaum ne forte jacentem
Quis peteret ferro, atque animam demitteret orco.
Tydides torvum infrendens: Quid, bellula, clamat,
Huc ades? arma viris, pugnasque relinque cruentas.
Cura tibi insanos juvenes, molleisque puellas
Decipere, & choreis, blandisque præesse hymenæis.
Sic ait, illa altos fundens è pectore questus
Secessit campis, mœrentem amplectitur Iris,
Abducitque procul strepitu, manus ægra tumescit
Interea, & molleis livor niger inficit artus.
Prospicit hinc læva Martem de parte sedentem.
Olli hastam, currumque atra caligine nubes
Densa tegit, supplex lacrimis cui fatur obortis
Alma Venus: Siqua est nostræ tibi cura salutis
Frater equos, currumque mihi lagire precanti,
Quo Superum veniam in sedeis, & culmina Olympi,
Vulnere nam crucior, Tydei quo filius asper
Mulctavit miseram: Divos pugnarit in omneis
Ille furens, summumque Jovem. Sic deinde loquuta
Concessos scandit currus, Thaumantias una
Et scutica, & pictis bigas moderatur habenis.

V. 290. *Non sanguis*. Deorum corpora longe nostris puriora, ac defæcatiora esse Homerus, & omnes Antiqui Philosophi crediderunt, unde illud Velleii apud Tullium Diis *non corpora, sed quasi corpora esse, nec sanguinem, sed quasi sanguinem*. Quin & priores Ecclesiæ Patres Platonicis opinionibus imbutos ignea, & ærea corpora Dæmonibus, & Angelis tribuisse alibi multis eorum testimoniis firmabimus.

Ut ventum ad cœlos, Divorumque aurea templa,
Cornipedes Iris satura ad præsepia ducit.
At Dea solicitæ gremium complexa Diones,
Aspice, ait, laceramque manum, plagamque rubentem,
O Genetrix, hoc me violavit vulnere sævus
Tydides, charum Æneam subducere pugnæ
Dum propero, ingenti percussum pondere saxi.
Non etenim in Teucros Danai jam bella comantes,
Sed Divum cum gente gerunt. Sic fatur, at ipsam
Lugentem mater niveis amplectitur ulnis,
Demulcensque manu, perfer, charissima, dixit,
Plura alii quondam, gravioraque Cœlicolarum
Pertulerunt, hominum generi dum sæpe faventum
Numina dissensere Deum. Mars ferreus ipse
Vinctus Aloida ab gemino, fortique Ephialte,
Atque Oto mensem, ac solidum permansit in annum,
Constrictus nodis, caveaque inclusus ahena.
Æternumque miser jacuisset carcere cœco,
Ni prope confectum hortatu, ductuque Eribeæ
Mercurius tetro furtim eripuisset ab antro.
Pertulit & Divum Regina tricuspide telo
Amphitruoniadæ ad dextram percussa papillam,
Tormenti genus! Infernum quid, gnata, Tyrannum
Commemorem? Stygiæ primo quem in limine portæ
Idem humero est ausus volucri violare sagitta,
(Ille citus cœlos, fraternaque templa petivit,
Pectoraque, & crudo perculsus membra dolore,
Quem Pæon facile sanavit suavibus herbis,
Mortali nec enim fuerat de semine cretus)
Improbus, atque audax, laudi qui duxerit, omni
Crimine fœdari, Superosque lacessere telis.
Palladis in te nunc jussu desæviit atrox
Tydides, non ille memor, prudensque futuri.
Haud etenim longos vitam producere in annos
Fas cuiquam, magnos ausus, qui spernere Divos,
Vel sacra temerare manu, nec cæde reversum

Digitized by Google

Blandi illum ad genua gnati dixere parentem.
Id metuat saltem secum ne fortior alter
Te, Dea, congressus victricibus exuat armis,
Et vacuos complexa thoros, complexaqus natos
Ægialæa dolens proles pulcherrima Adrasti
Defleat indigno Diomedea funere raptum,
Virgineam niveo posuit cui e pectore zonam.
Hæc memorat, simul humorem Dea pulchra fluentem
Ambabus tergit manibus, pellitque dolores.
At Superum Regem Pallasque, & candida Juno
Conveniunt, prior & Patrem Tritonia blandis
Adgreditur dictis: Veneris miserere dolentis,
O genitor, namque Argivam officiosa puellam
Semiviro cuidam dum fœdere nectit amoris,
Hortaturque manu mulcens, ut fida maritum
Æquoreum per iter, Phrygiasque sequatur ad oras,
Aurea lacteolam perstrinxit fibula volam.
Sic ait insultans, subrisit maximus olli
Divorum pater, atque hominum, Cypriamque benignis
Adloquitur verbis. Non te, charissima, pugnæ,
Armaque dura decent, ea Martis munera sunto,
Palladis aut sævæ: tibi blanda accendere amantum
Jurgia concessum, atque animos Divumque, hominumque
Imperio regere, & placidis exurere flammis.
Interea Æneam Diomedes numine quanquam
Protectum Phœbi ter ferro invadere pergit.
Ter Deus audentem vi reppulit, ultima tandem
Tentantem increpitat, torvoque hæc intonat ore:
Tydeo gnate, quid æthereis contendere Divis
Audes mortalis? nec enim stirps una Deorum est,

V. 371. *Cypriamque*. Ita dicta Venus a Cypro insula, ubi singulariter colebatur, unde illa apud Virgilium
,, Est Paphes, idaliumque mihi, sunt alta Cythera ,,.
V. 379. *vi reppulit*. Primam in eo verbo produxit etiam quandoque Virgilius:
,, Reppulit, & geminos erexit crinibus angueis ,, *in* 7.

Terrigenumque hominum, similisve in pectore virtus.
Cede loco. Hæc inquit: retro vestigia torsit
Iratum veritus Phœbum Ætolus Diomedes.
Ast Anchisiadem pugna procul egit Apollo
Pergameam in sedem, atque sibi surgentia templa.
Hic olli nemorum cultrix soror, almaque mater
Solicitæ lectis curabant vulnera succis;
Nube Deus tenui; at vacuam sine viribus umbram
In faciem Æneæ (visu mirabile monstrum)
Dardaniis ornat telis, quam Troja propter,
Atque Argiva manus magno turbante tumultu
Undique concurrunt: cæduntur pectora circum
Tergora magna boum, atque leves sine pondere parmæ.
Tum Phœbus Martem indomitum sic ore lacessit:
Mars, hominum domitor, Tydidem avertere campis
Nonne voles? trux ille Jovem pugnaret in altum.
Nec Veneris violasse manum satis: insuper in me
Terque, quaterque ruit demens, & robur, & arma,
Membraque par Divis, nec plura effatus in arceis
Pergameas properat, Xanthum, pugnasque relinquens.
Mars subito dios vultus, mentitur & ora,
Fitque Acamas Thracum ductor, totosque per agros
Priamidas vocat in pugnam, clamatque tremendum:
O summo dilecta Jovi, Priameja proles,
Cessatis trepidi, & Graiis succumbere telis
Adspicitis Teucros, portarum ad limina donec
Agmina tota ruant? jacet, en, fortissimus armis
Æneas Anchisiades, nos Hectora juxta

V. 390. *Nube Deus*. Versus Virgiliani ex hoc loco desumpti in 10. ubi Turno similem Æneæ umbram Juthurna soror objicit.

V. 399. *Violasse manum*. Proprie violasse dicitur. Quid enim magis sacrum, & colendum Diis ipsis? Unde Virgilius Diomedem ipsum ita loquentem inducit in 11.

„ Quum ferro cœlestia corpora demens
„ Appetii, & Veneris violavi vulnere dextram „.

Quem sueti colere, audemus, vel cedimus agris?
Hæc ait, accenditque animos, huic jungitur ingens
Sarpedon, dictis atque Hectora pungit amaris;
Maxime Priamidum, quo jam furor, iraque cessit?
Jactabas te etenim externo sine milite, Grajos
Pulsurum Troja, jacturum & puppibus ignem
Nunc, quum bella manus poscunt, velut ægra leonem
Turba canum fugitis pavidi, ac torpetis inertes,
Tuque, Phrygesque tui; ingentis socia agmina pondus
Portamus pugnæ. Ab Lycia, Xanthique fluentis
Namque profectus ego, pendentis ab ubere gnati
Immemor, & charam uxorem, patriamque relinquens,
Ingenteis & opes Trojæ pro mœnibus altis
Bella gero, nec enim Lyciis est crimine ab ullo
Infensa, aut in me peccavit Græcia quicquam.
Quare age, Te nam ductorem decet, agmina Troum,
Delectosque duces sociorum in prœlia tecum
Voce, manuque voca. Hæc fatur, mentemque momordit,
Hectoreumque animum: fulgentibus asper in armis
Actutum salit ab curru, atque hastilia quassans
Bina manu, magnis instigat vocibus alas
Firmantur Troes, consistuntque agmine denso.
Stant Danaum confertæ acies, nixæque resistunt,
Tum veluti in campis paleæ jactantur inanes
Arte virum, quum flava Ceres spirantibus Euris
Grana legit, stipulamque leveis sinit ire per auras,
Albescit circum tellus, sic arma, virosque
Quadrupedum ab cursu, peditumque immane ruentum
Pulverulenta tegit nubes, cœlumque recondit.
Mars noctem adglomerat Danais, currusque, rotasque,
Et pugnam involvit nimbo, & caligine cœca.
Namque ipsi Teucrorum animos accendere Apollo,
Auxiliumque ollis præstare injunxerat olim
Pallada quum pugna, campis & abire relictis
Adspiceret. Magnum Ænean dein sedibus altis
Robore perfusum insolito medio agmine sistit.

Digitized by Google

Obstupuere animis Troes vegetumque, valentemque,
Urgentemque acies, ultra nec quærere tempus,
Resque sinunt, majusque animis instigat Apollo,
Marsque, & sanguinea frendens Discordia palla.
Tydides Danaos, & fandi fictor Ulysses,
Ajacesque cient gemini, nec territa pubes
Tela, minas contra, strepitumque immobilis adstat.
Et quondam cœli veluti statione serena
Jupiter omnipotens sublimi in vertice montis
Horrisonas cogit nubeis: illæ aere pendent
Immotæ, dum sæva Noti, fratrumque sonantum
Vis silet, æthereos flatu queis verrere cœlos,
Et pelagus miscere datum, sic robora Grajum
Exspectant densata; acies sed ductor oberrat
Multa jubens, nunc, o socii, nunc promite vireis,
Et veriti alterutrum in certam contendite palmam.
Hos Mars, hos fortuna juvat, queis gloria chara est,
Queis dilectus honos: ignavos nulla superstes
Fama manet, tumulique putrescit pulvere nomen.
Hæc ait, atque elapsa manu volat horrida cornus,
Sternitque Æneæ charum, fidumque sodalem
Deicoonta, Pryges Priami ceu sanguine cretum
Quem veriti promptumque manu, Martisque peritum,
Pergasidem, non huic clypeus, non baltheus ictum
Depulit, inque imum delapsa phalarica ventrem
Vitam adimit, magnumque arma insonuere cadenti.
Orsilochum Æneas, Crethonaque mittit in orcum

V. 447. *Valentemque*. Versus hypercatalectos, cujusmodi occurrunt plures apud Maronem, ut, *turres, ac tecta Latinorum*.

V. 458. *Verrere cœlos*. Occurrit apud Maronem similis metaphora in 5. *Adnixi torquent spumas, & catula verrunt*.

V. 471. *Delapsa phalarica*. Hastæ genus latiori, & longiori ferro, cujus descriptionem habes apud Livium lib. 21, ubi earum inventionem videtur Saguntinis tribuere. Dices: Quo ergo jure eam hastam Græcis tribuis? Eodem, inquam, quo Virgilius eam tribuit Rutulo Turno Æneid. 9.

Phera quibus patria est, & clari sanguinis author
Alphæus, Pylios qui flumine perluit agros.
Orsilochum hic populos lata ditione tenentem,
Ille Diocleum genuit, ditissimus auri
Qui fuit in Pyliis, proles huic bina creata est,
Crethonque, Orsilochusque, ambo florente juventa
Auxilium Atridis sacrata in Pergama vecti,
Quo miseros postrema dies, fatumque manebat.
Ac veluti gemini nemorosa ad tesqua leones,
Quos peperit, pavitque altæ sub vertice rupis
Torva parens, jam molle pecus, pingueisque juvencos,
Totaque corripiunt stabula, alto vulnere donec
Transfossi agricolis meritas dant sanguine pœnas.
Haud secus Æneæ juvenes cecidere sub ictu
Abietibus similes ingentibus. Infremit ira
Hæc procul adspiciens Menelaus, & ære renidens
Procedit primam ante aciem, telumque coruscat,
Nam duris animum stimulis Mars improbus urget
Eximium decus Æneæ, Teucrisque daturus
Atrida domito; at Regi jam tela minanti
Jungitur Antilochus; nec magnus robore quanquam
Sustinet Æneas, aliasque evadit in oras,
Illicet ad socios miserorum corpora fratrum
Inde trahunt, pugnamque avidi, Martemque reposcunt.
Ære Pylæmeneus jugulum trajectus acuto
Paphlagonum ductor dextra procumbit Atridæ.
Aurigam Antilochus vertentem ad litora currus
Sternit Atymniadem Mydona, huic candida multo
Frœna ebore ab manibus labuntur pondere saxi
Percusso cubitum ad medium: stricto ocyus ense
Nestorides ruit, atque ictu cava tempora findit.
Vertice tum prono cadit, atque immersus arena,
Namque erat alta loco, curru pendebat ab alto.
Donec equi impacto juvenem excussere flagello,
Quos heros dederat sociis in castra ferendos.
Hos adversum animis ardentibus irruit Hector

Vociferans, Troum sequitur densissima phalanx,
Mars præit, ingentemque manu quatit horridus hastam,
Et fremitum, sævosque ferens Bellona tumultus,
Torva Deum facies, jamque huc vertuntur, & illuc
Horruit adspiciens Diomedes, inscius atque
Ceu quondam celeri camporum ingentia cursu
Emensus spatia, in fluvium quum vortice totas
Stringentem ripas venit, & maria alta petentem
Obstupet adspectans, hæretque repente viator;
Haud secus ille pedem retrahit, sociisque profatur:
O chari, quantus clypeo ruit Hector, & hasta
Bellator, Divum huic quisquam protector ab alto
Semper adest. Mars ipse duci nunc (cernitis) adstat
Membra viro similes, magno vos cedite Marti,
Atque hinc ferte pedem conversi pectora in hostem.
Dixerat hæc, instant Troes, fortemque Menesthem,
Anchialumque Hector curru deturbat eodem,
Accurrit, sortemque horum miseratus acerbam,
Amphium Selagi prolem Telamonius Ajax
Adversum interimit, Paisum cui propter amœnam
Mille greges, totidem carpunt dumeta juvenci.
Laudis amor juvenem, & fatorum immobilis ordo
Laturum auxilium Iliacas duxere sub oras.
Olli imum ad ventrem rimatur viscera ferrum,
Insonuitque cadens: sed non varia arma cadenti
Detrahere, id cupiens, valuit Telamonius Ajax.
Undique nam telis petitur, de corpore longam
Vix magnis potuit convellere viribus hastam.
Cætera sors prohibet, crebro cava tempora circum
Æra sonant galeæ, clypeus nec sufficit ingens
Ictibus, ad sociosque furens, pulsusque recessit.
Ast Heraclidem Tlepolemum in Sarpedona magnum

V. 538. *Crebro cava tempora circum*. Quod de Turno similiter Teucrorum multitudine oppresso Virgilius in 9.

Dira agitant fata, & prefixi terminus ævi.
Jam prope constiterant gnatusque, neposque Tonantis.
Tlepolemus prior hæc: quæ te dementia cepit,
Sarpedon, rudis ut pugnæ in Trojana venires
Litora? Te Jove progenitum nos credere? patri
Fratribus atque, adeo absimilem virtute, manuque?
Amphitruoniades genitor meus Ilion altam
Sex olim ratibus, nec bellantum agmine magno
Æquavitque solo, & campos vastavit opimos,
Laomedontis equos; jurataque pacta redemptæ
Hesiones repetens, quantum tibi robore dispar!
Cui pereunt turmæ, atque utinam tu fortior esses,
Tam mihi præstantem daret hæc victoria laudem.
Sarpedon contra dictis brevioribus infit:
Verterit ille quidem Trojam: haud indigna Tyranno
Sors ea, qui biiugos, ac debita præmia factis
Abnuerit, verbisque animum irritaverit audax.
At tibi ego mortem hoc telo, crudosque dolores
Vaticinor, dabis hunc nobis prostratus honorem
Plutonique animam. Hæc fatur, satus Hercule telum
Fraxineum adtollit, vacuas simul utraque in auras
Hasta manu volat, at mediam Sarpedonis illa
Transadigit juvenis cervicem ferrea cuspis.
Ille ruit, longa clauduntur lumina nocte.
Tlepolemi femus in lævum telum incidit hosti,
Ossibus inque hæret fixum; sed tristia fata
Depulit ab gnato genitor, Lycii agmine facto
Circumstantque ducem, tutaque in parte reponunt
Frendentem, & magno transfixum membra dolore,
Namque hærebat adhuc femori exitialis arundo
Nec sociorum aliquis telum convellere acutum,
Dum trepidant, properantque armis excedere Grajum
Attonitus meminit. Magno clamore per agros
Tlepolemum parte ex alia in sua castra ferebant
Argivi juvenes; sed enim commotus Ulysses
Volvebat secum Jovis an Sarpedona prolem

Digitized by Google

Impeteret ferro, Lyciorum aut sterneret ense
Corpora multa virum; sed non hanc fata parabant
Laudem Ithaco Jovis ut gnatum demitteret orco.
Ergo animum jubet in Lycios convertere Pallas.
Cœranus, Alcanderque cadunt, ac dives Alastor,
Et Chromius, Pritanisque, Halius, fortisque Noemon,
Pluraque bellantum stravisset corpora lætho.
At trepidare fuga Lycios, ac vertere terga
Conspiciens Hector, conferta per agmina pergit
Corpore præstanti, & rutilis notissimus armis.
Turbantur Danai passim, ceduntque, paventque,
Gaudet Sarpedon, mœstumque inclamat eunti:
Affer opem, o, nec me prædam, fortissime Teucrum,
Esse velis Danais, vestræ sub mœnibus urbis
Fata premant sinito, in patrios remeare penateis,
Et charam uxorem, dulcemque revisere natum
Quandoquidem miseri ab Divis prohibemur iniquis.
Hæc ait, ille nihil, rapido namque impete cursus
Fertur in Argivos, properatque avertere campis.
Ductorem Lycii patulæ sub tegmine fagi
Fronde locant viridi, huic Pelagon fidissimus adstat,
Fraxineumque trahit telum de corpore: at ipsum
Deseruitque anima, atque oculis caligo refusa est.
Inde novus membris venit vigor, aura superne
Ut blandam spirans ægros recreaverat artus.
At Danai Martem veriti, & veriti Hectoris arma,
Nec dare terga fugæ, aut audent se credere pugnæ,
Paulatim sed agro cedunt. Quem Trojus Hector?
Quem primum Mars, quem postremū in Tartara adegit?
Diis similis Theutras cadit, & cadit altus Orestes,
Cornipedum domitor, Trechusque insignior hasta,

V. 605. *Quem Trojus Hector*. Simile illud Virgilii in 12.
,, Quis mihi nunc tot acerba Deus, quis carmine cædeis
,, Diversas obitumque ducum, quos æquore toto
,, Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Trojus heros Expediat?

Digitized by Google

Œnopidesque Helenus, magnoque ab sanguine cretus
Œnomaus, pecorumque, ac dives Oresbius agri
Hyla in frugifera ad vitreas Cephissidos undas,
Bœoti pingueis findunt qua vomere glebas.
Ut vero Argivos ruere, increbrescere Troas
Ab cœlo procul adspexit Saturnia Juno,
Palladis armisonæ his accendit pectora dictis;
Gnata Jove, ergone Atridas fallacibus ambæ
Luserimus verbis domituros Pergama flammis'
Pollicite, patriasque domos, & regna parentum
Visuros iterum? Qui vero? ita cæde Pelasgum
Si Martem patimur, sævire, atque Hectora campis?
Quin ruimus contra, paribusque resistimus armis?
Hæc loquitur, paret dicto Tritonia Pallas.
Juno quidem primum phaleris fulgentibus auro
Cornipedes insternit equos, pulchraque parente
Pulchrior ipsa rotas volucres interserit Hebe,
Ferreus has axis, radiosque adstringit ahenos,
Hinc octo, atque illinc, auroque orbile coruscum;
Circulus at geminos orbeis super æreus ambit,
Modiolique graves argento hinc inde coercent.
Tum fulvo intertexta auro retinacula sedem
Distendunt mediam, temoque argenteus inde
In longum excurrit, cui lora jugalia nectit,
Auratumque jugum: celeres huic maxima Juno
Jungit equos pugnamque fremens, cædemque cruentam.
At Pallas peplum, & vesteis discincta fluenteis,
Ipsa manu quondam multo quas neverat auro,
Ædibus in patriis, auro, squammisque trilicem!
Loricam ingentem induitur, Jovis arma parentis,
Ægidaque horrificam, Terror quam pallidus, & quam

V. 639. *Aegidaque horrificam*. Hujus descriptionis partem delibavit Virgilius in 8, ubi de Palladis ægide.

„ Connexosque angues, ipsoque in pectore *Divæ*
„ Gorgona desecto vertentem lumina collo „.

Quo loco Servius, & Ruæus Gorgonem non in Palladis clypeo, sed

Rixaque, & insanus Furor, & sibi conscia Virtus
Undique circumeunt, ipsoque in pectore Divæ
Gorgonis horrendum caput, atque innexa colubris
Ora, Jovis monstrum infandum (mirabile visu!)
Cristatam hinc capiti galeam, cui vertice ab alto
Quatuor adsurgunt coni, magnamque, gravemque.
Illa acies tegeret juvenum, quas Martis in usum
Centum alerent urbes, currus tum scandit in altos
Adproperans, hastamque manu, nodisque gravatam,
Ingentem, validamque capit, qua sæpe maniplos
Illa virum, heroasque domat Jove nata potente.
Urget equos celeres Juno. Crepuere patentes
Sponte sua cœli postes, custodibus Horis,
Claudere queis cœlos, nigroque obtexere nimbo,
Aut reserare datum, recta hinc ad culmina Olympi
Pæcipitant cursum, summo qua vertice terras
Despectat genitor, fatur cui talia conjux:
O Divum, atque hominum pater, atque æterna potestas,
Nonne vides furit ut toto Mars ferreus agro,
Florentumque acies juvenum sternitque, domatque
Jusque, & fas contra? Miseræ mihi cura, dolorque,
Cui Venus, atque arcu insignis succenset Apollo
Dementem stimulans, Divum qui numina contra
Jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.
At tu, chare mihi pater, indignaberis, hunc si
Percussum avertam pugna, atque immane dolentem.
Frater ad hæc: Ipsum contra, tu Palladis arma

---

in anteriori loricæ, sive thoracis parte ad Divæ pectus insculptam fuisse arbitrantur. At Homerus loricam ab Aegide aperte distinguit. Et Ruæus quidem ægidem clypeum interpretatur, at Medusæ caput *non in clypeo*,, inquit, *sed in anteriori loricæ parte ad pectus affixum*. De media autem clypei parte, quæ eo sublato pectori correspondet cur aceipi non possit, equidem non video.

V. 652. *Custodibus Horis*. Hinc pulchre Sannazarius in 3.
,, Insomnes Horæ, namque his fulgentia Divum
,, Limina, & ingentis custodia credita cœli ,,.

Diva cie, toto quæ olli infensissima cœlo est.
Dixerat hæc, parentque Deæ, biiugesque fatigant,
Terraique volant medio, cœlique profundi.
Litoreæ vero quantum alto ab culmine rupis
Prospectus per inane patet super æquora ponti
Tantum cœlestum immortalia corpora equorum
Conficiunt celeri saltu. Jamque arva tenebant
Flavus ubi Simois volventis saxa Scamandri
Miscetur limphis, ibi equos per prata solutos
Propter aquam nebula circum Dea fudit opaca,
Ambrosiamque illis pascendam protulit alveo
Purpureus Simois, cœlo grattissimus amnis.
Illæ, ceu pavidæ nullo clamore columbæ
Adproperant, ventum donec, qua plurima circum
Tydidem stat turba virum, ceu montibus altis
Fulminei vel apri, aut latebrosa ad tesqua leones
Carnivori: hic altum inclamat Saturnia Juno,
Stentoris incessum, vocemque imitata canoram,
Qui tantum ingenti pollebat gutture, quantum
Quinquaginta alii: o forma, non robore clari
Grajugenæ, non Dardanias gens Troja portas
Ultra olim progressa, truceis cristatus Achilles
Quum Dolopum regeret turmas in bella comanteis.
Usque adeo virtusque viri, metuendaque tela.
Nunc tamen urbe procul pugnant, ratibusque minantur.
Tantum effata animos, laudisque inspirat amorem.
At Pallas Tydeo genitum corpusque levantem
Repperit, ac puris siccantem vulnera limphis,

V. 672. *Tantum cælestum*. Nobilissimam hanc hyperbolem commendavit Volterius, & alii Critici.

V. 684. *Stentoris incessum*. Cujus vox in proverbium abiit, inde Juv. Sat. 13.

„ Tu miser exclamas ut Stentora vincere possis „.

V. 694. *Repperit*. Primam hujus præteriti produxit quandoque Virg.

Quæ modo pugnanti inflixit, tua, Pandare, dextra.
Namque olli angebant clypei sub pondere magno
Lora manum, nigroque tumebat plaga cruore.
Constitit illa jugum propter, sicque ore profatur:
At non te similem genuit sibi robore Tydeus,
Mole quidem exiguus Tydeus, sed robore magnus.
Meque etiam invita Thebanas missus ad arceis,
Mensisque, & jussus placidæ indulgere quieti,
Cadmæas genteis (animum cohibere ferocem
Haud potis) auxilioque procul, castrisque suorum
Ore lacessivit, domuitque interritus hasta,
Nostra victor ope; at pugnantem sæpe tuemur
Te quoque, & Iliacas hortamur tendere in arceis.
Ergo vel fessum tardat labor, aut metus ater
Exanimat, neque te Tydei de sanguine natum
Credidero. Hæc Pallas, fatur cui talibus heros:
Agnosco te, Diva, lubens vereorque loquentem.
Nec me, fabor enim, aut fessum labor opprimit ingens,
Aut timor exanimat, tua me, tua jussa coercent.
Namque beatorum occursum vitare Deorum
Jussisti Venerem præter: mandata sequutus
Abstinui pugna, jussique recedere turmas
Vidi ego nam sævum miscentem prælia Martem.
Talia Tydides; at nunc (Tritonia fatur)
Nec Martem indomitum, magnorum aut quemque Deorum
Chare, time, ecce adsum, ac tutum te numine præsto.
In Martem primum biiuges hinc dirige, & ipsum
Ense pete, aut telo volucri, insanumque, malumque
Divorum pestem, atque hominum, qui nuper amicum
Se Danais, Trojæ infensum juraverit hostem
Et nobis coram, & Junonis numine magno;
At nunc in Grajos sumpsit pro Troibus arma
Pactorum oblitus, cœlique irrisor, & Orci.
Hæc ait, atque rotis Sthenelum dejecit ab altis
Ipsa manu, terram ille petit, Dea fervida curru

Tydidem residet propter, tum faginus axis
Dat gemitum ingentem armatæ sub pondere Divæ.
Ipsa acreis moderatur equos, qua forte per agros
Sævus Ochesiadem Mavors spoliare parabat
Præstantem Ætolos inter, belloque superbum
Illicet occisi exuvias Periphantis, & arma
Abiicit ille manu, & magnum Diomedea contra
Æratam totis contorquet viribus hastam.
Incassum tamen, ab curru nam depulit ipsam
Diva manu, contra Tydides turbine multo
Telum agit intorquens; olli subit ærea cuspis
Impellente Dea, cinctus qua nectitur aureus.
Mars hastam trahit inclamans, per gramina quantum
Aut novies, deciesve virum certantia clament
Millia, quum multo crudescunt sanguine pugnæ.
Tum qualis procul apparet caligine nigra
Noctem, hiememque ferens, & crebra tonitrua nimbus,
Talis stellatum cœli conscendere in axem
Mars visus, celeresque fuga prævertere nubeis.
Ut ventum Jovis in sedem, templa ardua Divum,
Sic Patrem adloquitur: Lentusne hæc talia cernes
Summe Parens? hominum generi Dii sæpe faventes
Sæva quidem perpessi alias; discordia cœlo
Ex te natà tamen, libuit cui mittere in auras
Pestiferam hanc prolem, cui jura incognita, fasque
Nam Divum reliqui, æthereus quot claudit Olympus,
Te colimus, tua jussa, pater sequimurque, veremurque;
Hanc autem neque tu dictis, factisve coerces,
Indulges potius tentanti indigna, favesque.
Illa satum Tydeo immortalia numina contra
Impulit, Idaliæ violato corpore. Divæ
Mox in nos etiam (& patefacto vulnere monstrat
Humorem undantem) contorta sæviit hasta.

V. 730. *tum faginus axis*. Hinc illud Maronis de cymba Charontis:
,, Gemuit sub pondere cymba ... Sutilis *in 6*.

Nuncque etiam ingenteis inter tot stragis acervos
Languidus, ac telis perfossus membra jacerem,
Eripui pedibus memet, pugnasque reliqui
Hæc Mavors, torvo quem Jupiter increpat ore:
Quid mœstis nostras obtundis questibus aureis
Hic residens, mihi cunctorum infensissime Divum?
Prœlia te, cædesque juvant, & noxia bella,
Maternumque tibi ingenium indomitumque, feroxque.
Nec sine Junonis jussuque, & numine Pallas
Hæc furere auderet; sævos lenire dolores
Sed præstat, nostro quoniam de sanguine tandem
Diva parens cœli æthereas te effudit in oras,
Quod si non nostro ferres te e semine cretum
Jam dudum gemeres Erebi detrusus ad umbras
Enceladumque infra, & spirantem immane Typhoeum.
Hæc fatus toto quæsitum Pæona cœlo
Adproperare jubet: docta medicamina dextra
Ocyus hic spargit miscens, sanatque dolentem
Candidus ac veluti fici de frondibus humor
Lac liquidum celeri motu cogitque, premitque
In solidum, succis ita suave olentibus omnis
Ardor abit, stetit unda fluens. Hebe inclyta fratrem
Prima lavat, super & dios inspergit odores.
Ille Patrem propter fulgenti in veste resedit
Lætitia exultans: Juno, ac Tritonia Pallas
Ab campis pulso petierunt æthera Marte.

Digitized by Google

LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.

Diis abeuntibus Graci plures Trojanos interficiunt. Heleno autem suadente, Hector urbem petit Matrem hortaturus ut Minervæ vota faciat, quo Diomedem ab campis avertat. Interea Diomedes ipse, Glaucusque jam jam congressuri, agnita paterna amicitia, hospitioque arma permutant. Hector *Matrem Hecubam, & uxorem Andromachem extremum alloquutus cum fratre Paride in prælium revertitur.*

ERgo acies Divis abeuntibus, utraque sævit,
Et rapidus belli jamque huc, jamque impetus
illuc
Per campos furit effusis simul undique telis,
Qua Simois, flavusque secat sata pinguia Xan-
Primus Achivorum columen Telamonius Ajax (thus
Agmina perrupit Troum, rebusque salutem
Adtulit, adversum sternens Acamante creatum
Fortemque ingentemque: olli per cassida setis
Cristatam densis frontem subit ærea cuspis,
Figitur atque alte os intra, tum lumina nigris
Clauduntur tenebris. Tydides conficit hasta
Theutranidem Axylum, pingui qui nuper Arisba
Dives agri solitus cunctos in sedibus amplis
Excipere hospitio, atque opibus recreare benignus;
Sed non ab misero quisquam depellere telum,

V. 8. *Per cassida*. Hic accusandi casus apud Virgilium non occurrit, occurrit vero apud Propertium, lib. 3. Notat vero Servius Virgilium in 11. usum fuisse *cassida* ut nominativo primæ declinationis deducto a Cassida accusativo tertiæ, quod pluribus exemplis firmat, sicut & Ruæus.

Ærumnasque graveis objectu pectoris ausus.
Occidit ille simul simulatque auriga Calesus,
Telluremque ambo vita petiere relicta.
Euryali Dressusque ingens, & Ophelsius ense
Infaustam posuere animam, tum Pedasus, atque
Æsepus, Nais quondam quos Nympha gemellos,
Nais Abarbaree est enixa ex Bucolione,
Bucolion sed enim gnatorum maximus ipse
Laomedontis erat justa non conjuge natus,
Ille greges patrios inter devinctus amore
Hos genuit geminos, ardens quos misit in Orcum
Mecistejades, fulgentiaque abstulit arma.
Astyalum occidit pugnæ doctus Polypœtes,
Percosium vero Pyditem mactat Ulysses
Cuspide transfossum, magnumque Aretaona Teucer,
Ablerum Antilochus splendenti conficit hasta
Nestorides, Elatum Grajorum Rex Agamemnon.
Pedason ille altam liquidum prope Satnioenta,
Feliceisque agros multo vertebat aratro:
Leitus at Phylacum fugientem conficit heros,
Eurypilumque procul telo stridente Melanthus
Viventem capit Atrides Menelaus Adrastum.
Namque metu trepidi hac, illac dum plana jugales
Arva secant, hærentque implexis lora myricis,
Confracto temone virum excussere per agros,
Illum autem multo deformem pulvere Atrides
Corripuit subito, & ferrum, mortemque minatur;
At genua amplexus præfatur talia supplex:
Atreo gnate, sine hanc animam, & miserere precantis.
Est domus alta, jacent penitus defossa talenta
Cœlati argenti, sunt auri pondera facti,
Infectique mihi, ferrique ærisque metallum

V. 44. *Sine hanc animam*. Hunc locum Homericum habes a Virgilio expressum partim in x. de morte Ligeri, partim de Mago.

Arte laboratum multa: pater omnia charus
Hæc dabit, ad naveis salvum si norit Achivas.
Dixerat, atque animum ancipitem jam flectere sermo
Cœperat; at frater cunctantem his increpat ardens:
O quid agis, bone, servandis hæcne hostibus arma,
Et cladem ingentem tot sustinuimus in annos?
Scilicet hæc de te meruerunt prœmia Teucri.
Quin fatum effugiat nullus, nec lacteus infans,
Materni quem claustra uteri interclusa recondunt,
Perfida gens pereat, fundo ruat Ilion imo.
Dixerat hæc: paret Menelaus recta monenti,
Adrastumque manu repulit multa ore precantem.
Irruit Atrides, ferrumque sub ilia condit,
Impositaque super resupini pectora planta
Fraxineum extorquet telum; Nelejus autem
Nestor ad hæc altum clamans: o Marte creati,
Heroes Danaum, exuviarum nulla cupido,
Armorumve animos incœpta ab strage moretur.
Occidamus, ait, totos mox fusa per agros
Corpora trunca virum pulchris spoliabimus armis.
Hæc inquit, movitque animos, atque Ilion intra
Fugissent Grajum trepidi formidine Teucri,
His Helenus nisi Priamides clarissimus augur
Adstantem Æneam, monuissetque Hectora dictis:
Dux Anchisiade, tuque, o fortissime frater,
Quandoquidem ambobus Lyciorum, atque agmina Teucrum
Credita, consilio, atque armis spes maxima gentis,
Vos cohibete aciem, & portis consistite in altis,
Ne uxorum amplexu in misero sternantur inermes;
Nos, quanquam Danaum numero obluctemur iniquo,
(Urget enim labor extremus) conabimur isthinc
Propulsare globos, muroque arcere ruenteis.

V. 49. *Jam flectere*. Hoc quoque ad Æneam transtulit Virg. in 12.

Interea ad sedeis gressum molire paternas
Hector, & amborum dilectam hortare parentem
Palladis ut templum, summisque in collibus arcem
Sublimem petat Iliadum comitante caterva
Dona ferens, peplumque sibi quod charius, atque
Pulchrius ad magnas Priami servaverit ædeis,
Bissenasque simul lecta cervice juvencas
Mactaturam aris voveat, si forte pudicas
Uxores Diva, & gnatos miserata gementeis
Tydidem avertat, quo non violentior alter
Sternit cæde viros, pavidis instatque maniplis,
Nec tantum, reor, in Teucros desæviit unquam
Ipse Dea quanquam Nereide natus Achilles.
Talia suadenti confestim paruit Hector,
Telaque bina manu quassans pedes agmina cursat,
Acceditque animos dictis, pugna aspera surgit,
Firmantur Phryges, atque obversi pectora pugnant;
At Danai pressere pedem, retroque tulere
Cœlicolum quemquam stellata ab sede Deorum
Descendisse rati, & Teucros agitare furenteis.
Hector sed magna compellat voce maniplos:
O cives, sociique acres, gens inclyta bello,
Nunc vireis, animosque, viri, revocate priores,
Dum Deus, & fortuna favet, dumque alta petamus
Pergama nos senibus suasuri, & matribus ægris
Numina ut exorent, onerentque altaria votis.
Dixerat, & muros cursu contendit in altos,
Tum clypei extremus properantis lactea pulsat
Colla, pedesque sonans taurino e tergore limbus:
Interea paribus coeunt in gramine Glaucus
Hyppolocho satus, & Tydeo satus asper in armis;
Jam jamque infestis tentabant prœlia dextris,
Quum prior intrepido Diomedes pectore fatur:
Quisnam, terrigenum fortissime, quove parente
Natus ades? nec enim in pugna mihi cognitus unquam,
Unde viris nomenque ingens, & fama paratur,

Digitized by Google

Antevolans autem reliquos nunc robore fretus
Mecum audes conferre manum, ac te opponere contra:
Infortunatis vero genitoribus orti
Occursare mihi, & soliti expectare ruentem.
At siquis Superum cœlo es delapsus ab alto,
Non ego cum magnis tentarim prœlia Divis.
Nam neque contemptor Divum vixisse Lycurgus
Ille diu fertur, gelido qui in vertice Nisæ
Nutrices ausus Bachi violare bipenni.
Atque illæ abjectis petierunt invia thyrsis,
Bachus præcipiti se misit in æquora saltu,
Exanimemque sinu, ac trepidum formidine fovit
Alma Thetis; Jovis ira tamen pro talibus ausis
Orbatumque oculis, fatuque indigna ferentem,
Invisum Diis Tœnarias detrusit in undas.
Quod si mortali præfers te e sanguine cretum,
Huc propera, invenies vitæ hoc in pulvere metam.
Hyppolochi contra fatur generosa propago:
Quid nostrum genus exquiris, fortissime Grajum?
Una quidem est homini, foliisque virentibus ætas,
Conditio atque eadem; Autumni ceu frigore primo
Illa cadunt, mox vere novo nova germinat arbos,
Progenies sic illa hominum perit, altera surgit.
Sed si tantus amor stirpem cognoscere nostram,
Adgrediar, toto quanquam notissima coelo est.
Urbs Ephyre Argorum colitur fundata recessu.
Sisyphus hanc tenuit sedem astutissimus olim,
Sisyphus Æolides Glauci pater, hocque parente
Bellerophon natus, robur cui munere Divum,
Eximiumque decus formæ: hunc nil tale merentem
Urbe procul patria, Lyciæ amandavit in agros

V. 121. *Lycurgus*. Non Legislator ille celebris, verum alter Thraciæ Rex, Dryantis filius.

V. 134. *Una quidem*. Simile illud Jobi de homine: *qui quasi flos egreditur, & conteritur, & nunquam in eodem statu permanet*.

Rex Prœtus, multas dederat cui Jupiter urbeis
Imperio regere, atque altis dominarier Argis.
Nam juvenem ingenti regina ardebat amore,
Amplexusque optans vetitos, vetitosque hymenæos.
Verum ubi nulla via est animum superare severum
Mentis inops furit, inque odium, sævumque dolorem
Versus amor, nectitque dolos, urgetque maritum,
Ac tibi, vel Grajo moriendum est Bellerophonti,
Prœte, ait, invitam qui me in sua flectere vota
Solicitat, thalamique fidem violare prioris.
Audiit hæc Prœtus, subitasque exarsit in iras,
Et ni Religio cohiberet sancta furorem,
Bellerophontæo fœdasset sanguine dextram.
Hinc subito ad socerum Lyciæ regna ampla tenentem
Ire virum, arcanasque jubet perferre tabellas,
Perniciemque sibi, & cædis mandata futuræ,
Ut Regis ventum ad sedeis, Xanthique fluenta,
Ille novem mactat pingui cervice juvencos,
Et totidem festos celebrat convivia soles.
Post ubi jam decimo Tithonia fulserat ortu,
Tum generi mandata rogat, tabulasque reposcit.
Obstupuit relegens, sed tristia jussa facessit
Ille tamen, jubet ac sævam expugnare Chimœram,
Horrendumque, ingens, & non superabile monstrum,
Divorum genus, haud hominum de stirpe creatum.
Namque olli hirsutæ venterque, & tergora capræ,
Cauda draconis erat, rictusque, atque ora leonis

V. 148. *Regina*. Hanc Homerus hic Antiam vocat, alii Antiopem alii Stenobœam appellant. Prætum annis septemdecim Argis regnasse scribit Eusebius.

V. 160. *Perferre tabellas*. Longe ergo ante Homerum, & ante Trojanum excidium literarum usus erat apud Græcos, cujus contrarium scripsit Josephus. Quod vero ex hoc Homeri loco efficere vult Tzetzes Græcos ante Cadmum literas habuisse falso nititur fundamento, non enim, ut ille vult, Cadmus Bellerophonte posterior, sed longe prior, & Sisypho coævus.

Et fumum ingentem, & nigras spirantia flammas.
Hanc Divum auxilio domuit fortissimus heros.
Tum solymos, gentem indomitam convertere contra
Arma jubet, neque pugnanti clementia Divum
Defuit; ast hominum, ajebat, non durius ullum
Se vidisse genus, mole aut insignius alta.
Inde & Amazonidum victricibus expulit armis
Fœmineas acies. Jamque altam victor in urbem
Ibat ovans, densis quum saltibus irruit ingens
Lectorum juvenum manus, insidiisque paratis
Hinc urgent, atque hinc; sed toto ex agmine nulli
In muros remeare datum, sedeisque parentum.
Ergo viri virtus, pietasque ut nota tyranno est,
Divinumque genus, summo est dignatus honore,
Tradidit & gnatam, regnique in parte locavit.
At Lycii reliquis præstantia jugera campis,
Et Cereri, & dulci dederunt aptissima Bacho.
Tergeminam huic prolem peperit pulcherrima conjux
Isandrum, Hyppolochum, & formosam Laodamiam.
Hæc commixta Jovi peperit Sarpedona Regem.
Ille autem Superis invisus Aleja circum
Arva pererrabat curis confectus amaris,
Et vitam in tenebris miseram, luctuque trahebat.
Isandrum Solymis miscentem prœlia campis
Ferreus occidit Mavors, iraque Dianæ

V. 177. *Non durius ullum.* Solymos, sive Palestinæ incolas & robore, & corporis proceritate insignes fuisse confirmat etiam illud Chærili vetustissimi Poetæ, ubi de gentibus quæ Xerxem in Græciam sequebantur ita canit.

„ Trajicit inde hominum genus admirabile visu:
„ Phœnicum similis grandi sonat ore loquela.
„ Montibus in Solymis habitant, juxtaque paludem
„ Immensam. Attonsum squallens caput obsidet horror.

Pro galeis derepta ab equis, durataque fumo . . . Ora ferunt. Quibus consonant ea quæ dicuntur num. 13. *Populus, quem vidimus, procera statura est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enach de genere gigantæo, quibus comparati videbamur quasi locustæ.*

Laodamia truces Erebi deſcendit in umbras.
Me Hyppolochus genuit, meque ipſe in Pergama miſit
Multa jubens priſca ut premerem veſtigia Patrum,
Quique Ephyram, & Lyciæ campos coluere feraceis.
Hac de ſtirpe virum, atque hoc ſanguine glorior ortus.
Vix ea fatus erat, Tydides lætus in alta
Defigit tellure haſtam, placideque profatur:
Agnoſco vetus hoſpitium, & pia fœdera avorum.
Ædibus in patriis clarum nam Bellerophontem
Œneus excepit quondam, nocteiſque, dieſque
Bis denas, epulaſque inter ſibi dona viciſſim
Pulchra dedere, Œneus fulgentem murice baltheum,
Ille autem pateram ſignis, auroque rotundam,
Hancque domi, veniens Trojana in bella, reliqui.
At Tydeum haud equidem memini, nam parvulus infans
Ubera prenſabam quum Grajum exercitus ingens
Ingenti periit Thebarum ad mœnia cæde.
Ergo tibi mediis hoſpes fidiſſimus Argis
Semper ero; mihi tu in Lycia, ſi forte profectus
Quondam illuc fuerim, gladio vitemus, & haſta
Sed petere alterutrum: Lyciorum, & corpora Teucrum
Plurima ſunt nobis, ſunt & tibi plurima Grajum,
Quos ſævire licet contra, atque ſternere ferro.
Nos interque etiam clypeos mutemus, & arma,
Pignus amicitiæ ſanctum, hoſpitiique paterni
Argumentum ingens Teucris, Danaiſque comatis.
Vix ea, deſiliuntque rotis, poſcuntque viciſſim,
Dantque fidem, & junctis inſtaurant fœdera dextris;
At Glauco miſerum turbarunt numina ſenſum,
Qui pretioſa volens dederit pro vilibus arma,
Aureaque arma volens qui permutarit ahenis.

V. 227. *Qui pretioſa volens*. Hi duo verſus apud Homerum quatuor verba ſunt. Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι ἐννεαβοίων, id eſt Aurea, pro æneis, & centum bobus æſtimata, pro iis quæ vix novem bobus æſtimari poſſent.

Hæc inter Scœam in portam pervenerat Hector,
Obvia cui matrum, & gnatarum plurima circum
Turba ruit, super & gnatis urgentque, rogantque
Fratribus & charis, patribusque: ille ordine cunctas
Solatur verbis, & opem implorare Deorum,
Supplicibusque jubet cumulare altaria donis,
Undique nam premimur, fatoque urgemur iniquo.
Laomedontiadæ Priami petit inde superbas
Porticibusque cavis, atriisque capacibus ædeis.
Quinquaginta intus thalami stant ordine longo,
Regifico & luxu, hic lecta cum conjuge quisque
Priamidum cubat, at gnatarum in parte reposta
Bisseni adsurgunt, totidem queis carpere somnos
Adsueti generi pulchra cum conjuge quisquam.
Hic tum solicito dulcis stetit obvia mater
Laodicem forma præstantem ut forte petebat,
Adgrediturque ultro, ac dictis compellat amicis
Hector, gnate, quid huc acie, pugnaque relicta
Ipse ades? ah! nimium gens detestanda fatigat
Jam Teucros, summasque Jovis contendis ad arceis
Divum inflexurus votis, inimicaque Trojæ
Numina magna poli; sed ades, dum dulcia vina
Profero, queis libare Jovi, Divisque beatis,
Et fractas possis reparare in prœlia vireis,
Namque fatigatis accrescunt robora membris
Muneribus Bachi, qualem te Marte cruento
Troja habet auxiliumque tuis, patriæque ferentem.
Hæc genitrix, contra adfatur quam nobilis Hector:
Ne mihi dulce feras, mater veneranda, Lyæum,

V. 235. *Undique nam premimur*. Transitus a prima ad tertiam personam, qui Homero non infrequens, ut animadvertit Longinus. Nec desunt & Historicorum exempla. Sufficiat illud Machabæor. 16. *Nuntiavit Joanni in Gazara quia periit pater ejus, & frater, & quia misit te quoque interfici*.

V. 237. *Atriisque*. Producta media per Crassim, quasi scribas: *atrisque*.

Namque animum enervet potius,frangatque neceſſe est.
At Superis libare nefas, me flumine donec
Abluero, nec enim manibus tractare cruentis
Sacra decet, cœlo aut pollutas tendere palmas.
Sed tu, chara parens, sacram pete Palladis arcem.
Tecum una Iliades, ac templum thure vapora.
Tum vestem eximiam, gemmis, auroque rigentem,
Quæque tibi fuerit gratiſſima, munera Divæ
Sacra dato, dein biſſenas, pingueisque juvencas
Anniculas, juga non paſſas promitte daturam,
Si Tydeo genitum ab muris averterit altis
Hæc propera, Paridem interea (si forte vocantem
Audierit) tristem in pugnam, Martemque ciebo,
Degenerem! tellus utinam cui lata dehiscat,
Quem Priamo, Priamique satis, Trojæque futuram
Perniciem æthereas genitor projecit in auras.
Ipsum ego si vivum Stygias descendere ad umbras
Adspicerem, finem ingentum adventaſſe malorum,
Et miseris pacata rear jam sidera Teucris.
Hæc ait, at genitrix famulas jubet ire per urbem,
Iliacasque nurus in regia tecta vocare.
Ipsa in odoratum thalamum, ac penetralia tendit
Hic numero, & pretio ingenti adſervantur amictus
Arte laborati, pulcherrima Sidoniarum
Matrum opera, in Phsygiam quos ipse advexerat olim
Priamides Paris, ab Tyrio quum litore pulchram
Tyndaridem Iliacas secum adsportavit in oras.

V. 260. *Manibus tractare cruentis*. Communis gentium omnium sententia a priscis nimirum veri Dei cultoribus tradita. Unde illud: *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo*. Par. I. c. 21, & illud: *Lavabo inter innocentes manus meas, & ita circumdabo altare tuum, Domine*. Ps. 25.

V. 281. *Sidoniarum*. Quum Sidonias matres, & Tyrium litus audis, non Tyrum Phœniciæ, sed Peloponnesi urbem cogita illius coloniam, unde ejus incolæ Sidonii vocati, sicut Carthaginienses Sidonios, & Tyrios vocat Virgilius, quia ab illis oriundos.

Hos inter peplum eximium, gemmisque coruscum
Sideris in morem, tum versicoloribus auro
Floribus intextum, extremum quod forte jacebat,
Adproperans tulit, ac tectis sese extulit altis.
Hinc templum petit, at matres comitantur euntem.
Stridentes patuere fores, quas pulchra Theano
Cisseis, templi custos, Antenoris uxor
Ultro, aperit, peplum ipsa manu tum portat ad aras.
Iliades mœstum clamorem ad sidera tollunt
Hasque inter cum voce manus erecta sacerdos
Vota vovens Jove prognatam sic rite precatur:
Armipotens Trojæ custos, Tritonia virgo
Frange manu sævi telum Diomedis, & ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis
Tum tibi bissenas sacris mactabimus aris
Anniculas, pingueisque boves, queis vomere nondum,
Collave trita jugo. Hæc fatur, nec Diva precantis
Clamorem, aut fletus audit tractabilis ullos.
Ast Hector Paridis pulchras contendit in ædeis,
Regificasque, novasque, olli quas arte magistra
Præclari artifices longo struxere labore,
Trojani artifices, qui aulam, thalamosque capaces,
Et varii imposuere super laquearia tecti,
Arce in sublimi Priamumque, atque Hectora juxta:
Ipse decem longam cubitos, quam circulus ambit
Aureus, & lata fulgentem cuspide cedrum
Gestabatque manu, & magna se mole ferebat.
Hinc Paridem cernit procul in penetralibus altis
Tractantemque arma, & clypeum, pharetramque sonantem,
Et curvos, polientem arcus, galeamque coruscam.
Nec procul inde Helenam diversa in parte sedentem,
Et famulas inter moderantem pensa puellas.
Increpitans fratrem adloquitur tum maximus Hector:
O bone, quid molli simulas in pectore robur?
Nonne tui causa pudet, o turpissime, bello

Tot forteis cecidisse viros, & Pergama circum
Jam prope bis quinos Martem exarsisse per annos?
Castigasque alios ductor, stimulasque moranteis,
Tu cessas? Cessa; at tectis jam flamma minatur.
Sic Hector, Paris at contra pulcherrimus infit:
Nequaquam sine jure mihi indignaris inerti,
Optime Priamidum, hæc autem tibi vera fatebor
Non etenim aut odio in Teucros, irave maligna
Abstinui pugna, aut me in propria tecta recepi,
Sed fractum ut mœrore animum, curisque levarem.
Nunc tamen in Martem dictis haud mollibus uxor
Impulit ancipitem, satiusque hoc rebar & ipse.
Nec siquidem has exosa manus victoria semper
Fugerit, ergo mane dum tristibus induor armis,
I præ, vel magis, ad portas jam te assequar altas.
Hæc Paris, at fratrem adfatur sic pulchra Lacœna:
O frater, mihi si fratrem te dicere fas est,
Hoc utinam caput emissum vix lucis in oras
Aut malus in rupeis, atque in deserta tulisset
Ventorum turbo, aut pelagi spumantis in alto
Gurgite mersisset, fierent tam dira priusquam.
Sed voluistis enim Superi, & sic fata ferebant.
Conjugis at potui melioris dicier uxor,
Cui non prorsus honos, neglectaque fama fuisset;
Huic autem neque mens illo nunc pectore constat,
Constabitve unquam, donec det sanguine pœnas.
Tu tamen, o patriæ columen, Paridisque, meique
Quem scelera insontem bello immersere cruento,
Ingredere, & fessos artus furare labori
Tantisper, nos at miseri, quos ætheris alti
Hanc posuit pater in sortem, famosa feramur
Omnibus ut quondam, ridendaque fabula linguis.

V. 332. *Has exosa manus*. Similis loquutio Turni apud Virgilium in 12. *Non adeo has, exosa, manus victoria semper. Fugit.*

Hector ad hæc. O chara, moras mihi nectere noli,
Nam labor in pugnas, desideriumque meorum
Jam dudum vocat absentem; tu hortare maritum,
Intra urbem ut nobis cinctis jungatur in armis.
Hinc etenim charam uxorem visurus in ædeis
Ire paro, ac dulcem, mea gaudia tota, puellum.
Cui notum an Danaum ferro jam fata minentur,
Nec vultus iterum liceat mihi cernere charos?
Sic fatus gressum adglomerat, tectisque propinquat.
At procul Andromache in turrem contenderat altam,
Sedula cui nutrix puerum Astyanacta ferebat.
Ille ut quæsitam ingenteis hinc, inde per ædeis
Invenit nusquam, texenteis limine in ipso
Adloquitur famulas: Quo se nam, dicite, conjux
Contulit Andromache? an pulchras visura sorores?
Aut fratrum quemquam nostrorum? An Palladis arcem
In summam, Matremque Hecubam, Iliadesque sequuta?
Olli pacato cellaria pectore fatur:
Non illa aut templum, aut quosquam visura propinquos
Uxor iit; murum hinc properans, turremque petivit
Attonitæ similis, sciret quum Troas Achivis
Terga dare, & fuso ad muros contendere cursu:
It comes ancilla, & puerum fert sedula secum.
Dixerat, atque Hector subitus vestigia torsit,
Emensusque urbem immensam, atque strata viarum
Venerat in portam, castris quæ obversa jacebat,
Quum festina gradum subito stetit obvia conjux
Andromache, magni proles pulchra Eetionis,
Dives Hypoplaciæ quondam qui mœnia Thebes,
Et Cylicum populos lata ditione tenebat.
Nutricisque sinu gestatur parvulus infans
Unicus Hectorides roseo pulcherrimus ore

V. 361. *At procul*. Ultimus hic Hectoris cum uxore Andromache, & parvulo Astianacte congressus suavissimus pariter est & modestissimus, natura, imagine, & virtutis splendore gratissimus.

Flos veluti, aut qualis fulget Cythereius ignis.
Hunc pater, & genitrix dixere Scamandrion, ipsum
Sed reliqui Astianacta vocant, namque ense, manuque
Hectoris unius steterat Neptunia Troja.
Arrisit puero blandum pater, anxia contra
Andromache, & lacrimis oculos suffusa decoros,
Ah potius miserere, inquit, gnatique, meique,
O dulcis conjux: virtus tua maxima teque,
Meque etiam perdet: viduam, luctuque sepultam
Mox linques namque in te omnes facto agmine Graii
Undique consurgent, magnæ spes unica Trojæ.
Me tamen ante premat mors,quam te, chare, peremptum
Audiero, quid enim miseræ tum denique restat?
Nec mihi jam genitrix, genitorve, hunc sævus Achilles
Victor Hypoplaciam Theben, Cylicumque feraceis
Depopulatus agros, Stygias demisit in umbras.
Non tamen aut armis, pulchro aut spoliavit amictu,
Relligio vetuit; justis sed rite solutis
Exuviasque viri, & flammis crepitantibus artus
Comburi jussit, tumulique adjecit honorem
Aggere composito; at Nymphæ frondentibus ulmis
Ornavere locum, Nymphæ, Jovis aurea proles,
Candidæ Orestiades: septem tum corpora fratrum
Una dies letho dedit, & vis effera Achillis.
Olli armenta procul pascebant valle reducta,
Lanigerosque greges: charam tum denique matrem
Huc postquam advexit spoliis ditatus opimis
Dimisit tandem in patriam auri pondere magno
In pretium accepto; ast illam vix pace fruentem
Alma soror Phœbi Cocyti emisit in undas.
Tu solus fraterque mihi, genitrixque, paterque,
Ac tibi sum primis virgo conjucta hymenæis.
Chare, precor, miserere (tuæ si tædia vitæ
Ceperunt te tanta) mei, gnatique tenelli.
Hac tutus reside in turri. Teucrumque comantum
Stare jube turmas patulam juxta caprificum,

Qua facilis Danais aditus, murique fatiscunt.
Illac ter ferro Idomeneus perrumpere, terque
Ajaces gemini, & geminus tentavit Atrides,
Tydidesque ferox, seu quisquam hæc suaserit augur,
Sive animum audacem impulerit sua cuique cupido.
Hæc fatur lacrimans, contra sed Trojus Hector:
Parce tuis mœrentem animum afflictare querelis,
O pulchra Andromache, & vita mihi charior ipsa;
Quæ memoras, hærent imis defixa medullis;
Iliades sed enim vereor, vereorque feroceis
Dardanidas, me qui merito ignavumque vocabunt,
Degeneremque truci videant si absistere pugna.
Et me patris honos Priami, laudisque futuræ
Raptat amor sævum in Martem, cædeisque cruentas.
Ab puero siquidem gravibus sudare sub armis,
Et primam didici ante aciem contendere in hosteis.
At scio, nec me fallit amor, scio: Pergama tandem
Sacra ruent, Priamusque senex, Priamique potentis
Regna antiqua; manet fatorum immobilis ordo.
Nec patriæ tamen ardentis, Priamive perempti,
Aut Hecubæ, aut fratrum tristi sub morte cadentum
Torquet corda dolor, labefactaque viscera tantum,
Quantum, chara, tui, Danaum quam forte gementem
Captivam quisquam Argolicas abducet in urbeis
Texturam arbitrio dominæ, jussuque superbæ,
Laturamve humeris Messeidos, aut Hyperies
Pulchro ex fonte gravi pressam sub pondere limphas.
Adspectansque aliquis lacrimantem, & multa dolentem,
Hæc, dicet, conjux erat Hectoris, inclytus olim,
Qui fuit in Teucris, & præstantissimus armis.
Sic Danai quondam; sed me atro funere raptum
Terra tegat congesta, oculis, dilecta, priusquam
Captivam his videam, abductam vel te auribus istis
Audiero. Hæc fatus, chari pater oscula nati,
Amplexusque petit, sed enim perterritus infans
Horrentem galeam, tactusque refugit ahenos,

Surgentemque jubam capiti, torvumque trementem.
Ergo altum inclamans subita formidine, matris
Colla, sinumque premit trepidans; risere parentes
Attonitos versantem oculos, & vana paventem.
Ast Hector galeam capiti detraxit, & alma
Fulgentem tellure locat, tum dulcia primum.
Oscula libavit labris, dein lene sub auras
Extulit, atque manu gaudens agitavit utraque
Cœlicolum Patremque Jovem, Divosque precatus:
Summe poli rector, Diique, hoc concedite patri
Ut genti charus, sceptroque decorus avito,
Eximiusque armis Trojana hic imperet arce,
Et quondam exuvias referentem de hoste cruentas
Cernentes Teucri, longè hic patrem Hectora, dicant,
Robore præcellit, tententque ea gaudia matrem.
Dixerat: & pulchræ dat pignora chara parenti.
Illa sinu puerum lacrimantem excepit odoro
Subridens, vir quam vultu solatur amico,
Demulcetque manu mœrentem, ac talibus infit:
Pelle animo curam ingentem, suavissima conjux,
Haud etenim Grajum, fatis renuentibus, ulli
Sternere me ferro, aut muros intrare licebit;
At si fata ferant, quis fato obsistere certet?
Stat sua cuique dies: breve, & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ, forti, ignavoque cadendum est.
Ergo domum repetens moderator pensa puellis,
Ingenteisque jube percurrere pectine telas;
Armorum, Martisque, viris est cura relicta
Omnibus, at mihi præsertim, quot claudimur urbe:
Sic fatus galeam induitur, turmasque reposcit
Illa abeuntem oculis sequitur, lacrimisque profusis.
Ut ventum in sedeis luctum commovit acerbum
Adstanteis inter famulas, turbamque suorum
Hectora deflentum, nec enim de cæde putabant
Visuros iterum reducem, manibusque Pelasgum.
Nec Paris interea tectis cunctatur in altis

Digitized by Google

Induit ut pulchros armis splendentibus artus;
Sed cursu volat effuso, portisque propinquat.
Qualis ubi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus, armentaque tendit equarum,
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians, luduntque jubæ, per colla, per armos.
Haud secus Iliaca descendens aureus arce,
Sol veluti ignivomus, toto de corpore fulget,
Exultatque Paris: rapido tunc Hectora cursu
Adsequitur, primum qua venerat obvia conjux.
Hinc prior adloquitur: Nimium te forte moratus
Hic fuero, ac dudum iratum exspectare coegi.
Hector ad hæc: Equidem non te, charissme, lentum
Arguerim merito, est etenim tibi robur, & acreis
In pugnas animus; sed enim prudensque, volensque
Detrectas onus interdum, vireisque remittis.
Cor magis hinc nobis irarum accenditur æstu
Quum tamen in Te germanum convicia fratrem
Teucrorum accipio, ingentum quos ipse malorum
Traxisti in cumulum; sed age, hæc nos Jupiter olim
Forte sinet melius componere, fas erit unquam
Si modo Cœlicolis patera libare capaci
Ædibus in patriis, Sigeo ab litore postquam
Expulsi Danai Argolicas vertantur ad urbeis.

V. 494. *Qualis ubi*. Comparationem hanc Latinam fecit Virgilius, cujus ii sunt versus in 11. Eandem rudi Minerva imitatus fuerat Ennius, & pulchrius inde Torquatus Tassus Italus Poeta suæ Hierusalem lib. 9.

LIBER SEPTIMUS.

ARGUMENTUM.

Heleno suadente Hector optimum quemque Græcorum ad singulare certamen provocat. Novem inter duces Ajax Telamonius sorte deligitur, ipsosque quum strenue dimicassent, præcones, nocte ingruente, dirimunt. Postridie, pactis induciis, cadavera utrique sublata sepeliunt, murumque Græci exstruunt, indignante Neptuno. Jupiter ipsis per noctem infausta futurorum præsagia ostendit.

DIxerat, atque una portis bipatentibus ambo
In campũ exierant, cædem, pugnamque frementes.
Ac veluti in lento luctantibus æquore nautis
Exoptata diu spirant quum flamina velis,
Expanduntque sinus læti, & blanda otia carpunt
Remigio ab longo, sic toto gramine Troes
Hectoris adventu exultant, Paridisque superbi.
Primus Areithoidem Paris occupat ense Menesthem
Arna devectum pingui, quem Philomedusa
Clavigero quondam peperit pulcherrima Regi.
Eionis cervicem Hector sub casside ahena
Transadigit ferro: Lyciorum ex agmine ductor
Dexiadem Iphinoum Glaucus configit ad altum
Hasta humerum, currus ut forte ascenderat altos.
Volvitur, atque olli solvuntur frigore membra.
Non tulit hanc stragem, magnoque a vertice Olympi
Illicet in terras summo Jove nata Minerva
Descendit commota animum. Contra obvius ipsam
Pergamea ex arce intuitus properabat Apollo,
Mœnia cui Trojæ, & Priami cui regia cordi.
Et procul: Ecquidnam ingenti turbata furore
Diva venis? an opem Danais latura comatis?

Digitized by Google

Nam neque te credam Teucrum tetigisse laborem.
At tristeis jam pone minas: sat luce sub ista
Funebribus, Martique datum, requiescere turmas
Nunc sine, mox iterum pugnas, Martemque retractent,
Donec erit finis, Priami regna inclyta quando,
Resque Asiæ vobis concessum evertere fatis.
Huic Dea: nil renuo, mitte hanc de pectore curam.
Qui tamen ardenteis animorum extinguier æstus
Posse putas? Contra adfatur quam Phœbus Apollo:
Hectoris invictum robur, mentemque ciere
Fert animus, velit ut solus se opponere soli
Cui Danaum cumque, & sævo contendere Marte.
Ductores Grajum indignantes, Hectora contra
Ire parent, juvenisque ausus frænare superbos.
Sic Phœbus, paretque Deo Tritonia Pallas.
Audiit hæc Helenus, Phœbo quo charior ullus
Non fuit, aut cœli auspiciis præstantior alter.
Advolat, & fratrem verbis adfatur amicis:
Optime Priamidum, fraternis credere dictis
Anne velis? Teucros, Grajosque hinc inde comanteis
Stare jube. Tu ductorum in certamina quemque
Dura voca, nec enim hic vitæ tibi terminus hæret.
Hæc me Dii docuere, viceis sic torquet Olympus.
Sic ait, insiluitque Hector, totosque per agros
Stare jubet Troas, Grajorum sistit Atrides
Inde acies, sedet & Phœbus, sedet aurea Pallas
Ingentem Jovis ad fagum, ramosque comanteis
Vulturibus similes, taciti gaudentque tuendo
Bellatorum acies clypeisque, hastisque coruscis,
Horrenteisque agros galeis, ceu flamine primo
Surgentis Zephyri ponto diffunditur horror,
Nigrescuntque undæ: mediis tum Trojus Hector:
Dardanidæ, & vos Grajorum gens optima bello,
Accipite hanc, quæ nunc animo sententia surgit.
Fœdera quandoquidem fecerunt irrita Divi,
Et mala Saturno genitus molitur utrisque

Digitized by Google

Arx donec Priami, turritaque Pergama flammis
Corruerint, vos aut domiti spolia inclyta Teucris
Liqueritis longis ratibus maria alta remensi.
Sunt (equidem novi) fortissima robora Achivum.
Horum si cuivis furor est, & conscia virtus,
Audeat, & mecum tentet decernere ferro.
Ajo etenim, dicto testis mihi Jupiter esto:
Si me ille exanimem Stygias demittat in umbras,
Arma quidem ferat ad naveis; at corpus in ædeis
Ferre sinat patrias, charorum ut rite meorum
Ultimo honore fruar, tumuloque recondar avito.
Quod mihi si optanti annuerit crinitus Apollo
Ut ferro hunc perimam, exuviis indutus opimis
Hinc abeam Phœbi sacras laturus ad aras,
Affigamque tholo; at mortalia membra Pelasgis
Ferre sinam, justa ut solvant postrema sepulto,
Addant & tumulum extremam prope litoris oram,
Quem nauta angustum dum præterit Hellespontum
Ostendens olim, jacet hic fortissimus heros
Grajugenum dicat, vicit quem Trojus Hector.
Sic quondam, seri invideant ea facta nepotes.
Hæc ait, & Danaum proceres pudor excitat ingens,
At cohibet timor incertos, hærentque, silentque.
Increpitans tandem, ac frendens Menelaus Atrides:
Me miserum! o non Argivi, sed Achaides, inquit.
Siccine nullus erit (proh dedecus) Hectora contra
Tendere qui velit armatus? Sed fata sedenteis
Vos hic dura premant, excors, ingloria turba,
Per me equidem licet, incedam contra obvius ipse.
Vicerit is data cui fuerit victoria cœlo.
Talia præfatur, poscitque interritus arma.
Et postrema quidem, tibi Rex Menelae, fuisset
Illa dies, armis quoniam præstantior Hector,
Ni Danaum proceres, Agamemnonque ipse furentem
Sedassent animum, fatur cui talia frater:
Insanis Menelae? virum qui tendere contra

Armatus tentes virtute, & robore longe
Præstantem? horrescunt fortissima pectora Grajum,
Ipseque Pelides horrescit maximus armis
Occursare viro, ac telo expectare ruentem.
Quare hanc mitte, precor, curam, tacitusque quiesce.
Haud deerit qui Priamidem intrepidumque, ferumque,
Atque avidum pugnæ fulgente coerceat hasta.
Ille quidem, reor, exstructas persolvet ad aras
Vota lubens si uxorem iterum, gnatumque reviset.
Hæc loquitur, flectitque animum, nec recta monenti
Abnuit Atrides Menelaus, & arma ministri
Certatim detracta humeris in tecta reponunt.
Adstanteis sic adfatur Neleius heros:
Eheu! quis luctus terras invadet Achivas?
O quos Myrmidonum Peleus ductorque, paterque
Cornipedum domitor dabit alto e pectore questus?
Qui me multa rogans tectis lætatus in altis
Ductorum voluit gnatosque, patresque doceri
Cunctorum. Nunc ille graveis ad sidera palmas
Vota vovens feret, ut tristeis Plutonis in ædeis
Ire sinant animam, ac terreno ab corpore solvi
Hectoris ob furias, & verba minacia Reges
Quum pavidos torpere sciat, tacitosque sedere.
O Divum Pater, o Phœbe, ac Tritonia Pallas!
Essem utinam juvenis, qualis prope mœnia Pheæ
Iardani ad ripas, quum longis Arcades hastis
Pugnarent, Pyliæque manus, Celadontis ad undam.
Quos inter primam ante aciem fortissimus heros
Stabat Ereuthalion Divis par robore & armis.
Regis Areithoi thoraca indutus ahenum,
Et clypeum ingentem, & surgentem casside cristam,
Regis Areithoi, insigni quem nomine gentes
Clavigerum dixere, etenim non ense, nec hasta,
Ferrata sed enim clava rupisse phalangas
Bellator solitus. Fraude hunc, atque arte Lycurgus
Non vi (nam quid enim vi posset?) fraude peremit

Calle interceptum angusto, nullum unde furenti
In clava auxilium, & medium transverberat hasta.
Volvitur ille extensus humi, fulgentiaque arma
Donum ingens Martis solitus gestare Licurgus.
Ille gravis senio famulo dat Ereuthalioni,
Queis hic insignis Pylios fortissimus omneis
Evocat in pugnam: trepidant, hærentque, nec ullus
Fortunam tentare manu perterritus audet.
Infremui, minimus quanquam, atque novissimus armis,
Conseruique manum, nec cœptis optima Pallas
Defuit, atque virum virtute, & mole superba
Præstantem occidi his manibus, fulvaque jacebat
Multus humo, totoque ingens extensus in agro.
Tali utinam fruerer nunc robore, Dardanus Hector
Non responsa diu jactans speraret Achivum.
At vos, Grajugenum clarissima nomina gentis
Hæretis famæ immemores, tacitique sedetis.
Hæc ait, accenditque animos, tunc agmine toto
Surrexere novem: primus consurgit Atrides,
Dein Tydeo gnatus bello insignis Diomedes,
Surgunt Ajaces gemini, Mavortia proles,
Idomeneusque, atque Idomenei comes impiger armis,
Meriones similis Marti, atque Evæmone natus
Eurypilus, clarusque Thoas, & fortis Ulysses
Ingeminantque minas, famaque excellere certant.
Nestor queis prudens rursum sic ore profatur:
Sortibus est opus, hic etenim Graiisque placebit,
Cui sors obtigerit, simul ipsum forte juvabit,
Si pugnam incolumis, cædemque evaserit atram.
Sic fatur, parentque duces, sorteisque notabant,
Quisque suam, galeaque omneis excepit Atrides.
Hæc inter tacitis pulsabant sidera votis
Grajugenæ: O vel si Ajacem, aut Diomedea magnum
Sors daret, aut claræ moderantem sceptra Mycenes!
Interea sortem concussa ex casside Nestor
Omnibus optatam votis trahit, undique præco

Ductorum hanc properans per picta sedilia monstrat.
Abnuerunt reliqui; at sortem Salaminius Ajax
Arripit, agnoscitque manum, consuetaque signa,
Exultansque animis, Sors, inquit, sors mea, chari.
Gaudeo. Priamidæ uec rursum impune licebit
Temnere ductores, ferroque lacessere Grajos.
Vos, ego dum Marti accingor, prece supplice summum
Implorate Jovem, ne quis tamen invidus obstet,
Vobiscum taciti, aut coram (quid enim inde timendum?)
Nam neque nolentem vi quisquam, aut moverit arte
Ignarum, nec enim usque adeo imprudensque, rudisque
Natalemque domum, & patriam Salamina reliqui.
Nec plura his, Regemque Jovem; patremque Deorum
In cœlum intenti Danai sic voce precantur.
Summe parens, Idæe, Deum, Rex ætheris alti,
Da ut crudo domitus ferro Tros occidat Hector,
Aut tibi si Priami domus est, & Pergama cordi,
Hæreat, & neutri hanc tribuat victoria laudem.
Talibus orabant: heros fulgentibus armis
Cingitur interea, & medium procedit in æquor,
Ingenti quantus sese fert mole per agros
Sanguineus Mavors, quum Jupiter horridus urbeis
Excitat, & Regum turbat discordia menteis.
Talis, vallum ingens Grajorum, ingentibus Ajax
Passibus ingreditur lentus, torvum ore minaci
Subridens, validamque manu quatit efferus hastam.
Argivos spes magna movet, gaudentque tuendo,
Pallescunt Troes, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, stupet ipse metu Priameius Hector,
Crebraque terrifico subsultant pectora pulsu.
Cedere nec retro in turmas tutumve, decensve.
Acceditque Ajax; magnæ cui turris ad instar
Consurgit clypeus, quem Tychius arte magistra
Quondam fecit Hyle in pulchra, variumque, gravemque.
Ille boum ingentum addiderat præstantia septem
Tergora tergoribus, octavum denique cunctis

Digitized by Google

Induerat super, & fulvo concluserat ære.
Hunc ille anteferens prope constitit, atque ita fatur:
Experiare licet, Teucrum fortissime, nunc ò
Solus cum solo, Argivum quos agmina Reges,
Ductoresque ferant Pelidem præter Achillem
Hostileis rumpentem acies, animumque leonis
Pectore gestantem, qui nunc in puppibus altis
Lenta fovens odia in Regem indignatur Atridem.
Sunt, inquam, plures, tecum qui cernere ferro
Possuntque, ardentque, idque etiam nos possumus, aude.
Hector ad hæc: Quid me, vir præstantissime, verbis,
Imberbem veluti puerum, mollemve puellam
Martis ut ignarum terres? callemus & artem
Nos pugnæ, & clypeum nunc destrum, nuncque sinistrum
Circumferre manu, aut volucres inflectere currus,
Vel gressum ad sævi numeros componere Martis.
Nunc tamen hæc valeant, nec te tantum artibus ullis,
Sed vi (possim utinam) ferroque invadere aperto
Est animus. Dixit, telumque emisit in auras
Turbine contortum ingenti, taurinaque terga
Sex ictu secat, & tegmen perrumpit ahenum;
Septena sed enim postremum in pelle resedit.
Deinde hastam intorquet validam Telamonius heros,
Illa per & clypei tranat septemplicis orbem,
Loricamque rigentem auro, & mollem ilia juxta
Perrupit tunicam, flexu sed corporis Hector
Vix fatum effugit. Vulsis tum cominus hastis
Carnivori veluti nemora inter densa leones
Fulminei vel apri, immensum queis pectore robur,
Alter in adversum ruit, & prior Hector in hostem
Pinum agit ingentem, verum alto ferrea cuspis
Ære sonat pulsa, & terram reflexa momordit.
Ast Ajax scuti extremas connixus ad oras
Cervicem super Hectoreo de corpore stringit.
It cruor; at non Priamides hoc segnior Hector
Secessit retro, & saxum, quod forte jacebat

Nigrum, ingens, asprum magno cum turbine torquet
Insonuere alto clypei procul æra fragore.
Hinc majus longe abreptum Salaminius heros
'Coniicit immensa in dextram connixus opum vi,
Æraque confregit clypei: & genua utraque magno
Pondere percussit: provolvitur ille supinus,
Innixus clypeo; sed lapsum erexit Apollo
Actutum, jamque ereptis hinc ensibus, atque hinc
Irruerent, fusoque maderet sanguine tellus,
Ni gemini in medium præcones, Trojus alter,
Alter Grajugena, Idæus sermone disertus,
Thaltybiusque interpositis certamina dextris,
Placassentque animos. Fandi tunc arte peritus
Sic prior Idæus: Satis o, jam parcite summo
Gens dilecta Jovi, Martis stirps inclyta uterque,
Parcite, nox ruit, at nocti parere decorum est.
Sic præco, hunc contra adfatur Telamonius Ajax:
Quid me, chare, mones? Trojanum hæc dicere fas est
Hectora, qui Danaos, meque in certamina adegit.
Incipiat, cedemus agris, si cesserit, & nos.
Hector ad hæc: Ajax, quando tibi numina robur,
Atque animũ ingentem dederunt, mentemque sagacem,
Et reliquos hasta longe præcedis Achivos,
Nunc moniti pugnaque truci abstineamus, & armis
Mox rursum adversi pugnabimus, alteri honorem
Dum Deus, & fortuna dabit: nox incubat atra,
Et nocti parere decet, tu in castra profectus
Depictasque rateis, sociorum fida tuorum
Pectora, delectosque duces recreabis Achivum;
Nos urbem magnam ingressi, patriosque penateis,
Trojanosque meos, matresque, altaria circum
Quæ modo conceptis pulsabunt æthera votis.
Munera quin etiam accipiamus pulchra, demusque
Nos inter mutuo, ut dicant Danaique, Phrygesque:
Pugnavere quidem succensi laudis amore,
Arma infensa manent; sed amico fœdere mentes

Convenere virum. Hæc fatur, clavisque rigentem
Argentoque ensem, vaginamque ære coruscam,
Baltheum & insignem ductori tradit habendum.
Ast Ajax magnis fulgentia cingula bullis
Priamidæ donat. Simul hinc digressus uterque,
Ille aciem Danaum, hic Teucros, murumque petebat.
Mirantur Phryges, atque iterum, juvat usque tueri
Ajacisque manu elapsum, incolumemque, nec ipsis
Sat credunt oculis, plausuque ad mœnia tendunt.
Ajacem parte ex alia in tentoria Graii
Regia ducebant gaudentem Marte secundo.
Ut ventum in sedeis quinquennem, maxime, taurum
Jupiter, Argivum ductor tibi destinat aris.
Undique decursant famuli, pars pinguia nudis
Tergora diripiunt costis, & viscera curant.
Pars in frustra secant, verubusque trementia figunt.
Disponunt alii flammas, & tergora torrent,
Lætaque regificis celebrant convivia mensis.
Perpetuique bovis tergo Rex ipse Agamemnon
Accipit Ajacem, & primo dignatur honore.
Posquam exempta fames.& amor compressus edendi.
Multa senex longo Nestor sermone serebat,
Consilio cujus steterat victoria Graiis,
Adstanteisque inter placido sic ore profatur:
Atride, & lecti Danaum patresque, ducesque,
Quot Martis vis sæva viros in Tartara ferro
Miserit, & quanto permixtas sanguine limphas
In mare præcipitent Xanthus, Simoisque videtis.
Ergo novo Phœbus lustret quum lumine terras,
Arma, sine, & tristes pugnæ, cædesque quiescant:
Interea socios, inhumataque corpora plaustris
Convehere ad naveis, flammisque cremare licebit,
Ossaque lecta cadis tegere, hæc ut quisque propinquis.
Hinc referat patrias quondam delatus in oras.
Aggere tum multo tumulum prope litora cunctis
Communemque rogum propter statuamus, & altas

Digitized by Google

Hinc, atque hinc turreis, castrisque, & puppibus ipsis
Munimentum ingens, totidemque ex ordine portas,
Qua in campos equiti facilis cursusque, recursusque.
At parte externa fossam duxisse profundam
Juverit, ac latam, peditem quæ arcere ruentem,
Atque equitem possit, Teucros si forte superbos
Mars juvet, atque ignem ratibus, flammasque minentur.
Hæc senior, plauduntque duces, parentque volentes.
Nec minus & Priami sublimi Troes in arce
Conveniunt trepidi, Antenor quos vocibus istis
Adloquitur prudens: Quid longa Pergama clade
Conterimus, cives, sociique, & perdimus annos?
Quin sapimus tandem, atque Helenam, gazamque potenti
Reddimus Atridæ? Quid rursum fœdera contra,
Juratamque fidem pugnamus inutile bellum
Religione Deum contempta, & vindice cælo?
Nec plura effatus senior, cui talia contra
Causa mali tanti Paris ore effatur acerbo:
Istane, Tu, Antenor, ingrata, indignaque nobis
Persuadere velis? Nosti meliora, tuisque
Utiliora loqui, atque animos inflectere dictis.
Seriane hæc loqueris? mentem tibi numina certe
Invertere Deum, contra hæc in pectore conde
Nostra tamen: Lædeam Helenam, nego, denego nunquam
Grajugenis reddam; sed opes quas Pergama cumque
Advexi, reddam Atridis, plureisque libenter
Adjiciam ex propriis. Dixit, tacitusque resedit.
Tum senior Priamus Divis par mente sagaci
Dardanides fundit pacato has pectore voces;
Nunc potu, vireisque cibo reparate labanteis,
O socii, civesque mei, vigilesque per agros
Excubias agite, & primo quum fulserit ortu

V. 320. *Antenor*. Inde hic, & Æneas veluti traditores, & hostes patriæ habiti, quod de Ænea infra: inde uterque in Italiam fugere compulsus est post Trojæ excidium, Vide infra.

Alma dies, præco ad naveis Idæus Achivas
Verba ferat Paridis, lis unde exorta, malumque est.
Quin geminos etiam Atridas hortetur, ut armis
Hinc positis, atque hinc prostrata cadavera campis
Convehere, & sacris liceat comburere flammis.
Mox Martem horrisonum tentabimus, ultima donec
Alterutri æternum dederit victoria nomen.
Talia Rex Priamus, paret cui Dardana pubes,
Indulgent epulis turmatim, & Sole recenti
Præco iter ingreditur Grajorum in castra, rateisque,
Qua Argivi Regis præcelsa in puppe sedentes
Ductores primi summis de rebus agebant.
Adstitit, & placidis compellat vocibus ultro:
Atride, clarique duces, Priamique, patrumque
Hæc mandata fero: Paris ipse ingentis origo,
Fonsque mali, gazam immensam, quam puppibus olim
Advexit profugus (periisset gurgite in alto
Ille prius) spondet Menelao reddere Regi,
Eque opibus plura his etiam conjungere avitis
Tyndaridem modo non Helenam quæratve, petatve.
Hæc si grata sedent animis bella aspera cessent;
Sin vero, inducias saltem Rex maximus orat
Dum truncos artus, & corpora luce carentum
Colligimus, flammæ extremo ac dignamur honore.
Mox Martem indomitum, & pugnas tentare licebit,
Victores donec dirimat, sorsque ultima victos.
Nec plura his, Danai exspectant responsa silentes.
Tum Tydæo satus intrepido sic pectore fatur:
Non quis opes mihi, non Helenam si traderet, ullus
Nostrorum accipiat: nutat jam Troja, vel infans
Viderit, & meritis sors imminet ultima Teucris.
Talia Tydides loquitur, plausuque secundo
Assensere omnes Danai. Rex ipse ministrum

V. 364. *Inducias*. Secunda producta invenitur apud alios, hic autem carminis necessitate correpta.

Sic tandem adfatur: Quæ sit sententia Graiis
Audisti satis, hæc mi etiam arridetque, placetque.
Quod pacem exanimis, & Martis sorte peremptis
Oratis, non invideo, nec justa recuso.
Nullum cum victis certamen, & æthere cassis.
Fœderis altisonans testis Saturnius esto.
Dixerat, atque altum Divis sceptrum extulit aureum.
Carpit iter subito Idæus, portisque propinquat,
Atque arcē in summam properat qua plebsque, ducesque
Adfuerant urbe ex tota: & responsa Pelasgum
Soliciti exspectabant. Hic mandata minister
Exponit coram. Extemplo Graiique, Phrygesque
Accingunt omnes operi, vixque arva profundo
Surgens Oceano, placidoque è gurgite Phœbus
Lumine lustrabat primo, quum pace sequestra
Per campos Teucri, mistique impune Pelasgi
Occursantque sibi mutuo, pariterque laborem
Sortiti, ingenteis vectant e montibus ornos,
Mortaleisque virum exuvias olli, atque cruentos
Turmatim imponunt plaustris stridentibus artus.
Tum nosci haud facileis, taboque, & pulvere nigro
Fœdatos vultus, charorum & membra suorum
Flumine perfundunt puro, purgantque dolentes.
Verum altos gemitus, & inaneis ire querelas
Laomedontiades prohibet, tum stragis acervum
Nec numero, nec honore cremant, atque undique vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Urbem deinde petunt, questum alto in pectore condunt.

V. 378. *Quod pacem*. Hic, sicut & 280. Virgiliani versus sunt ex II, ubi paria Æneas Latini Regis oratoribus respondet.

V. 390. *Quum pace sequestra*. Versus Maronianus in II, ubi similes induciæ Trojanos inter & Rutulos. Similes inducias, & labores Trojanorum, & Latinorum habes apud Virgilium in II.

V. 400. *Laomedontiades prohibet*. Ne hujusmodi lamentationibus in prœlia tardiores fierent civium animi.

Nec minus & mœsti diversa in parte Pelasgi
Innumeras struxere pyras, & corpora passim
Imposuere rogis, ululatumque ore dedere,
Mœrentesque altum cinerem, & confusa ruebant
Ossa focis, dein castra petunt, pictasque carinas.
Jamque dies, nec certa dies, lucis sed opacæ
Prima rudimenta, ac dubiæ confinia noctis,
Impigra quum juvenum manus alto ab litore magnum
Adgressi tumulum statuunt simul omnibus unum.
Communemque rogum propter, murosque præaltos,
Turreisque, & totidem stridenti cardine portas
Adjiciunt opera ingenti, fossamque profundam,
Latamque, & sudibus præcinctam ad labra præustis.
Hæc dum Grajugenæ properant, urgentque per agros
Dii Jovis in templo, & stellantis vertice Olympi
Adspectant opus immensum, miserosque labores,
Miranturque: altum fundens sed pectore questum
Quassator terræ Neptunus farier infit:
Jupiter Omnipotens, quisquamne sub ætheris axe
Præterea fuerit, Divum qui numen adoret,
Supplicibusque vocet votis? viden' ardua quantum
Mœnia consurgunt? quanto distenditur ingens
Fossa loco? Et tantum contempto numine Graii,
Auspiciisque Deum, solitis & honoribus audent?
Artifices ingens in cœlos gloria tollet
Qua lux cumque amplis diffunditur aurea terris;
Nos vero indecores, nec jam memorabitur ultra
Ore hominum, quem nos murum, & crinitus Apollo
Laomedonti olim ad magnam construximus urbem.
Dixerat, iratus contra sic Jupiter inquit:

V. 404. *Nec minus & mœsti*. Conglobatæ hic Virgilianæ loquutiones, & hemistichia ex citato lib. II.

V. 423. *Præterea*. Simili sensu apud Maronem in I.
„ Et quisquam numen Junonis adoret... Præterea?

V. 431. *Quem nos murum*. Græcismus sicut ille quam *Urbem statuo*, & alia apud Latinos. De hoc muro Ovidius, & nos infra.

Neptune armipotens, tene hæc indigna profari?
Non etenim Divum multo imbecillior alter,
Tale loqui, aut animo auderet versare silenti.
Gloria tuta tua est, quam lux micat aurea late,
Quumque iterum patrias Graii vertentur ad urbeis
Mœnia tu ista manu, & sævo perrupta tridenti
Merge mari, & multa magnum tege litus arena,
Grajorum ut pereant nomenque, operumque labores
Talia cœlicolæ mutuo sermone serebant.
Nox ruit interea, perfectisque undique cœptis
Obtruncantque boves, & per tentoria Graii
Optatis se onerant dapibus. Forte æquore ab alto
Lemnoque appulerant puppes, & vina vehebant
Jasonides Euneus has miserat, inclytus Euneus
Quem pulchra Hypsypile peperit de Iasone quondam.
Ille cados bis centenos Agamemnoni Atridæ,
Atrideque tibi dederat, Menelae, ferendos.
Ergo turmatim properant ad litora Achivi.
Et bobus, aut ferri, atque æris fulgente metallo,
Pellibus aut pulchris, vel servis unus emebant
Quisque sibi, & tota celebrant convivia nocte.
Stant vigiles pariter Troes, sociique per urbem.
Providus at cœli de culmine Jupiter alto
Crebra tonans strepitu horrisono terrebat Achivos.
Diriguere metu, atque in humum liquentia vina
Fundebant pateris taciti, nec sumere quisquam
Ausus, quin Superum libasset pocula Patri.
Stratis deinde cubant: fessos sopor occupat artus.

V. 452. *Et bobus*. Permutatio antiquissima forma commercii, ut alibi.

V. 452. *Aut ferri*. An nummi, seu sigillata pecunia Homeri, aut saltem belli Trojani tempore in usu fuerint disputant alii. Vide quæ ad lib. 23. Hic ego ferrum, atque æs non signatum, sed appensum intelligo, quod pecuniæ vicem gerebat.

V. 457. *Crebra tonans*. Quasi futurorum malorum præsagia iis ostenderet. Tonitrua enim, maxime si a dextra cœli parte, atque ingeminata erant, infausta habebantur.

LIBER OCTAVUS.

ARGUMENTUM.

Jupiter quum Diis interdixiſſet neutri exercituum auxiliari in Idam deſcendit, & prius æquo Marte pugnantes, mox inferiores Græcos Trojanis ſtatuit. Junonem, & Minervam in auxilium Græcis profectas Iris detinet Jove jubente. Hector veſpere facto in campo concionatur.

JAmque Aurora polo, croceaque in veſte rubeſcit,
Conciliumque Deum genitor qui fulmina torquet
Sublimem vocat in ſedem omnipotentis Olympi.
Conſedere omnes taciti, ſicque incipit ipſe:
Accipite hæc, Divi, atque animo mea figite dicta.
Non Dea, non Deus hæc quiſquam reſcindere tentet.
Sic volo, ſic jubeo: vos juſſa capeſſere fas eſt.
Nec Danais ullus, nec Teucris æthere ab alto
Auxilium ferat in pugna, aut mulctatus acerbo
Vulnere, ſidereas ſerus remeabit in arceis,
Aut ego correptum in pallentia Tartara mittam
Ab cœlo procul, ac terris, qua immane barathrum,
Ferratæque fores ſtridentes cardine aheno,
In præcepſque patens tantum tenebroſa vorago,
Quantus ad æthereum cœli ſuſpectus Olympum.
Noverit & quantum mea magna potentia vireis
Cunctorum exſuperat Divum. Aut ſi forte periclum
Audetis tentare, agite, atque ex æthere ſummo

V. 7. *Sic volo*. Hemiſthichium Juvenalis. Sat. 6.
V. 14. *In præcepſque*. Uti expreſſit Virgilius in 6.

Digitized by Google

Ingentemque, gravemque auro, ferrove catenam
Suspensam Divæque omnes, Divique beati
Viribus obnixi trahite; at non vertice ab alto
Saturni gnatum in terras conamine multo
Moveritis; quod si hæc placeat sententia menti,
Vos egomet facile, & totis cum montibus orbem,
Immensoque traham Oceano, tum ab culmime Olympi
Vincula constringam, suspensaque machina mundi
Aurai in medio, & vacuo pendebit inani.
Tantum ego terrigenas supero virtute, Deosque.
Talta jactantem superi, atque horrenda minantem,
Mirantur taciti, atque hærent, tandem aurea Pallas
Sic fatur: Roburque tuum, vireisque potentes,
Quis neget, o Divum, atque hominum rectorque, paterque?
At miseros animis, fatoque dolemus iniquo
Oppressos Danaos virtute, & robore claros.
Verum age, collatis quando auxiliarier armis
Sancte, vetas, liceat saltem prudentibus ipsos
Consiliis regere, ac tristi subducere lætho.
Olli subridens genitor, cui sidera parent
Sic infit; Ne chara time Tritonia, non hæc
Seria commonui, mitem me semper habebis,
Morigerumque tibi. Hæc fatur, tum curribus altis
Æripedes jungebat equos, volucresque, jubaque
Auricoma insigneis: ipse aurea in veste refulgens
Conscenditque rotas, & verbere terga sonanti
Percutit, effusi in cursum, terræque jacentis
Ætheris atque alti medium per inane volabant
Idæum versus culmen, silvamque virentem
Fontibus irriguam multis, matremque ferarum,

V. 28. *Aurai*. Pro auræ soluta diphtongo, ut apud Lucretium *gelidai stringor aquai*.
Et apud Virgilium: *atque aurai simplicis ignem* . . . *pictai vestis & auri* . . . . *Aulai in medio*, atque ejusmoda sexuenta.

Gargaraque, altus ubi lucus, pinguisque renidet
Olli ager, Eoisque halant suffitibus aræ.
Hic genitor calidos biiuges, curruque solutos
Sistit, & ingenti circum caligine fundit.
Ipse animo exultans, dioque decore resedit
Vertice in excelso, terras unde arduus omneis,
Tectaque Dardanidum adspectat, populosque Pelasgos.
Hi raptim pepulere famem, tum in prœlia duro
Armantur ferro: nec segnius arma parabant
Parte alia Troum numero quanquam impare turmæ;
Sed vis sæva premit, dilectaque pignora, nati,
Uxoresque urgent miseros, dulcesque parentes.
Panduntur portæ, atque equites, peditesque tumultu
Horrisono erumpunt certatim, & litora complent,
Virque viro, & clypeus clypeo, atque umbonibus umbo
Urgentur, largoque rubescunt arva cruore,
Victorumque oritur clamor, gemitusque cadentum.
Atque equidem dum Sol cœli supera alta petebat,
Crescebatque dies, Teucri, Danaique cadebant
Cædibus ambiguis; at postquam Phœbus in orbem
Pervenit medium, pater æquo examine lanceis
Attollit geminas, diversaque fata duorum
His super imponit populorum, & pondera librat.
Illicet ima petit sors exitialis Achivum.
Illa Phrygum contra æthereas se attollit in auras.
Intonuitque Idæ genitor de culmine summo,
Grajorum & medias perstrinxit fulgure turmas.
Diriguere omnes subito, ac timor inficit ora
Pallidus, arripiuntque fugam, nec maximus ipse

V. 66. *Equidem*. Particula hæc apud Virgilium nisi cum prima persona conjuncta occurrit numquam, quod meminerim, quasi equidem idem sit, atque ego quidem. Non desunt tamen Latinorum exempla, qui cum aliis personis conjunxerint, quos hic sequimur.

V. 69. *Æquo examine lanceis*. Fictionem hanc Homericam expressit Virgilius in 12, aut potius ex Iliad. 22., ubi vide.

Restitit Atrides, non Cretæ rector opimæ
Idomeneus, gemini aut Ajaces: unus in agris
Nestor erat super, invitum quem forte moratur
Percussus sonipes Paridis teloque, manuque.
Inter namque olli cava tempora venit arundo,
Infixa estque alte, primi qua vertice crines
Innascuntur equis, & fata celerrima læthi.
Tollit se arrectum quadrupes, sociumque fatigat
Vulneris impatiens. Hic dum præscindere cultro
Lora senex implexa parat, fremitumque, rotasque
Hectorei currus, instantemque Hectora cernit,
Clausissetque diem, sed protinus obvius ante
Tydides stetit, & socium compellat Ulyssem:
Huc, Laertiade, huc bijuges, huc dirige cursum.
Quo fugis ignavus veluti? te turba sequentum
Jam premet, & turpi transfiget vulnere tergum.
Nestori opem, axiliumque demus,cui Dardanus Hector
Imminet. Hæc ait, at naveis: & castra petebat
Ille volans, ullam nec vocem exterritus audit,
Tydides solus quanquam prope constitit heros,
Nestoraque adfatur: Premeris, pater optime, turba
Dardanidum, sanguisque tibi jam frigidus annis,
Et segnes famuli, nec habenis apta regendis
Dextra gelu, nostros propera conscendere currus,
Eja age, jam cernes quanto per gramina cursu
Hi raptantur equi, seu recta tendere in hostem,
Seu dare terga fugæ expediat, quos nuper ab acri
Cepi Anchisiade: hos famulis committe ferendos,

V. 85. *Tollit se arrectum quadrupes*. Virgiliana loquutio in 1. ubi Mesentio adversum se ruente Æneas inter
,, Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam.
,, Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras. Verberat.

V. 96. *Ille volans*. Ulysses enim
,, Dives opum, & lingua melior, sed frigida bello
,, Dextera, consiliis habitus non futilis author
lacessitus tamen, & provocatus audet nonnunquam, ut honori consulat.

Hectora nos contra properemus: noverit utrum
Tydidæ in manibus satis hæc insaniat hasta.
Sic infit, paretque senex, currumque jacentem
Eurymedon, Sthenelusque sibi sumpsere ferendum:
Tum pictos scandit currus Diomedis uterque.
Arte laboratas tractabat Nestor habenas,
Verberaque insonuit, confestimque Hectora propter
Adstiterunt: primus Tydides surgit in hastam,
Eniopeumque ferit famulum, frœnosque tenentem
Thebæo genitum, telumque in pectore condit.
Sternitur infelix aliena morte, ruitque
Frigidus ab curru: tristeis anima ivit in umbras.
Infremuit Socii casu concussus acerbo
Trojugenuum ductor, perque agmina tota peritum
Circumit aurigam vestigans; obvius agris
Iphitides Archeptolemus forte adstitit: olli
Frœnaque cornipedum, & curam committit equorum.
Tum vero ingenti perculsi clade sub altos
Fugissent muros Teucri, tremerentque reclusi
Imbelles veluti stabulis cingentibus agni,
Adspectans sed enim genitor Divumque, hominumque
Intonat horrendum, candensque e nubibus atris
Ante rotas fulmen jaculatur, equosque frementeis,
Sulphuris atque ingens per campos flamma refulsit,
Correptique metu subito sub curribus altis
Æripedes sternuntur equi, labuntur habenæ
Nestoris è manibus, Diomedemque ore trementi
Adloquitur senior: Naveis, & tuta petamus
Castra fuga, o Tydeo gnate, stant numina contra;
Nunc Teucris, Priamoque favet Saturnius: olim
Forte etiam & nobis: non cœli obstantia fata,

V. 116. *Aliena morte*. Quod Virgilius. *Sternitur infelix alieno vulnere* in 1.
V. 129 *Sulphuris*. Cujus semper odor in fulguritis locis sentitur.
V. 136. *Non cœli obstantia fata*. *Non enim est scientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*, ut in Deuteronomio dicitur.

Consiliumque Jovis mutare, aut vincere quisquam
Terrigenum speret quanquam fortissimus, uno
Omnipotens quando genitor movet omnia nutu.
Talia Nelides, Tydei sic filius infit:
Recta mones, pater; illa animum sed cura remordet.
Hector enim quondam Teucrum stipante corona
Tydeo jactabit gnatum sibi terga dedisse
Armatum campis. Hæc olim, terra dehiscat
Sed mihi lata prius. Jactantem talia Nestor
Solatur verbis: Alios hoc dedecus, haud Te,
Chare, manet, non Dardanidæ, non talia matres
Credent Iliades, juvenes quarum ipse maritos,
Et gnatos crudo misisti in Tartara ferro.
Sic fatus convertit equos, & castra petentum
Miscet se turmæ; at Teucri telisque fatigant,
Et clamore viros, cristatusque incitat Hector
Tydidem, & verbis fugientem irridet amaris:
Tydide, non prima tibi subsellia mensis,
Extaque, nec pleno crebros crateras Jacho,
Ut quondam Regesque dabunt, proceresque Pelasgi.
I, pete tuta fuga, imbellis, mollisque puella;
At non me fugiente arceis, atque alta subibis
Pergama, captivas nec matres puppibus altis
Abduces, prius hac mittam te in Tartara dextra.
Sic fatur. Ter Tydides convertere bigas,
Terque virum statuit jactantem invadere ferro,
Terque etiam Idæis ab montibus intonat æther,
Auspice prælucet Teucrum & victoria cœlo.
Hector at ingenti compellat voce phalanges:
Nunc,nunc bella manus poscunt, Lyciique,Phrygesque,
Ab Jove nunc concessa favet victoria Teucris,
Imminet exitium Danais dementibus, hunc qui
Viribus Hectoreis imbellem opponere murum,
Trajectu & facilem tentarint ducere fossam.
Vos, ego quum naveis cursu pervenero ad altas
Ferte manu flammam memores, ipsasque, virosque

Digitized by Google

Attonitos fumo ut perdam , & formidine inerteis .
Sic fatus , bijuges acuit sermone comanteis .
Xantheque , tuque Podarge , Æthonque , atque inclyte Lampe ,
Hordea nunc mihi : nunc suavem persolvite victum ,
Vinaque , quæ vobis quondam prius ædibus amplis
Obtulit Andromache . soboles pulchra Eetionis ,
Quam mihi , cui primis virgo est conjuncta hymenæis.
Ergo agite , ut clypeum longævi Nestoris , auro
Quem solido insignem totum fert fama per orbem ,
Tydidæ aut humeris , multa quam Mulciber arte
Extudit , argento loricam , atque ære coruscam
Accipiam , quæ si abstulero , non crastina Achivas
Lux , reor , adspiciet Trojana ad litora puppeis .
Sic ait , at furiis ingentibus effera Juno
Neptunum adloquitur , Divum domus alta tremiscit
Indignante Dea : Neque te miserescit Achivum
Neptune armipotens ? Helicenque , Ægæaque frustra
Templa tibi , & magnis cumulent altaria donis ?
Quin agite , o Danais Superum quicumque favetis ,
Irruite in Teucros ; hortor vos regia conjux ,
Et germana Jovis . Solus sublimibus Idæ
Verticibus fremat , ac vireis , irasque Deorum
Sentiat ille semel . Jactanti talia , frater :
Insanis , soror ? An Divi , quot claudit Olympus ,
Stare Jovem contra , vireisque opponere certent ?
Talia Cœlicolæ magni sese inter agebant .
Interea quantum ab pelago ad fossam usque profundam
Arva patent , currusque , & equi , clypeataque complet
Turba virum , sævi quos Hectoris ira coactos ,
Ac trepidos premit , ab cœlo dum fata secundo
Læta fluunt , & jam ratibus jam cogitat igneis .
Atridem sed enim movit Saturnia Juno
Compellare viros , animosque accendere dictis .
Ergo rateis obit intrepidus , tentoriaque alta ,
Ardentemque manu sustentat murice pallam ,

Digitized by Google

Et positam in medio navem conscendit Ulyssis,
Qua hortantis vocem spatiis æqualibus ambo,
Ultimus inde Ajax, ferus hinc audiret Achilles.
O formæ tantum pubes studiosa decoræ,
Grajugenæ, quo prisca, viri jactantia cessit,
Qua se quisque olim ad Lemnum inter pocula mensæ
Tergaque taurorum, centum pro Troibus unum,
Bisque etiam centum insano jactaverat ore?
Millia nunc armata tamen jam cedimus uni
Priamidæ, mox qui flammas, ignemque carinis
Injiciet victor, vel aget per viscera ferrum.
Jupiter omnipotens, tale unquam dedecus alter
Sustinuit Regum? doluit vel pressus eadem
Clade, pater? Tamen Argolicis quum puppibus oras
Iliacas peterem, promissaque mœnia fatis,
Sacra tibi nunquam caruere altaria donis,
Muneribusque meis, adipemque, & pinguia semper
Exta boum, & puris combussi tergora flammis.
Hoc saltem, o Divum genitor, (non Pergama posco,
Non Priami gazam) hoc saltem concede roganti
Incolumeis liceat patrias remeare sub oras
Ut miseris, sævasque manus evadere Teucrum.
Sic inquit, tetigere Jovem lacrimæque, precesque,
Agminaque Argolicas iterum perducere ad urbeis
Annuit, atque aquilam (quo non felicius ullum
Augurium ex avibus) superas sinit ire per auras
Fulvamque, ingentemque: olli tener hinnulus uncis
Unguibus hærebat, celeris pulcherrima cervæ
Progenies, hunc illa Jovis prope dejicit aram,
Regi ubi Cœlicolum mactabant rite Pelasgi.
Tum vero augurium læto clamore salutant,
Et revocant animos, primusque ex agmine toto
Tydides volat, & fossam prævertitur altam.
Atque Agelao Phradmonidæ tergo incutit hastam,
Dum trepidus fugit, egreditur per pectora cuspis.
Ille cadit, super ingentem dant arma sonorem.

Digitized by Google

Tydidem Atrides gemini, geminique sequuntur
Ajaces bellorum animæ, Idomeneusque, Deoque
Meriones similis Marti, atque Evæmone natus
Eurypilus, Teucerque arcu, insignisque sagittis.
Stabatque Ajacis clypeo contectus, & hosteis
Hinc circumspectans, quum tracto spicula nervo
Fuderat, inque Erebi quemquam demiserat umbram,
Ad matrem veluti trepidus puer, ille redibat
Fraternum subito ad clypeum, tutusque latebat
Orbe sub ingenti. Quem primum straverit heros
Diva cane. Orsilochum ante alios, Hamopaonaque acrem
Insignem Polyæmonidem, Chromiumque, Ophelestem,
Ormenon, atque Deo similem membris Lycophonta.
Dætoraque, ac Teucros inter clarum Melanippum.
Gestiit adspiciens Grajorum ductor, & altum
Inclamans. Salve Teucer, charum caput, o! sic
Perge bone, afflictis miserorum rebus Achivum
Forte jubar fies, immortalisque parenti
Gloria, qui curis aluit te ingentibus olim
Matre nothum quamquam, Martisque instruxit in arteis.
Nos quoque, nos tibi, si Priami convellere regnum
Fata duint, ausis pro talibus, inclyta quondam
Præmia, vel tripodem dabimus, multove nitenteis
Ære rotas, & equos volucres, lectamve puellam.
Talia Rex, Teucer contra hæc Telamonius infit:
Quid memet properantem urges. Rex maxime, dictis?
Ex quo etenim versus muros, atque Ilion altam
Reppulimus Teucros, octo jam dextra sagittas
Miserit, octo animæ tristem petiere paludem
Florentum juvenum; sed non avertere campo
Hectora adhuc potui. Hæc fatur, lectamque sagittam
Priamidem contra tota jaculatur opum vi,
Sed longe volat, & pugnantem forte per agros
Gorgythiona ferit Priami quoque sanguine cretum,
Eximiumque armis, quem Castianira Deabus
Par forma Æsymii peragrat dum jugera campi

Digitized by Google

Fuderat, huic calidum perrumpit viscera ferrum,
Ac veluti aut violæ, lassove papavera collo
Demisere caput, pluvia quum forte gravantur,
Haud secus olli humero cervix collapsa recumbit,
Insurgitque iterum Teucer, telumque sonanti
Ex arcu jacit, Hectoreo sed corpore longe
Arcitenens abigit Phœbus: secat aera cuspis,
Iphitidæque Archeptolemi præcordia rumpit.
Ille ruit curru ex alto, tum lumina somnus
Ferreus occludit, trepidique per arva jugales
Hac, illac fugitant. Aurigam maximus Hector,
Et comitem magno perculsus corda dolore
Semianimem linquit, fratri tum tradit habenas
Cebrioni: ipse rotis, & curru interritus alto
Desilit in terram, saxumque immane prehendit,
Voce tonans magna, & recta contendit in hostem.
At pharetra telum exemptum Salaminius heros
Impiger aptabat nervo, retroque trahebat.
Illum Priamides saxo petit, & ferit altum
Juxta humerum, qua cervices pectusque cohærent,
Et lætho est aditus facilis, nervumque refregit.
Dextera cum torpet, manibusque elabitur arcus,
Corruit inque genu; at lapsum fortisſimus Ajax
Tutatur clypeo, ad naveis dum fidus Alastor,
Mecisteusque ferunt clamantem, & multa dolentem.
Hic animos pater ingenteis Saturnius addit
Trojugenis, cedunt Danai, retroque feruntur.
Hector primores inter fera lumina torquens
Huc, illuc graditur, ceu quum acrem monte leonem,
Setigerum aut quondam densis in saltibus aprum
Insequitur canis, atque pedem pede fervidus urget:
Tergaque, coxasque observat fugientis, & usque
Hæret hians, Danaum assiduus sic terga premebat,

V. 281. *Ac veluti aut violæ.* Comparationem hanc ex Gorgythione ad suum Euryalum traduxit Virgilius in 9. Æneid.

Torpenteisque fuga sternebat Dardanus Hector.
Inde ubi jam vallo tuti, fossaque latebant
Hortantur sese mutuo, Divosque precantur
Clamore ingenti, erectisque ad sidera palmis.
Ast Hector celeres agit hinc: agit inde quadrigas
Gorgoneos oculos, Martique simillimus ora.
Regia tum Juno Danaos miserata paventeis
Infremit, & magna adloquitur sic voce Minervam:
Chara Jovis proles, Danaosne extrema ferenteis
Hectoris unius patiemur robore cædi?
Nonne vides quantis miseri ærumnisque, metuque
Attoniti lugent? quantum furit Hector in armis?
Huic Pallas contra. Atque animas centum ille dedisset,
Argivumque manu patriis cecidisset in arvis;
At pater ille meus furiis agitatus iniquis
Infensusque mihi hos animos, dextramque moratur.
Nec meminit quibus afflictum curisque, malisque
Rege sub Eurysteo gnatum servavimus olim
Mœrentemque animo, ac Divos clamore vocantem.
Auxiliumque dabam misero, mœstumque levabam;
At mihi venturi mens si præsaga fuisset,
Tartara quum petiit, ferrato & cardine portas
Ore canem triplici æthereas ducturus ad oras,
Non utique Stygiæ fugisset stagna paludis.
Despicimur sed enim, Thetidis dum Jupiter exlex
Obsequitur precibus, quondam queis Diva profusis
Demulsit complexa genu, mentumque prehendit
Offensum Æacidæ ut gnati repararet honorem.
Fors erit ut nostri indigeat, gnatamque vocabit.
Nunc currus tu, Diva, para, bijugesque frementeis
Donec ego Jovis in tectis cruda induor arma.
Videro num nobis ducentibus agmina Grajum
Patre satus Priamo cristatus gaudeat Hector.

V. 330. *Gnatum*. Herculem Jovis ex Alcmena filium. De hac fabula, Cerbero Cane, ac descensu Herculis ad inferos late Ovidius.

Digitized by Google

Porte canes quisquam & Troum, sævasque volucres
Carnibus, & nigro saturabit sanguine campos.
Talia jactanti paret Saturnia Juno,
Auricomos & equos properans, axemque parabat,
Juno Jovis soror, & conjux, numemque verendum.
At Pallas, peplum variis quod floribus olim
Neverat ipsa manu, & pallam discincta fluentem
Ædibus in patriis, squammis, auroque micantem
Thoracem induitur, pugnamque armatur in acrem.
Conscenditque rotas, tum dextra corripit hastam
Ingentemque, gravem, validam, qua fervida turmas
Illa virum, heroasque domat Jove nata parente.
Juno acceis hortatur equos, urgetque flagello,
Sidereæque patent portæ adnitentibus Horis,
Queis Jovis imperiis custodia credita cœli est,
Vel reserare altam, vel claudere nubibus æthram.
Aera jamque secant, cœloque feruntur aperto
Quum pater omnipotens Idæ de vertice summo
Prospiciens, multoque irarum turbidus æstu,
Evocat auratis celerem Thaumantida pennis:
Iri, Deas retro, & volucres converte jugaleis,
Nec propius sine me adversum properare furenteis.
Haud etenim paribus mecum concurritur armis.
Namque & equos sternam, vertamque axemque, Deasque
Nec dolor ille decem poterit volventibus annis,
Ulla nec Divum, aut hominum lenirier arte,
Vulneraque, ardenti fulmen quæ impresserit ictu.
Et memor irarum, patriique furoris in ævum
Lugebit Pallas. Junonis non ego rixas,
Curarimque dolos, queis sese opponere nostris
Consiliis amat, & cœptis obstare quietis.
Sic ait, illa volat rapido velocior Euro
Culmine ab Idæo, inque altum contendit Olympum;
Limineque in primo properanteis, ore minaci
Adloquitur, magni exponens mandata parentis:
Quo stultæ ruitis? Quæ tanta insania, Divæ?

Jupiter auxilia hæc vetat, iratusque minatur
Et vobis, & equis cladem, currusque ruinam,
Tuque, o gnata Deo, an vultus temerare verendos,
Inque Jovem audebis sceleratam attollere dextram?
Tantum effata, fuga liquidas Dea pervolat auras.
Regia tum Juno: haud chara pro gente Pelasgum
Arma Jovem contra, pugnamque licere putandum est.
Vixerit hic, ille intereat, sua cuique salutem
Ut sors, & fortuna tulit, Danaosque, Phrygesque
Consiliis regat æternis Rex Jupiter æquus
Dixerat, inque altum bijuges convertit Olympum,
Fumanteisque locant plenis præsepibus Horæ,
Auratum & currum inclinant parietibus altis,
Cœlicolasque inter Divæ, atque sedilibus aureis
Membra locant, versantque ingenteis pectore curas.
At pater Omnipotens Idæa cacumina linquens
Flectit equos Divum in sedeis, arceisque beatas.
Hos alta ad stabula, & nitidas Neptunus ad haras
Actutum tulit, & currum velamine cinxit.
Jupiter altitonans solio in fulgente resedit,
Concutiturque sedente Deo, & tremit altus Olympus,
Inde procul tacitæ Pallas, Iunoque sedebant,
Mœrenteis placido adfatur quas Jupiter ore:
Mœretisne, Deæ? at fessæ non pondere certe
Armorum, aut multa Troum de cæde jacetis,
Quos alitis contra sævum hunc in corde furorem.
Propositum sed enim Jovis haud mutaverit omne
Concilium Divum, quotquot supera alta tenetis.
Cunctis quandoquidem virtute, & robore præsto.
Sed vobis pugnamque ante, horrentemque tumultum
Corda tremor tenuit, pulchro nec sidera rursum,
Templa nec alta Deum licuisset scandere curru
Fulmine percussis candenti. Talia fatur.
Interea Pallas procul, & Saturnia Juno
Ore gemunt tacito, nec quicquam irata parenti
Pallas ait, sævitque dolens, atque æstuat intus.

Digitized by Google

Ast iræ impatiens fatur sic maxima Juno:
Sat mihi, sat reliquis invicta potentia Divis
Nota tua est. Quid nos verbis percellis amaris?
Hoc scelus, hoc crimen, fatis quod flemus iniquis
Oppressos Danaos. Quod si auxiliarier armis
Cœlicolum prohibes, saltem prudentibus ipsos
Consiliis liceat regere, ac subducere morti.
Hæc Juno, hæc cœli genitor qui nubila cogit;
Cras mage, si lubet, adspicies, pulcherrima Juno,
Saturno natum ingenti virtute per agros
Argolicas rumpentem acies, & castra prementem.
Non etenim prius ab campis Tros cesserit Hector,
Quam magnus rursum ab ratibus cieatur Achilles,
Undique quum pressis Danais, Patrocloque perempto
Clade sub extrema ad naveis pugnabitur altas.
Nam sic fata ferunt: nec te iratam, atque furentem
Curarim quicquam. Per me licet, ultima ponti,
Tellurisque petas, Japetus qua carcere cœco,
Saturnusque fremunt, nec Phæbi luce, nec auris
Oblectant placidis animum: stant Tartara circum.
Nulla tuæ nos cura fugæ turbaverit, inquam,
Illuc si adpuleris, durum, implacabile monstrum.
Dixerat hæc, Junoque pudens obmutuit ore.
Oceani interea Phœbus petit æquora curru,
Almaque nigrescit tellus horrentibus umbris.
Trojugenis ingrata quidem lux occidit aurea,
Grata sed afflictis, terque exoptata Pelasgis.
Hæc inter procul ab ratibus prope fluminis oras,
Qua strageis inter, totisque cadavera campis
Hac, illac congesta locus, cœtum evocat Hector.
Troes equis subito terram petiere relictis,
Ille decem, atque ultra cubitos longam tenet hastam,
Ærea cui cuspis longe resplendet, & aureus
Annulus it circum, hac nixus sic incipit heros:
Trojugenæ, ac Phryges, & Lycii, spes maxima Trojæ,
Combustis ratibus Grajum, stratisque maniplis

Credideram modo victriceis in mœnia turmas,
Templaque ducturum: spem nox inimica fefellit,
Servavitqe viros, pictasque ad litora puppeis.
Cedamus tenebris (sic Dii voluistis) & ægra
Corpora curemus victu, bijugesque comanteis
Solvite, carpantque præsepibus hordea plenis.
Tum Cererem, pingueisque boves, ac dulcia vina
Ab domibus properate, atque insuper arida ligna,
Ut noctem solidam Auroræ nascentis ad ortum
Ignibus arva micent, magnusque refulgeat æther.
Noctem sub nigram Danai ne in puppibus altis
Maturare fugam, & pelago se credere tentent.
Haud saltem sine cæde rateis, sine sanguine tuti
Conscendant, habeatque recentia vulnera quisque
Fraxineæve hastæ, aut gladij, volucrisve sagittæ,
Quæ curanda domi ferat, & memor horreat alter
Pergameas arceis, belloque lacessere Teucros.
Insuper & magnam præco mittatur in urbem,
Ut pueros pubescenteis, & tempora canos
Excubias agitare senes in turribus altis
Edicat, jubeatque: ægras tum denique matres
Hortetur magnos accendere in ædibus igneis,
Firmaque sit totis pernox custodia muris,
Ne Argivum juvenum manus improvisa repente
Ingruat attonitæ turmis absentibus urbi.
Omnia, ut exposui: cives, rata, firmaque sunto.
Cras alio adstanteis forsan sermone morabor,
Si modo in auxilium Jove, Cœlitibusque vocatis,
Hanc fatis ductam adversis ab litore pestem
Propulerim nostro. Nunc. vos servate manentes.
Aurora in roseis aderit quum candida bigis,
Et ferro, & flamma ad naveis pugnabimus altas.
Experiar Tydeo an natus me trudat in urbem,
Anve ego prostratum spoliem fulgentibus armis.
Ipse suas noscet vireis, si robore nostro
Sustinet intortum ferrata cuspide telum;

Digitized by Google

At reor, in primis flavam mordebit arenam
Lectis cum sociis, Phœbus quum fulserit ortu.
Sic utinam lætho exemptus, fatisque caducis,
Immortali ævo, æterna fruererque juventa,
Ac Phœbus colerer veluti, votisque vocarer
Illa dies erit ut generi mœstissima Grajum.
Sic jactans memorat, Troes plausere faventes.
Tum bijuges solvunt calido sudore madenteis
Currus quemque suos propter, religantque capistris.
Et Bachum,ac Cererem, pecudesque, bovesque ferebant
Soliciti ab tectis, magnasque e saltibus ornos,
Disponuntque dapeis, superas it nidor ad auras.
Olli elati animis per campos ordine longo
Nocte sedent tota, & crebris micat ignibus arvus.
Ac veluti plenam quum circum sidera Lunam
Pulchra nitent, cœli quondam statione serena,
Et speculæ procul, apparentque cacumina summa,
Et nemora alta, superque ingens aperitur Olympus,
Astraque, lætaturque tuens de culmine pastor.
Tot naveis inter, Xanthi & saxosa fluenta
Teucrorum apparent ignes ante Ilion altum.
Mille rogi, & mille: at circum clypeata virorum
Turba sedet quinquaginta, juxtaque ligatus
Stat sonipes, virideisque herbas, atque hordea mandit,
Auroram expectans roseam, lucemque diei.

V. 504. *Ac veluti plenam*. Serenæ noctis descriptio pulcherrima, & cœco vati gratissima.

Digitized by Google

LIBER NONUS.

ARGUMENTUM.

Agamemnon Græcos ad fugam capessendam hortatur, cui adversantur Diomedes, ac Nestor. Hujus suasu Ulysses, Ajax, Phœnix legati ad Achillem mittuntur. Ille constantissime renuit: legati renunciant, & Diomede hortante pugna decernitur.

TAlia per campos Teucrorum; at luctus Achivos,
Pallidus ac timor exagitat, gelidique timoris
Anxietas comes, ac piscosi ut marmora ponti
Quum Boreas, Zephyrusque repente ex montibus urgent
Threiciis, cumulus nigrarum exurgit aquarum
Hinc, illinc, viridisque in saxa refunditur alga,
Sic animus Danaum curarum fluctuat æstu.
Maximus in primis Agamemnon ductor Atrides
Irrequietus obit, præconesque ire canoros
Per campos jubet, atque alta in tentoria lectos
Cogere, non tamen assueto clamore vocatos,
Grajugenum proceres. Mœstos tum mœstior inter
Consurgit lacrimans, nigro ceu ex fonte perennes
Præcipitant, celsisque ruunt de rupibus undæ,
Tunc sic ille altos fundens e pectore questus:
O mihi gens dilecta, duces, Saturnius hac me
Clade premit, mihi Trojana de gente triumphos
Pollicitus quondam, nunc ipse infensus Achivis
Indecorem jubet in patrios remeare penateis
Turmarum ingenti amissa jam parte; sed alto
Sic placitum Patri, qui regna, urbeisque superbas
Vertit quum voluit, vertet mox quum volet; uni
Nam mare, tellusque obsequitur, parentque vocanti.

Quare agite, Argolicas iterum vertamur ad oras;
Iliacos quando vetitum jam vertere muros.
Talia Rex; hæsere omnes, mœstique silebant.
Tydides tandem hanc profert de pectore vocem:
Haud equidem verear tibi me inconsulta loquenti,
Maxime Grajorum, monitis opponere rectis,
Qua decet, ac ducibus qua libertate loquendum
Concilio in magno; at dictis ne irascere nostris:
Atque etenim imbellem quondam, ignavumque canebas.
Illa quidem Danaum norunt juvenesque, senesque.
Sceptra tibi, ingentes & opes, populosque superbos
Numina concessere Deum, sed robur in armis,
Virtutemque aliis, quo non præstantius ullum.
Hinc fugere? Usque adeo ignavi, segnesque videmur?
Vel tantum has exosa fugit victoria dextras?
Quod si tantus amor patriæ, tibi classis in acta est,
Instructæque rates, diteis inglorius Argos
I, pete, quid cessas? ponti patet æquor, abito.
At reliqui Danaum ad Priami pugnabimus urbem,
Dum ruat usque, vel in patrios properare penateis
Si lubet,hi quoque contendant,ego Pergama,ego,inquam
Et mecum Sthenelus tandem expugnabimus armis,
Non etenim sine mente Deum, sine numine Trojam,
Venimus. Hæc jactat. Simul omnes ore fremebant
Grajugenæ, placida Nestor tunc voce profatur:
Tydide, & reliquos excedis robore Achivos,
Consilioque ætate pareis; nec recta loquutum
Abnuerit quisquam; sed metam attingere rerum
Nondum ætas patitur, genitore ac Nestore posses
In lucem prodisse: gravi tamen ore paventeis
Regum erexti animos, populosque in bella vocasti.

V. 32. *Atque etenim*. Nunc Diomedes postquam Græcos, ac Trojanos omnes virtutis, ac facinorum suorum testes effecerat, injuriæ quondam sibi ab Agamemnone illatæ meminit, quam prius dissimulaverat.

Digitized by Google

Verum age, te quoniam longis provectior annis
Esse feror, loquar, & percurrens singula dicam,
Quæ non Atrides, Danaum nec spreverit alter.
Exlex ille, tribusque, larisque indignus, & expers,
Qui intestina odia, & civileis foverit iras.
Nunc, lecti comites nocti cedamus, & umbræ,
Vos cœnam instruite, & muros, fossamque præaltam
Custodes, juvenum lectissima robora propter
Stent vigiles, tu, magne, jube; ad te spectat, Atride,
Ductores, lectosque Patres simul excipe mensis.
Plena jacent vino tentoria, sæpe recentes
Quod tibi Threjcio vexere ab litore puppes,
Atque instructa penus dapibus, sceptroque potenti
Pluribus ipse præes, plureisque audire juvabit,
Optima suadenti parere; nec utile quicquam
Nunc Danais mage,quā prudens,rectumque,probumque
Consilium, prope jam ratibus quando imminet hostis,
Vicinæque micant flammæ. Quis talia cernens
Non tremat?Hæc nox, hæc, inquam, servabit Achivum,
Disperdetve semel classem. Sic ore loquutus.
Paretque Atrides actutum, liminaque extra
Custodes properare jubet, Thrasymedea primum
Nestoridem,Ascalaphumque,& Jalmenon armipotenteis
Merionemque, ac Deipirum, atque Apharea superbum,
Et magno Creonte satum Lycomedea magnum,
Custodum septem ductores, corpora lecta.
Quemque manus juvenum sequitur fortissima centum,
Hasta quibus manibus, murumque, interque profundam
Considunt fossam, & crebris ager ignibus ardet.
Accinguntque omnes dapibus, vinoque vetusto.
At parte ex alia clari in tentoria Atridæ
Conveniunt proceres Danaum, mensisque recumbunt.
Postquam extincta fames, Nestor sic farier infit:
Maxime Grajugenum, atque Atreo dignissima proles,
Tu mihi principium sermonis, & exitus idem,
Jupiter omnipotens regni cui sceptra regenda

Digitized by Google

Tradidit, & populos voluit parere coactos:
Te decet in primis animos sermone diserto
Flectere, teque etiam prudentum accedere dictis
Siqua fuant, licet at nobis exponere coram
Sensa animi. Quisquam non his meliora profecto
Dixerit adstantum, atque equidem sic arbitror, & nunc,
Sic etiam ex illo semper mihi tempore visum est,
Quo tu pulchricomam Briseida, ductor, Achilli
Invitam irato iratus de puppe tulisti,
Meque etiam contra suadente, & multa rogante.
Dilectumque Jovi heroem, Danaumque salutem
Sprevisti indulgens animo, cœcoque dolori.
Ergo age, frendentem Æacidem, atque indigna ferentem
Muneribus largis, blandisque inflectere dictis
Quam primum satage. Hæc fatur: tum magnus Atrides:
Hæc, inquit, mea magna, senex, errata profecto,
Haud falsus memoras, nec peccatum ipse negarim.
Nimirum multis pro millibus ille virorum
Censendus merito, quem Jupiter æquus amavit.
Sic nunc ille premit Danaos, extollit Achillem.
Verum age, peccatum quoniam, nunc munera mittam
Digna viro, atque animum adgrediar mulcere furentem.
Dona quidem vobis libet hic exponere coram.
Septem ignem haud passos tripodes, aurique talenta
Bisquina, & duplo fulgenteis ære lebetas,
Bisque etiam senum præstantia corpora equorum,
Qui palmam sœpe, & velocis prœmia cursus
Obtinuere olim: non illum dicere egenum
Quis posset, fulvi cui tantum obtingeret auri
Cornipedes quantum pulchro in certamine nobis
Pernici peperere fuga: tum corpora septem
Lecta puellarum, ex illis, quas ipsemet olim
Lesbo expugnata victricibus adtulit armis,
Præstanteis forma, egregiis atque artibus omneis
Excultas, ego quas prædam partitus opimam
Servabam mihi, fœmineum genus omne decoro

Vincentes vultu, has, inquam, Briseidaque inter
Abductam nuper: Divis tum testibus addam
Illius haud me unquam amplexum petiisse, nec altos
Conscendisse thoros. Priami quod Jupiter urbem
Vertere si dederit, gazaque potirier omni,
Ære gravem multo, congestoque impleat auro
Ipse ratem, denas etiam bis ipse puellas,
Tyndaridem quæ post Helenam, roseo ore, genisque
Præstiterint, legat. At pingueis Saturnius Argos
Si remeare dabit, gener, & mihi dulcis Orestis
Instar erit, tectis qui nunc adolescit avitis
Regifico in luxu, curisque. Hæ sunt mihi gnatæ;
Chrysothemisque, & Laodice, & pulchra Iphianassa.
Ille domum in patriam nullis sponsalibus harum
Quamlibet abducat; sed ego dotalia contra
Dona dabo, quot nemo unquam ex mortalibus ulli
Gnatarum dederit, nimirum, ingentia septem
Oppida, turritasque urbeis, Enopemque feracem,
Herbosamque Hyram, populosaque mœnia, Pheras,
Cardamylem, Antæasque arceis, valleisque profundas,
Et pulchram Æpeam, & Pedasum, felicia Bacho
Culmina, quæ Pylii cunctæ prope litoris oram.
Oceanumque jacent: gregibusque has accola dives,
Armentisque tenet, magnis & honoribus ipsum,
Ceu numen populi recolent, solitumque tributum,
Debita persolvent ac vectigalia Regi.
Hæc, inquam, dabo, si veteres tandem exuat iras.
Flectier humanum est; Pluto implacabilis unus,
Nescius & flecti, Divum infensissimus ipse
Propterea miseris mortalibus. Et mihi certe
Cedere Pelidem satius, nam major & annis,
Imperioque etiam. Hæc fatur: tum talia Nestor:
Non sane adspernanda duci, Rex maxime Grajum;
Munera commemoras: age jam, lectosque ministros
Adproperemus, ait, magni in tentoria Achillis.
Me permitte viros legere: olli jussa capessant.

Sit Phœnix prior, inde Ajax, & cautus Ulysses,
Eurybates præco hos proceres, Hodiusque sequantur.
Ferte citi manibus limphas, linguisque favete,
Libemusque Jovi nostra hæc ut cœpta secundet.
Talia Nelides, Danai plausere frequentes.
Tum manibus limphas properant, & vina coronant,
Distribuuntque citi juvenes. Olli aurea libant
Pocula, supremumque Jovem tacito ore precantur.
Hæc postquam, magni properant ab limine Atridæ.
At senior jamque hunc verbis, jam convenit illum
Multa jubens, Ithaco præsertim, ut flectere dictis
Pelidem immitem tota conentur opum vi.
Horrisonos jamque ad fluctus, & litora tendunt
Plurima Neptuno geminantes vota, precesque,
Flecteret Æacidæ ut mentem, atque ferocia corda.
Ut ventum ad naveis, ipsum præclara canentem
Gesta virum inveniunt, cythara curasque levantem,
Pulchra, arguta, eversa olim Eetionis ab urbe,
Quam tulerat Thebe: argento distenditur olli
Læve jugum super: at procul e regione sedebat
Ore Menœtiades tacito, plausuque favebat.
Progressi ulterius legati, & primus Ulysses
Ut coram steterunt, cytharam, sedemque relinquens
Exilit Æacides, Patroclusque: ille ore sereno
Compellatque viros ultro, dextrasque prehendit.
Salvete, o mihi cunctorum charissimi Achivum,
Quid petitis? nec enim incassum, nullove premente
Adventasse rear. Sic fatus ad intima ducit,
Sedibus ac blandis, pictisque tapetibus omneis
Collocat, ac Patroclo: magnum cratera, sodalis,
Eja age permistumque minoribus ingere limphis.
Procula tum cuique, hæc quoniam clarissima nostro

V. 163. *Sit Phœnix prior*. Phœnix, quia Curator ipsi a Patre Peleo datus, ideoque Achilli charissimus, Ajax, quia militari virtute, et animi candore ipsi simillimus. Ulysses, quia eloquentissimus, ut ipsi persuaderet.

Lumina Grajorum, & mihi gens charissima tecto
Improvisi adsunt. Paret comes impiger olli,
Atque ovis, & capreæ pinguissima terga, suisque
Terga saginati fumanti infundit aheno.
Automedon manibus carneis, atque exta tenebat.
Pelides secat, & verubus transfigit acutis.
At Patroclus flammam ingentem accenditque, fovetque;
Ignis ubi primo jam deflagraverat æstu,
Dispositas super insternebat tergora prunas,
Spargebatque salem sacrum, Cereremque canistris
Portabat niveam, carneisque ferebat Achilles.
Ipse Ithacum contra sedit, charumque sodalem
Sacrificare jubet, præceptas ille sacratam
Primitias jacit in flammam, dapibusque fruuntur
Appositis Danaum proceres, dulcique Lyæo.
Postquam exempta fames, & amor compressus edendi
Innuit Ajaci Phœnix, Ithaco innuit Ajax,
Ille autem pateram spumantem tradit Achilli,
Insuper hæc: Salve, o Danaum fortissime gentis,
Pelide, non ad Te epulis, potuque carentes
Venimus, assiduo nos hoc dignatur honore
Grajugenum ductor, sunt & sua cuique reposta
Navibus in longis; sed non convivia tempus,
Regificasque epulas patitur, timor angit Achivos
Namque ingens, & fata animos pendentia turbant.
Crastina lux Danaos servaverit alma, vel ipsos
Disperdet semel, & puppeis combusserit altas,
Tu nisi, gnate Dea, afflictis succurrere rebus
Adproperes, longe haud etenim jam ab puppibus adsunt
Trojugenæ murum propter, fossamque profundam.
Accensique micant ignes, ac triste minantur
Puppibus Argolicis, tum fulgura Jupiter ipse
Fausta Pater Teucris mittit, quibus Hectora fretum
Non jam terrigenum campis avertere quisquam
Non Superum possit, curruque hac vertitur, illac
Vertitur, & furit infandum, ratibusque, virisque,

Et flamma, & ferro exitium, mortemque minatur
Impatiens longa noctis frœnarier umbra.
Atque equidem vereor Divi ne hæc vota secundent,
Et procul ab patria Sigeo in litore Grajos
Fata premant. Oculi cunctorum, ac vota Pelasgum
Te, te unum spectant: patriæ succurre, tuisque,
Victricique Phryges dextra hac compesce superbos.
Æternus te forte dolor, ferusque manebit
Patratum quum nulla malum reparare potestas:
Nunc, nunc pelle moras; pendent dum fata, nec usque
Extremos ventum ad casus, tristemque ruinam.
O dilecte mihi Pelei reminiscere patris
Dicta olim Phtia ex pingui quum Regis Atridæ
Signa sequi, & Lelegum voluit te huc ducere turmas.
Namque ille amplexus inter, charissime dixit,
Robur, si lubet, invictasque in prælia vireis
Numina præstiterint; animos tu in pectore magnos
Conde memor, rixasque omneis, & jurgia vita.
Sic juvenum semper, celebraberis ore, senumque:
Hæc genitor quondam, quorum oblivisceris æstu
Turbidus irarum; verum has de pectore tandem
Mitte precor; tibi Grajorum pulcherrima ductor,
Multaque dona dabit (simul & promissa recenset)
Quod tibi si Atrides animo est invisus, Achivos
At reliquos miserare pius, qui ex æthere lapsum
Te numen veluti recolent, quum gramine toto
Hectora vertentemque acies, ac dira furentem
Obvius interimas, Grajorum ex agmine quando
Adventasse parem sibi dextra, & robore nullum
Exultans canit. Hæc Itachus, cui magnus Achilles,
O Laertiade, vir solertissime Grajum,
Fabor aperte, inquit, nec rursum audita libenter
Ab reliquis audire velim, Stygiisque fluentis
Ille mihi magis invisus, qui perfidus, exlex
Ore aliud profert, aliudque in pectore condit.
Ergo loquar semel: Argivum non talia ductor

Google

Unquam, nec mihi ductorum persuaserit alter.
Gratia nam quæ pro tantis mihi reddita curis?
Hostibus ac toties depulsis? Redditur æqua
Cessanti pars, ac pugnanti, fortis, & excors
Laudantur juxta, similique fruuntur honore,
Et fato ignavus, fortisque occumbit eodem.
Nec mihi quid superest postquam tot sæpe periclis
Objeci caput imprudens, Martique cruento.
Solicita ac veluti gnatis implumibus ales
Quæsitam hac, illac curis ingentibus escam
Fertque, refertque, sui cura nec tangitur ulla,
Sic ego, & insomneis nocteis, duxique cruentos
Sœpe dies vestris pro uxoribus agmina contra
Bellantum juvenum: bissenas classe subivi,
Vastavique urbeis, bis quinas, amplius unam
Iliacos per agros pedes, exuviasque superbas,
Et prædam accepi ingentem, Regique ferebam
Atridæ huic vestro, sibi qui pulcherrima servans;
Militibus pauca, ac ducibus dabat, omnia quæ nunc
Illis firma manent; a me Briseida pulchram
Qui dederat, tulit: hanc habeat, raptaque fruatur.
Quis Danaos Trojam contra, inque hæc impulit arma?
Quidve acies tantas pelago commisit Atrides?
Nonne Helenæ ob raptum? an vero ex mortalibus unus
Uxorem Menelaus amat, fraterque superbus?
Scilicet atque hominum quisquis prudensque, bonusque est,
Diliget ille suam, sicut Briseida amabam
Captivam licet; hanc postquam rapuitque, tenetque,
Me sinat, haud rerum ignarum, nec flectere tentet.
Regibus at reliquis, & tecum, ductor Ulysses,
Viderit ut sævos ab puppibus arceat igneis,
Me quoniam sine tam multa est molitus Atrides

V. 290. *An vero*. Quod Turnus in 9. *num solos tangit Atridas iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis*.

Murosque, ingentem & fossam latam, atque profundam,
Et vallos circum, nec propulsare ruentem
Hectora adhuc potuit; sed me pugnante, nec ultra
Frondentem fagum tulerant vestigia Troes
Mœnibus ab celsis, Scææque ab limine portæ.
Vix fatum effugit semel expectare furentem
Ausus Priamides, vel sic tamen Hectora contra
Induere arma iterum, & pugnas tentare recuso.
Cras Jovis auspiciis, Superisque in vota vocatis,
Si lubet, adspicies, Helles super æquora ponti
Velivolas innare rateis, & remige nostro
Percussos pariter tumidos canescere fluctus.
Tertia (Neptunus si ventis vela secundis
Impulerit) lux me Phtias deducet in oras,
In patriosque lareis, ubi tot congesta per annos
Me ingens gaza manet, simul hic quæsita reducam,
Argentum, fulvumque aurum, splendentiaque æra,
Et ferrum nitidum, & lectas pulchro ore puellas.
Præmia sed potiora mihi impius abstulit, ipse
Qui dedit Atrides. Olli hæc mandata referto
Concilio coram, ut cuncti indignentur Achivi.
Quærat Grajugenas inter, quos ore protervo
Decipiat rursum, nostros neque cernere vultus
Unquam ausit; non Atridæ communia mecum
Consilia, aut opus: indigna jam me arte fefellit,
Contempsitque semel: sàtis est, hac laude quietus
A me absit procul insanus, sua munera, & ipsum
Execror, atque odi, nec Regem, ac sceptra tenentem
Vile caput, sed enim reputo. Nec si mihi certe,
Quot congessit opes, decies, triciesque darentur;

V. 311. *Tertia*. Locum hunc ita vertit Cicero l. 1. de Divin. c.25.
Tertia me Phtiæ tempestas læta locabit.
Quam versionem adduco, ut videant Grammatici etiam majorum locorum nomina per genitivum efferri posse, quum per adverbium ubi interrogatio fiat.

Insuper & vel quæ Orchomeni servantur in arce,
Vel Pelusiacis quæ gaza recondita Thebis,
Centenæ quibus ærato stant cardine portæ
Perque harum quamque armati egrediuntur in agros
Bis centum juvenes, & equi, currusque sonantes:
Nec mihi si totidem quot arenæ,& pulveris usquam est,
Non me, inquam, flectat. Sanctum est de Rege superbo
Quas possum, integras de crimine sumere pœnas.
Me Atridæ generum? non si formosior illi
Vel Venere Idalia, vel Pallade cultior ulla
Gnata foret. Meliora suis connubia poscat,
Imperioque parem generum. Mihi visere fineis
Si obtigerit patrios, uxorem moribus aptam
Ipse dabit genitor Peleus: sunt Hellade, sunt &
Glebosa in Phtia Regum de stirpe potentum,
Insignesque opibus, forma & præstante puellæ.
Illic pacatam grata cum conjuge vitam
Lætus agam, campisque fruar, gazaque paterna
Nam mihi quid vita melius, quid charius ipsa?
Non gazæ ingentes, olim quas pace serena
Mœnibus Iliacis, Priamique recondier arce
Fama fuit, non quas sacras ad Apollinis aras
Pytho in saxosa stridentia limina claudunt,
Namque greges, pingueisque boves, tripodasque coruscos,
Æripedes & equos vi, aut arte paraveris; at non
Emissam semel ore animam revocaveris ullis

V. 329. *Orchomeni*. De divitiis apud Orchomenum asservari solitis meminit etiam Thucydides.

V. 330. *Vel Pelusiacis*. Ægyptiis Thebis, quæ ideo Hecatompylæ dictæ sunt.

V. 335. *Sanctum est*. Stat animo fixum, atque immobile.

V. 351. *Pytho in saxosa*. Ita dicta Delphos quod ibi Apollini Pythio, aut Pythomi interfectori templum dicatum esset, unde Pythia Sacerdos, & Pythonissa. Ditissimi hujus templi meminit quoque Thucydides.

Viribus, aut quaquam possis prædarier arte,
Et mihi Diva parens fatum impendere canebat,
Atque viam lætho geminam Thetis aurea quondam.
Pugnanti namque ad Trojam, longumque manenti,
Vita brevis; decus ast ingens, & fama perennis.
At Martem effugiens, si iterum patria alta videbo,
Laus mihi tota perit; sed longum vita per ævum.
Atque equidem cunctis suaderem ut puppibus altis
Hinc fugerent: non Grajorum stat Pergama flammis
Vertier aut Priami regnum. Saturnius urbem,
Jupiter ipse manu valida, civeisque tuetur,
Ulla nec Iliacas acies terrere pericla
Firmatas possint, obnixasque omnia contra.
Talia nunc ferte (hæc vobis commissa potestas,
Hoc munus) meliora sibi, longisque carinis
Quærat consilia, iratum neque flectere donis
Pelidem speret. Phœnix tu hic, chare, maneto,
Ut memet patrias reducem comiteris ad oras,
Si lubet, haud etenim nolentem abducere mens est.
Dixerat, atque olli sermonem, & nescia flecti
Pectora mirantur taciti, dein talibus infit
Longævus Phœnix, fletu & simul ora rigabat
Exitiumque animo versans, classisque ruinam:
Ergone sic odio indulgens, sævoque dolori
In patrias iterum sedeis remeabis, Achilles?
Nec lubet ab ratibus minitantem avertere flammam?
Mœrentemque etiam, fili dulcissime linquens?
Me Sigea patet tibi litora classe petenti
Æacides Peleus, belli necdum arte cruenta
Instructo satis, & Regum non cœtibus apto
Suasorem dedit, & comitem, rerumque magistrum.
Nec dulci amplexu rebar divellier unquam,
Gnate, tuo; non si abrasa Deus ipse senecta
Purpureum membris lumen, floremque juventæ
Reddiderit, fueram veluti quum litus Achivum
Primum deserui, genitoris Amyntoris iras

Ormenidæ fugiens . Pulchræ nam pellicis ille
Captus amore gravi , curis torquebat amaris
Uxorem , matremque meam , genibusque prehensis
Illa gemens ignominiam me sæpe puellæ .
Solicitare thorum , atque infensam reddere patri
Orabat , flebatque rogans , cessique roganti .
Resciit ut genitor , magna utque excanduit ira
Multa Deos Erebi horrendos , Dirasque precatus
Ne ex me unquam genitam prolem amplexuve foveret,
Exciperetve suis genibus . Nec passus inaneis
Ire preces Deus infernus , Proserpinaque ultrix .
Ergo domo aufugere , & vultus vitare paternos
Constituo (atque ipsum ferro obtruncare corusco
Mens fuerat ; sed enim furias , irasque tumenteis
Nescio quis fregit Deus , atque opprobria vulgi ,
Obiecitque animo turpis convicia famæ ,
Ne patris occisor Grajum sermone notarer .)
At me fida manus juvenum , lectique sodales
Stabant assidui circum , & tectum omne tenebant .
Flexipedesque boves multos , multasque bidenteis ,
Setigerosque sues multa pinguedine lectos
Torrebant flammis , ac dulcia vina bibebant
Irati senis , ac semper Vulcanius ignis
Porticibusque alter sublimibus , alter & aulæ
Vestibulo in primo , atque occlusæ ad limina portæ
Per nocteis arsere novem , vigilesque cubanti
Custodes aderant ; decima sed nocte per umbram
Eripui memet tacitus , portasque refregi
Custodesque latens , famulasque : inde Helladis urbeis
Lustravi profugus multas , Peleja donec
In regna , inque ovium felicia pascua veni
Glebosæ Phtiæ . Hic Peleus me in tecta recepit ,
Addit equos , pingueisque agros , urbeisque superbas ,
Unicus ac veluti , patrisque senilibus annis
Progenitus , gazæque ingentis filius hæres
Regi charus eram , & pinguis confinia Phtiæ ,

Ac Dolopum populos lata ditione regebam.
Te hic talem, ac tantum, o hominum fortissime, feci
Consiliis, monitisque meis; convivia adire
Non unquam, aut epulas solitum, vel carpere somnos
Te nisi ego impositum genibus, dapibusque recisis,
Flaventique alerem vino, quo ad pectora vestem,
Atque sinum ejecto rudis infans sæpe rigasti.
Quanta tui causa passus? Quam multa peregi?
Ut misero quoniam prolem mihi fata negarant,
Te gnatum adlegerem, solatia tota senectæ,
Præsidiumque meæ, columenque, & gaudia vitæ.
Sed tu, gnate, doma hunc animum, & miserescere Grajum.
Namque Deum quanquam sit summa potentia longe,
Atque honor, & virtus, tamen exorarier ipsi
Supplicibus votis, taurorum & sanguine fuso,
Et nidore gravi, & sacro libamine gaudent,
Admissum siquod scelus est mortalibus, ægris.
Scilicet atque Preces ducunt genus ab Jove summo,
Rugosæque genas, corruptæ & lumina fletu
Assiduo, tardæque gradum vestigia Noxæ
Pone premunt, illa antevolat, lateque vagatur,
Et pedibus celer, & magno se robore jactat,
Terrigenum generi insultans: illæ usque sequuntur.
Qui Jove progenitas merito dignantur honore,
Hos Divæ amplexu excipiunt, recreantque, foventque;
At se adspernanteis odere, Jovemque precantur,
Patrato ut meritas solvat pro crimine pœnas.
Tu Jove propterea gnatas reverere potenteis.
Atque etenim, nisi te donis cumularet Atrides,
Sed veterem infenso premeret sub corde furorem,
Non te Grajugenis posita auxiliarier ira

V. 427. *Regebam*. Ipsius Pelei vice fungebar in populorum cura, ac regimine. Dictum ex genio senectutis sua extollentis.

V. 457. *Non te Grajugenis*. Non enim satis Achillis honori consultum videretur.

Hortarer miseris quamquam; largitur at ille
Munera nunc magna, & spondet majora daturum.
Delectosque viros, clarissima lumina gentis,
Legatos mittit, charos tibi, Perfice votum
Hoc ipsis, precor, & tantum ne sperne laborem,
Namque prius juxtas quisnam accusaverit iras?
Nunc magnos animo heroas, veterumque revolve
Gesta virum: siquando etenim furor, iraque mentem
Ceperat, hos etiam donis placarier olim,
Et precibus solitos prisci docuere parentes.
Et memini vetus hoc factum; at cui fama perennis,
Nec vobis, gens chara mihi, narrare pigebit.
Ætolos inter, Curetesque aspera quondam
Pugna fuit, magnam Ætoli Calydona tenebant,
Curetes vastare armis, ferroque parabant,
Horrendis exciti odiis, iraque Dianæ.
Namque Œneus, magnæ contempto numine Divæ,
Cœlicolum reliquis pecudumque cruore litarat,
Atque boum multo, postquam in magna horrea magnam
Rettulerat messem, seu quis subrepserit error,
Seu misero mala turbarint oblivia mentem.
Pœnituit certe, saltus nam Diva per omneis,
Et sata culta ferum niveis cum dentibus aprum
Ingentem immisit: cum floribus ille comanteis
Sœpe pyros, imisque etiam ab radicibus ornos,
Et nemora alta solo æquavit, tandem Meleager
Urbibus ex cunctis venatorum agmine facto,
Vique canum multa Œnides horrenda frementem
Occidit, nec enim paucorum occumberet armis.

V. 470. *Ætolos inter*. Rem totam habes latissime apud Ovidium lib. Metamorph. 8. Inde illud Junonis Alexandr. 3.

„ Ætolosne olim campos, Achelojaque rura
„ Fulmineis vastare feris soror aspera Phœbi
„ Ob furias Œnei potuit „.

Simul etiam docemur primitias fructuum Deo offerre: *tua sunt enim omnia, Domine, & quæ de manu tua acepimus, dedimus tibi*. Par. 11.

Tantus erat, multosque rogum conscendere tristem
Fecerat agricolas: Hujus Latonia virgo
Pro capite, & pelle hirsúta fera prœlia movit
Ætolorum inter Curetumque agmina, & urbeis.
Tamque diu Ætolis stabat victoria, donec
Strenuus Œnides Meleager in arma ruebat.
Ast animum quando subiit furor, iraque cœca,
(Quæ magnorum etiam, & sapientum pectora vertit
Sœpe virum) matrem Althæam indignatus, ab armis
Abstinuit, pulchraque domi cum conjuge vitam
Degebat Cleopatra, Idæ de sanguine nata,
Terrigenas qui inter fuerat fortissimus olim,
Marpissæquæ Evenines, insignis & ora,
Atque pedem insignis niveum. Pater Ida sagittas
Phœbum olim contra, curvosque tetenderat arcus
Ob Nymphæ raptum Alcyonis (sic namque parentes
Dixerunt gnatam, Alcyonis quod tristia fata
Mater habens, vitam in gemitu, luctuque trahebat.)
Hanc, inquam, propter residens, tristem ille fovebat
Iram animo matrem exosus, quæ fratris acerba
Fata dolens, sœpe Eumenidas mœsto ore vocabat,
Sœpe etiam geminis tellurem poplite flexo
Tundebat palmis, horrendi numina Ditis,
Voce tonans, tristemque Ecaten, fletu illa perenni
Discinctos perfusa sinus, ut gnatus eodem
Oppeteret fato. Hanc Erebi de sedibus imis
Audivit tenebrosa vagans per nubila Erynnis.
Illicet ad portas fremitus, strepitusque ruentum,
Pultantumque altas turreis; at supplice luctu
Ætolique senes, puraque in veste nitentum
Turba sacerdotum, Œnidem suadentque, rogantque

V. 503. *Alcyonis quod tristia fata*. Sententia est, Idam tulisse sagittas in Phœbum ob raptum Marpissæ uxoris suæ, cui Alcyonis nomen est inditum, quod priscæ illius Alcyones Æoli Regis filiæ fatum sortita videretur.

Consulat ut patriæ, simul atque ingentia dona
Polliciti, Calydonis ubi pinguissimus arvus,
Quinquaginta olli lectissima jugera, partim
Apta bobus, partim donis felicia Bachi.
Orabatque senex Œneus, agitator equorum,
Sublimem ascendens thalamum, orabantque sorores,
Ipsaque mœsta Parens passis Althæa capillis.
Incassum tamen: orabant juvenesque coævi,
Charorumque manus, duram neque flectere mentem
Hi potuere, domos donec jam densius agmen
Curetum ingrueret, murorum & culmina summa
Arderent flammis hostilibus, altaque tecta.
Tum vero lacrimis oculos perfusa nitenteis
Uxor chara virum hortatur, defletque recensens
Quæ mala cumque pati pueri, innuptæque puellæ,
Atque senes soliti imbelles, juvenesque, laresque,
Altaque templa Deum, captivaque corpora matrum,
Quum Regum iratas inflat victoria menteis.
Hæc ait, accenditque animum, rutilantiaque æra
Actutum induitur, mediosque erumpit in hosteis,
Præcipitesque metu, attonitosque eliminat urbe.
Nec tamen ille agros, promissaque munera Patrum
Accepit, voluitve; malum sed præmia citra
Reppulit indulgens animo, non hanc tibi mentem
Cœlicolum quisquam indiderit, charissime, longe
Hoc & deterius, foret atque indignius: ergo
Accipe dona pius, sic te Grajum agmina cuncta
Æthereum veluti numen cernentque, colentque.
Quod si non donis ineas fera bella receptis,
Non cultu simili, aut simili gaudebis honore.
Hæc senior, Thetidis contra sic filius infit:
O mihi chare Pater; Divis & chare supernis,
Non equidem tali iudigeo, aut delector honore.
Sat mihi honoris erit Jovis inculpata voluntas,
Qua ad naveis, calidos dum spiritus hos regat artus
Atque habilis membris insit vigor, usque manebo.

Digitized by Google

Tu vero: o dilecte, animum ne questibus istis,
Ac lacrimis turba infidum miseratus Atridem,
Ipsum te nec amare decet, ne invisus amanti,
Ingratusque mihi fueris, communia nobis
Sunto amor, atque odia, æqualem ac sortitus honorem
Mecum regna tene. Hi ad naveis, & castra profecti
Jussa ferant; hic tu stratis in mollibus almam
Auroram exspecta; hic tandem statuemus an oras
Tendendum in patrias, Trojæ litusve tenendum?
Dixerat, atque oculis Patroclo innuit, ocyus altum
Sterneret ut lectum Phœnici, ab litore Teucro
Solvere festinans. Hic tum Telamonius Ajax:
O Laertiade, quid nam exspectamus? Atridæ
Responsa, & Danais dudum exspectata referre
Tristia quantumvis præstat. Non exitus alter
Jam sermonis erit, dum priscæ oblitus Achilles
Durus amicitiæ, & priscorum oblitus honorum
Has animo furias, mordacem & foverit iram,
Impius. Atqui etiam charo pro fratre perempto
Munera, vel gnato quisquam acceptaverit: urbe
Interea occisor donis, pretioque soluto
Discursat tota, ac liber, tutusque vagatur,
Infensosque animos, inimicaque pectora mulcet.
At tibi pulchricomæ ob raptum Briseidis atra
Pectora bile tument, hanc accipe, & accipe septem
Præstanteis forma, simul atque ingentia dona
Has præter, tristem, quæso, depone furorem,
Et tectum reverere tuum, quo hic adsumus omnium
Grajugenum ab turmis; in te nec pluribus alter
Obsequiis, studioque mihi, aut certarit Ulyssi.
Olli respondet sedato pectore Achilles:

V. 566. *O Laertiade*. Ajacis oratio, sicut illa Achillis, aperta, & nullis quæsitis ornamentis fucum faciens.

V. 572. *Atqui etiam*. Homicidia enim pecunia redimebantur, ut latius infra lib. 18.

Optime Grajugenum ductor, Telamonia proles,
Ex animo dixiſſe mihi, nec inepta videris;
Cor tumet ira autem, quoties injuria mentem
Atrideſque ſubit, qui me ut tellure creatum
Vile habuit caput: ergo ite, atque audita referte.
Haud etenim pugnas ineam, Martemque cruentum
Donec Myrmidonum ad naveis pervenerit altas
Laomedontiade Priamo ſatus Hector, Achivum
Agminibus ſtratis, accenſiſque igne carinis.
Scilicet ille furens quamquam, tentoria Achillis
Non, reor, invadet, ſtantemque ad litora puppem.
Talia fatus erat, pateris ac vina rotundis
Legati libant, deinde in tentoria tendunt.
At ſociis Patroclus, famuliſque, inſternere lectum
Phœnici jubet, adproperant, & vellera primum
Multa ovium inſternunt, nivei, & ſubtilia, lini
Texta ſuper, paretque ſenex, ſtratiſque recumbit.
Nec procul inde alti tentorj in parte repoſta
Pelides cubat, hunc propter Phorbante creata
Lesbia ſtat Diomede, oculos, atque ora Deabus
Adſimilis, Patroclo aſt Iphis pulchra accubat, olli
Quam dedit Æacides altæ quum mœnia Scyri,
Atque opulentam arcem ferro expugnaret Eniei.
Ut vero ad naveis, atque in tentoria Atridæ
Legati adveniunt, magnis crateribus ipſos
Certatim excipiunt proceres, urgentque, premuntque.
Tum prior Atrides: Argivæ gloria gentis,
Eja age dic, parat an ratibus ſuccurrere longis?
An durus renuit, ſervatque in corde furorem?
Aſt Ithacus: Renuit, teque, & tua, maxime Regum,
Munera contemnit ferus, implacabilis ira,
Te tibi conſulere, & ratibus jubet, ipſe minatur

V. 558. *Ut tellure creatum*. Perſ. Sat. 6. *Præſto eſt mihi Manius hæres. Progenies terræ*.

In patriam reditum, simul ac lux fulserit alma;
Idque aliis suadere volet, namque Ilion, inquit,
Vertere non dabitur Danais. Hæc maximus Ajax,
Præconesque ambo referent, si audire juvabit.
Phœnicem sese ut patrias comitetur ad oras
Secum habet, invitum sed enim non ducere tentat.
Talia voce refert, Danai obstupuere silentes.
Tydides tandem mediis sic fervidus infit:
O utinam nunquam Æacidem, Rex maxime Grajum,
Flectere tentasses precibus. Satis ille superbus,
Elatusque alias, nunc vero elatior, atque
Deterior longe, quum tot Regesque, ducesque
Viderit, afflictasque acies sibi tendere palmas.
Quare hunc mitte, precor. Maneat, vel litore solvat.
Mox repetet pugnas, animus quum suaserit audax,
Hancque olli indiderint cœlestia numina mentem.
Nunc fessos reparate artus potuque, ciboque,
Et somnos capite, (hoc robur mortalibus ægris
Hæc vis) & roseo Phœbus quum fulserit ortu,
Ante rateis equitum turmas, peditumque locatas
Hortare, Atride, atque aciem duc primus in hostem.
Hæc ait, assensere omnes, vocemque loquentis
Mirati, atque animum. Tum Diis libamine facto
Ad naveis tendunt, alta ac tentoria quisque,
Et stratis placidi carpebant munera somni.

LIBER DECIMUS.

ARGUMENTUM.

Agamemnon vigilans Achivorum ductores excitat. Ab utroque exercitu speculatores in adversum mittuntur. Ab Græcis Diomedes, & Vlysses, ab Teucris Dolon, quem captum, atque ad interrogata confessum Græci interficiunt. Inde ad sociorum stationem progressi Rhesum, sociosque ejus plures interficiunt, & equos abigentes ad navium stationem redeunt.

ATque duces somno domiti sub nocte jacebant
Argivum reliqui; at magnus vigilabat Atrides
Multa animo volvens, veluti quum fulgurat alto
Pulchricomæ quondam Junonis ab axe maritus,
Seu pluvia ingenti, vel grandine, vel nive densa
Obruere arva parans, vel lacrimabilis ora,
Et faciem invisam populis ostendere belli.
Sic Atridæ animum suspiria crebra fatigant,
Insolitoque intus quatiuntur pectora motu.
Jamque acies spectat Phrygias, flammasque micanteis
Plaudentumque haurit voces, fremitumque canentum.
Jamque altas versus puppeis, atque agmina Grajum
Lumina convertit; tum mœsta silentia terrent,
Et gemit adspectans, vellitque a fronte capillos
Multa Jovem incusans, tandem sententia menti
Illa placet Nelei ad gnatum contendere magnum
Nestora, consilio si forte adiutus amico
Exitium ab gente, & ratibus depelleret igneis.

V. 14. *Et gemit adspectans*. Suorum languore, & hostium alacritate deterritus, ex quibus infausta futurorum sumebat præsagia, quod anxii, ac mœrentis animi proprium est.

Ergo agileis molli tunica circumdedit artus,
Atque pedum nitidis connectit vincula plantis,
Sanguine tum multo infectam, fulvamque leonis
Talarem, ingentem pellem induit, & rapit hastam.
Nec minor Atridem Menelaum cura remordet,
Ne Danaum gens clara, sui quæ Pergama causa
Undosum per iter bellum allatura cruentum
Venerat, Iliacum signaret funere litus.
Hæc versans membris maculosi ingentia pardi
Tergora circumdat primum, deinde ære coruscam
Imponit capiti galeam, longamque potenti
Dextra hastam capit, & Regis tentoria fratris
Solicitus petit, Argivum qui sceptra tenebat
Cunctorum, Divumque pari gaudebat honore.
Huic somnum excutere, & stratis abducere blandis
Mens erat; at vigilem, præcinctumque invenit armis.
Mox prior hæc: Quid, chare, parans nitido ære renides?
Mittere num quemquam Teucrorum in castra comantum
Exploratum acies? vereor ne id munus obiret
Grajugenum nemo, ut solus sub nocte silenti
Hostileis velit accedens specularier agros.
Ne audax ille fuat, præstansque, & robore, & armis.
Olli respondens Agamemnon talibus infit:
Consilio est opus, amborum, charissime, utrique
Quo servare acies, classem & possimus Achivam,
Quandoquidem Jovis est animus conversus ab Argis.
Hectoreisque sacris, precibusque accomadat aurem,
Nam nec visa mihi, cuiquamve audita, quot unus
Luce sub hac Priamo satus in nos fecit Achivos,
Priamides, inquam, ille Deo neque natus ab ullo,
Divarum aut quaquam; sed enim memor illa malorum
Gens erit Argivum ventura in sæcula retro
Iliacis sibi quot campis Tros fecerit Hector.
Nunc propera, Idomenea voca, Ajacemque potentem,
Nestora nos petimus suasuri ut sacra revisat
Agmina custodum, mandataque nunciet; ipsi

Digitized by Google

Paruerint namque, & facient audita libenter,
Nestore quum gnatus præsit custodibus, unaque
Idomenei socius, rerum queis tradita summa est.
Ast Helenæ vir pulchricomæ: Dum veneris, illuc
Te præstolor, ait, redeamve huc, quum semel ipsis
Hæc mandata dabo? Danaum cui ductor, ibidem
Præstolare, inquit, multarum ambage viarum
Decepti, alterius ne forte erraverit alter
Inscius ab cursu. Tu qua vestigia cumque
Detuleris, clamans altum, neque voce superbas
Evigilare jube, & merito dignatus honore,
A patre, atque a stirpe virum appellare memento
Quemque sua. Decet & Martis tolerare laborem
Nos quoque, nam miseris hac lucis vescier aura
Conditione datum mortalibus ab Jove summo.
Hæc fatus, fratrem dimittit. Nestoris ipse
Castra petit, stratis ubi mollibus ille jacebat.
At circum varia arma auro, clypeusque, & ahena
Dependet galea, & ferrata cuspide binæ
Stant defixæ hastæ, atque insigni baltheus arte,
Quem senior solitus dum bellum in triste ruebat,
Non ille egelida domitus, tardusque senecta.
Extulit atque caput subito, atque hæc vocibus infit:
Quisnam o, qui solus Danaum per castra vagaris
Nocte sub obscura, somni quum munere blando
Mortales gaudent reliqui? Sociumne requiris?
Custodum aut quemquam? fare, ac te ostende roganti.
Quid petis? Huic magnus contra sic fatur Atrides:
O decus Argivum, Nelide, Agamemnona cernis,
Jupiter omnipotens quem tot perferre labores

V. 66. *A patre, atque a stirpe.* Quod militum animos maxime devincit, atque Imperatoribus conciliat. Totius hujus libri stylus familiarior est, & veluti ad domestica, & privata conversus, politicis tamen, & moralibus instructionibus refertissimus, & nescio quo nativo rerum colore gratissimus.

Decrevit pater, hos animæ subduxerit artus
Pallida mors donec, rigeantque hæc frigore membra . .
Nam neque me fessum somnus capit; & salit intus
Cor motu insolito, attonitaque huc mente revolvor
Atque illuc, perque ossa tremor labefacta recursat,
Arroditque animum impendentis cura pericli.
Ergo age, te quoniam blandæ indulgere quieti
Par timor haud patitur, custodum invise cohorteis
Nunc mecum, ne forte gravi gens fessa labore
Se dederit somno excubiarum oblita, suique.
Hostis adest quippe. An scimus num nocte sub alta
Improvisa phalanx, & Dardanus ingruat Hector?
Olli Nelides: Argivum maxime ductor,
Pone metum, nec enim quæ cogitat omnia cumque
In nos Priamides, dabit olli Jupiter, ipsi
Quædam etiam subeunda manent, & plura si Achilles
Tandem odiis positis ingentem assumpserit hastam.
Te facilis sequar, ast Ithacum, clarumque vocari
Tydidem vellem, & magno Telamone creatum,
Deucalidemque ducem; sed longe ab navibus absunt
Ajacisque, atque Idomenei tentoria nostris.
Afforet hic nobis utinam Menelaus Atrides.
Ille autem (fas vera loqui, fraternaque fratri.)
Forsan lentus adhuc utramque stertit in aurem,
Ductores ipsum quando expediebat Achivos
Supplicibus precibus, blandisque inflectere dictis.
Namque premit vis sæva mali, atque urgemur ubique.
Talibus orabat senior, cui hæc fatur Atrides:
O Neleo sate, sæpe quidem accusare merentem
Ipse ego suadebam, Martis quandoque laborem

V. 85. *Hos animæ*. Loquutio Virgiliana in 4. Æneid.
V. 87. *Nam neque me fessum*. Anxietatis signa, atque effectus.
V. 104. *Deucalidemque ducem*. Positum pro Deucalionidem, quod carmini incommodum. Pater enim Idomenei Deucalion, ut infra.

Nam refugit, non ille piger formidine turpi,
Armorumve rudis, monitis sed stare coactus
Præceptisque meis; ac nunc vigil ille prævivit,
Et quos ipse viros memoras jam forte vocatos,
(Namque ita conventum) castrorum ad limina sistet.
Plaudo equidem senior, Regem adspernabitur, inquit,
Sic Danaum nullus, facientque audita volentes.
Nec plura his, blandoque artus circumdat amictu,
Pulchraque sub nitidis vincit talaria plantis,
Ingentemque humeris ardenti murice lænam
Induit, ac duplicem, molli lanugine crispam
Florentemque super, morsuque adnectit eburneo.
Arripit & validam præfixa cuspide quercum,
Argivumque petit naveis, tum voce vocavit
Magna Ithacum. Stratis se proripit ocyus altis
Ille senis simul ac notas vox perculit aureis.
Restitit & coram, verbisque volucribus infit:
Quid rerum Nelide? urgetne extremus Achivos,
Jam casus, cogitque altos abrumpere somnos?
At Nestor: Ne sævi, inquit, pendentia Grajos
Usque adeo mala conturbant, sequere ocyus ambos,
Namque alium Grajum ductorem arcessere oportet
Quicum an pugnandum, aut solvendum ab litore nobis
Consulere est opus. Hæc senior, tentoria rursum
Ille petit, clypeumque humeris suspendit ahenum,
Adsequiturque viros. Olli tentoria ad alta
Tydidæ adproperant. Ille extra limina crudo
Præcinctus ferro dederat per membra quietem,
At socii circum clypeis ingentibus apta

V. 129. *Stratis se proripit*. Nestor uti senior, & parcissimi jam somni, vigilans invenitur: Ulysses jam maturior, & fere in senium vergens dormit quidem, sed sola Nestoris voce excitatur: Diomedem vero adhuc juvenem, etiam sub dio, & armatum altus habebat somnus, atque hunc pede concussum Nestor excitat, nec enim vox sola sufficeret.

Impositi capita, erectæ tum cuspide infima
Stant hastæ, & Jovis altisoni ceu fulgur, ahena
Luce nitent procul. Agrestis super ille jacebat
Pelle bovis magna, pictisque tapetibus altam
Cervicem effultus. Propter Nelejus heros
Constitit, & pede concussum somno excitat alto,
Castigatque moras dictis: Tydeo sate, surge.
Quid noctem stertis solidam? Non ille profecto
Dormit Priamides Hector. Trojanaque pubes,
Sed tumulos vigiles obeunt, ratibusque minantur,
Jamque aderunt. Stratis tum protinus ille relictis
Exilit, ac tali compellat Nestora voce:
Crude senex; cedes quando, parcesque labori?
An deerat juvenum quisquam, qui exciret Achivum
Castra obiens proceres? verum indulgere senectæ
Non tu unquam, longis poteris seu vincier annis.
Vera quidem memoras, Nestor Nelejus inquit,
Nam mihi sunt etenim gnati, qui hæc jussa capessant,
Sunt populi & plures; sed enim vis ultima cogit,
Grajorum ac tenui pendent fata omnia filo
Vitæ, inquam, exitij aut miseri, tristisque ruinæ.
Ast tu (namque viges annis, & flore juventæ)
Siqua mei pietas, huc Idomenea vocato
Ajacemque, precor. Taleis dat pectore voces.
Ille autem tegmen torquens immane leonis
Fulvum humeros circum, & ferratam cuspide longa
Corripiens hastam, subito mandata facessit.
Adducitque viros, stationemque agmine facto
Visere custodum adproperant, tacitique propinquant.
Ut ventum in sedeis, ipsos vigilesque, sedenteisque
Invenere duces, cinctosque nitentibus armis,

V. 156. *Crude senex*. Diomedes senem sibi charissimum demulcet ea laude, quam ipsi gratissimam esse sciebat, quam bonus ille vir deglutit statim.

V. 168. *Torquens immane*. Ut Aventinus apud Maronem in 7.

Atque hiemis veluti rigida sub nocte molossi
Stant vigiles caulas circum, de monte ruentis
Exciti aut apri fremitu, torvive leonis,
Quem clamore viri multo, telisque fatigant
Instantes, resonantque canum latratibus antra.
Sic horum placidus fugiebat lumina somnus,
Conversique oculos Teucrorum in castra per umbram
Soliciti observant, arrectisque auribus adstant.
Exultantque animis Reges, plauduntque tuendo.
Tum Nestor. Salvete viri, vigilesque manete
Nec classem sinite hanc tantam ludibria Teucris.
Sic fatus senior fossam prævertitur altam
Una alii Argivum Reges, & Nestore natus,
Merionesque ad concilium, cœtumque vocati.
Quaque dabant totis hinc inde cadavera campis
Fusa locum, regressus ubi discesserat Hector
Grajorum ab cæde in terram labentibus umbris,
Considunt, varioque agitant sermone vicissim.
Dein medios inter Nelejus incipit heros:
Num deerit vestrum, Grajorum lumina, quisquam,
Qui ingenti fretus virtute, & robore dextræ
Castra petat Troum, palantem forte per agros
Capturus quemquam, rimaturusve loquentum
Consilia, atque animum? an muros, ac tecta revisant
Anve isthinc perstare velint prope castra, rateisque?
His ille auditis ad nos si forte rediret
Incolumis, qua laude virum pro talibus ausis
Fama feret, toto qua Sol diffunditur orbe?
Quisquis ad hæc pietas moderatur in æquore puppeis
Grajugenum princeps nigrantem terga bidentem
Lactenti cum prole dabit, cui prædia nulla,
Certarint & opes, ductoresque inter Achivos
Regificis aderit læta ad convivia mensis.
Talia fatus erat, reliqui obstupuere silentes;
Tydides tamen intrepido sic ore profatur:

Digitized by Google

Ecce adsum, o Socii, Teucrorum in castra paratus
Per medios penetrare globos; quod si mihi quisquam
Se se addat comitem, fuerit fiducia major.
Eventus nec enim facile præviderit omneis,
Fugerit aut unus; geminis audacia crescit
Consilio, atque ope. Sic loquitur, movitque superbos
Regum animos dicto, & socios se adjungere laudi
Ajaces ardent gemini, Mavortia proles,
Merionesque, & Nelida natus Thrasymedes,
Atque Atreo genitus Menelaus, & acer Ulysses.
Quos inter placido fatur sic pectore Atrides:
Tydeo gnate, viden' tibi quot se adjungier optant
Grajorum proceres? Hos inter robore, & armis
Delige præstantem, nec te ulla potentia regni,
Aut genus ab recti transversum tramite flectat,
Non timor, aut pudor. Hæc ductor, de fratre timebat
Nam sibi. Tydides rursum sic ore loquutus:
Quem socium adlegerem divinum oblitus Ulyssem?
Atque agere, atque pati, ingenteis, cui in pectore vireis
Indidit atque animos flavæ tutela Minervæ.
Cujus & in me notus amor, studiosaque mens est.
Hoc comite haud dubitē ardenteis penetrare per igneis.
Consilio valet usque adeo, & prudentibus ausis.
At Laertiades: Nec me obrue laudibus, inquit,
Chare, nec objurga. Stant conscia pectora circum.
Verū age, præcipitant umbræ, atque Aurora propinquat,
Astraque jam mergi adproperant, vix tertia noctis
Pars superest: ergo accelerant, armisque coruscis
Membra tegunt. Ensem ancipitem tum Nestore natus
Tydidæ dabat (ad naveis proprium ipse reliquit.)

V. 210. *Ecce adsum*. Diomedes ubique intrepidus, atque audax, invadendo, quam sustinendo proprior, atque aptior.

V. 214. *Fugerit aut unus*. *Væ soli, quia quum ceciderit non habet sublevantem se*.

V. 223. *Nec te ulla*. Quod Drances apud Virgilium in 11.
„ Neque te ullius violentia vincat „.

V. 233. *Nec me obrue*. Modestis, ac sapientis viri effatum.

Et clypeum, & nigram capiti de tergore tauri
Nec crista insignem galeam, clavisve rigentem,
Qua munire caput juvenes, ac tempora sueti.
Meriones pharetram, atque arcum largitur Ulyssi,
Atque ensem, & galeam candenti e vellere, loris
Pluribus introrsum textam, firmamque, gravemque,
Setigerique apri hinc illinc cava tempora circum
Exstabant dentes, ac denso vellere conus
Vertice surgebat medio (mirabile visu.)
Ormenidæ quondam populatus Amyntoris urbem,
Sacram Eleona, atque insigneis laquearibus ædeis,
Autolycus sibi quam præda delegerat omni,
Ille Cytheræo dein tradidit Amphidamanti,
Amphidamasque Molo, hospitii venerabile pignus,
Hic gnato dederat, forti tunc gnatus Ulyssi.
Induerant armis postquam se horrentibus ambo,
Inde iter arripiunt celeres, sociosque relinquunt,
Ecce viam propter dextram Tritonia misit
Ardeolam Pallas, ducibus quam cernere noctis
Umbra vetat, sed enim proprius sensere volantis
Clangentisque sonum proceres. Tum lætus Ulysses
Agnoscitque omen Divæ, sicque ore precatur:
O semper mihi dextra Jovis pulcherrima proles,
Nunc mihi Diva fave, Argivasque revisere puppeis
Da facinus post egregium, quo Troja pubes
Ingemat. O nostris siquando laboribus olim
Adstiteris, Dea, nec tanto sine numina quicquam
Ipse unquam solitus. Tydei tum filius orsus:
Ægida gestantis proles Jovis, aspera virgo,
Tydea ceu quondam Asopi labentis ab unda,
Argivum & castris ingrata haud jussa ferentem

V. 241. *Nec crista insignem*. Udonem hoc tegumentum capitis e corio confectum vocant Latini.

V. 269. *Tydea ceu quondam*, De hac Tydei legatione vide quæ supra lib. 4.

Œdipodioniæ duxisti in mœnia Thebes,
Unde redux factis ingentibus inclyta famæ
Præmia commeruit, sic nostris annue cœptis.
Anniculam tibi ego mactabo rite juvencam,
Cui cervix non trita jugo, atque interlita fulvo,
Cornua, fronsque auro. Hæc infit, nec dura precanteis
Contempsit Dea, tum properant per gramina cursum.
Ibantque obscuri, ut multa sub nocte leones
Perque arma & cædeis, truncataque corpora passim,
Et sanie, & fuso squallenteis sanguine campos.
At parte ex alia turmas vigil Hector oberrat,
Ductoresque ciet primos, cogitque frequenteis,
Et medios inter quæ sit sententia pandit.
Vocibus his: O si quisquam promittere tantum
Auderet mihi Trojugenum, seu laudis amore,
Quam sibi non unquam morituram fortibus ausis
Ille reportaret, selecta aut præmia propter,
Quæ nos digna quidem dabimus, currumque volucrem,
Æripedes & equos, qui præstantissimi Achivas
Ad naveis fuerint, alta & cervice comanteis,
Hæc, inquam, siquis forte ad tentoria Grajum
Exploratum ierit, vigil an custodia puppeis
Ut prius, obtineat, domiti vel robore Teucrum
Adproperare fugam malint, fessique quiescant
Excubiis ab nocturnis, duroque labore.
Talia Priamides, hærent, trepidantque silentes

V. 271. *In mœnia Thebes*. Urbs Bæotiæ. Communius plurali numero efferuntur Thebæ Thebarum; tamen in singulari quoque reperitur apud authores. Statius lib. 9.

,, Perituraque Thebe,,

& item in 1.

,, Premit agmina Thebes.. Hippomedon,,.

Deducto nomine a Thebe Nympha, quam Asopus adamasse dicitur ejusdem regionis fluvius. Œdipodioniæ autem dicuntur Thebæ ab Œdipo, qui in ipsis regnavit, Sophoclis, & aliorum carminibus notissimo.

Ductores primi. Ecce Dolon, qui forte vocatis
Intererat, proles præclari Eumedis & ære
Divitis, atque auro, tectis cui quinque sorores
Exstabant patriis, non mole, aut ore decoro
Spectandusve armis; pedibus tamen aliger, ille
Hectora sic Regem adloquitur, sociosque frequenteis.
Est hic, est animus famæque, & laudis amator,
Quo fretus Danaum in tentoria pergere tento.
Tu mihi per sceptrum hoc jura, currusque daturum
Ære renidenteis, & equos quibus ipse per agros
Pelides vehitur, neque te hæc jurasse pigebit.
Namque Agamemnoniam puppem, & penetralia adibo
Intima, qua Danaum Reges nunc forte coacti
Constituunt celeremne fugam, ferrumne capessant.
Hæc fatur, traditque viro sceptra aurea ductor,
Testaturque Deos: Hæc Jupiter audiat almæ
Junonis conjux, non currus alter Achillis,
Troja nec celeres flectet per plana jugaleis.
Hæc fatus portanda dabat perjuria ventis,
Addidit ast animos juveni, gravidamque pharetram.
Incurvosque arcus humero suspendit ab alto
Protinus, atque lupi cano de tergore amictum,
Et galeam rapit hirsutam, atque hastile coruscum,
Inque rateis gressum adglomerat, non ille profecto
Ad Teucros iterum ab castris rediturus Achivis.
Utque virum cœtum, cœtumque reliquit equorum
Exultans animo ingreditur. Speculatus Ulysses
Restitit, atque his adfatur Diomedea dictis:
Vel Grajum exploratum acies, vel luce carentum
Laturus spolia, hic nobis venit obvius: ipsum
Nos præter campi tenebrosa per avia gressum

V. 301. *Spectandusve armis*. Ironice ergo Virg. in 12. de Eumede:
„ Antiqui proles bello præclara Dolonis,
„ Nomine avum referens, animo, manibusque parentem „.
Quod & Cerda, & alii Virgilii interpretes observarunt.

Tantiſper properare sine, hinc toto impete curſus
Fundemur subito circum, feſſumque ſequemur.
Quod ſi nos pedibus præverterit ocyor, illum
Argivas verſus naveis trudemus, & agmen
Telum intentantes, Teucrum ne in caſtra reverti
Neve urbem poſſit. Steterunt ſic deinde loquuti,
Corporaque inter denſa virum latuere jacentum.
Ille viam imprudens ſequitur, greſſumque fatigat
Jamque aberat quantum mulorum ſulcus in agro
Porrigitur (bobus hi ſiquidem præſtantius altas
Proſcindunt glebas, & culta novalia findunt.)
Accurrunt ſubito, ille pedem greſſumque repreſſit
Audito ſtrepitu, & ſociorum ex agmine quemquam
Adventare putat, qui ſe revocare, jubente
Hectore feſtinet; ſed enim vix cominus haſtæ
Jactu aberat, ſenſit medios delapſus in hoſteis.
Acceleratque fugam trepidans. Illi acrius inſtant,
Atque canes veluti nemoroſa per avia cervum
Sectantur gemini, aut leporem, terrentque latratu
Horriſono, & malis crepitant, ille ardua multo
Cum clamore petit pavitans, ſic ſævus Ulyſſes
Conſtanter, Tydeoque ſatus ſequiturque, premitque
Intercluſo aditu, & Grajum ſe adjungere turbæ
Cuſtodum prope jam poterat, quum cœſia Pallas
Tydidem inſolito perfudit robore, ne quis
Grajugenum primus juvenem, ſe pone relicto
Impeteret ferro, telumque intentat, & altum
Inclamans, vel ſiſte, inquit, vel te aſſequar haſta,
Nec fatum effugies. Simul hæc, ſimul exit in auras
Miſſa abies, erratque volens, humerumque Dolonis

V. 337. *Bobus hi ſiquidem*. Hanc obſervationem Homericam multis firmant qui de re ruſtica ſcripſerunt.

V. 343. *Senſit*. Loquutio Virgiliana de Androgeo in 2. Æneidos. Comparationem adiunctam delibavit Maro idem in 12, & aliis locis.

V. 357. *Erratque volens*. Neque enim occidere, ſed vivum capere conabatur.

Cuspis iit super, ac tellure infigitur alta.
Substitit ille tremens; stridebant dentibus ora.
Olli vix auras captantes pectore anhelo
Corripuere manu deflentem & multa precantem.
Vivere me sinite, o Danai, sunt ædibus amplis
Æra mihi, atque aurum, infecti tum copia ferri,
Factique, Hæc vobis tradet pater omnia charus
Incolumem gnatum ad naveis si norit Achivas.
Olli respondens sedato pectore Ulysses.
Aude, inquit, neque te mortis conturbet imago.
Dic tamen hæc mihi: Quo solus sub nocte silenti
Adproperas, somni quum dulcia munera carpunt
Mortales reliqui? An prostrata cadavera campo
Expoliaturus? Speculatumne agmina Grajum,
Argolicasque rateis misit te huc Dardanus Hector?
An tu sponte venis? Olli trepidansque, tremensque
Talia voce Dolon: Misero, ac nil tale paranti
Tot mala promissis ingentibus adtulit Hector
Pelidæ mihi quadrijugos, axemque coruscum
Pollicitus, modo Grajorum explorare cohorteis
Auderem tacitæ per fida silentia noctis,
Hostileisque animos rimari, ac noscere, vellent
An fato domiti, Troja, belloque relicto
Vela dare an primum veluti, per castra, rateisque
Excubias agerent solitas, atque arma pararent?
Olli subridens fatur versutus Ulysses:
Scilicet haud temnenda bonus promiserat Hector;
Æacidæ currus, & equos, frænarier ulli
Difficileis hominum, Pelidem præter Achillem
Mortali haud genitum matre: attamen ista roganti
Dic mihi: Quonam Priamides nunc restitit Hector?
Qua illius arma jacent? Ubi equi currusque nitentes?
Qua Troes, sociique manent statione, situque?

V. 362. *Vivere me sinite*. Similia supra Adrastus Menelao, & Liger Æneæ.

Quidve agitant animo ? An muros remeare sub altos ?
Scilicet Argivis domitis , ferroque subactis .
An naveis secus instituant procul usque manere ?
Dixerat , Eumedis contra sic filius orsus:
Vera quidem fabor : castrorum in parte reposta
Antiquumque Ili ad tumulum cum patribus Hector
Ac ducibus primis summis de rebus agebant .
Excubiæ nullæ , nulla est custodia certa ,
Pernoxque : evigilant Troes , queis patria cordi ,
Adque rogos sese hortanturque , monentque vicissim ;
At socii indulgent somno , de uxoribus illi
Nequaquam pavidi , aut gnatis , dulcive parente .
Qui vero ? an sociis misti (interpellat Ulysses)
Troes agunt equites ? diversa an parte quiescunt ?
At satus Eumede : hæc etiam tibi vera fatebor .
Ad mare stant Cares , Lelegesque , & Pœones arcu
Insignes curvo , Cauconesque , atque Pelasgi ,
Ad Thymbram Lyciæque manus , Mysique superbi ,
Mœones atque equites , & equis gens nata domandis
Robusti Phryges . At quidnam ex me quæritis ultra
Tendere si in castra est animus , tenet ultima Rhesus
Ejonei proles , Thracum Rex , optimaque olli
Et reliquis longe pulcherrima corpora equorum ,
Qui candore niveis anteirent , cursibus auras :
Argento currus , fulvoque effulgurat auro ,
Aureaque arma viro , haud miseris mortalibus illa ,
Sed generi portanda Deum , mirabile visu .
At nunc vel Grajum ad puppeis , atque agmina ferte ,
Vel sinite hic vinctum , donec me vera loquutum
Noveritis reduces iterum . Sic ille precatur .
Quem torvum intuitus , Tydei sic filius inquit :
Ne mihi tu dictis animum deflectere tenta ,

V. 413. *Qui candore niveis* . Versus Virgilianus in 12 , ubi Scaliger , & Cerda Homerum inferiorem statuunt , quod solum dixerit . „ Candidiores nive , cursu autem ventis pares „ . Ride si sapis .

Grata licet pandes; pretio si hinc liber abibis
Mox etenim venies speculatum castra, rateisque,
Aut ferro armatus, vique oppugnator aperta:
Occisus nulla vi, aut arte nocebis Achivis.
Hæc ait, & juvenem trepidantem, & supplice luctu
Tydidæ iratam conantem flectere mentem
Ense petit, magno & cervicem demetit ictu,
Extrema cum voce caput miscetur arena.
At galeam hirsutam capiti, pellemque lupinam
Detraxere humeris, hastamque, arcumque sonantem.
Hæc Ithacus flavæ gratissima dona Minervæ
Consecrat, extollensque manu, sic voce precatur:
His fruere, o nobis primum inclamata Dearum
Gnata Jove, & tantis nunc dextra adlabere cœptis.
Dixerat, inque altum imposuit sublata, myricam
Frondentem super, & ramos circum abscidit ense
Ut possent procul in toto spectarier agro
Signa reversuris, animisque ardentibus ultra
Contendunt perque arma virum, fusumque cruorem.
Et jam Threjcias acies, & castra tenebant.
Tunc campis passim somno, ingentique labore
Corpora fusa vident, simul & varia arma jacere
Ordinibus ternis; bijuges stant deinde comantes
In mediis Rhesus cubat, ac tentoria circum
Arrecti currus, & pulchra orbilia propter
Cornipedes nexis carpebant hordea vinclis.
Gestiit adspiciens, sociumque adfatur Ulysses:
Ecce virum, currusque, Dolon quos dixerat, aureos.
Tydide, audendum dextra: nunc robur, & arma.
Vel tu aggressus equos solve, aut sopita virorum
Corpora dede neci, mihi cura incumbet equorum.
Hæc ait; ast animos Tydidæ cæsia Pallas
Addidit ingenteis, jugulatque hinc inde jacenteis,
Ac dulceis spirantum animas suspiria longa,
Singultusque sonant mœsti, tum sanguine largo
Stragula picta virum, atque thori, tellusque rubescit.

Digitized by Google

Impatiensque ut plena leo per ovilia turbans;
(Suadet enim vesana fames) manditque, trahitque
Molle pecus, sic ille furit, bissenaque Thracum
Corpora prosternit ferro; sed cautus Ulysses,
Quemque neci ut dederat Tydeo satus, ille trahebat
Deprensum pede, ne insuetus calcare cruenta
Membra virum staret sonipes, trepidusque paveret,
Hinc Rhesum adgreditur Diomedes; tertius ille
Ac decimus Plutonis adit regna invia tristi
Cum gemitu, capiti nam lurida somnia, natus
Œnidæ adstiterat, ductu, jussuque Minervæ.
Interea bijuges tacitus solvebat Ulysses,
Loraque connectens turba procul egerat omni,
Atque arcu (nec enim scuticam secum ille ferebat)
Urgebat ductum insolitum, noctemque paventeis.
Tydidæ comiti tenui tum adsibilat ore.
Ille animi incertus versat, currusne coruscos,
Queis auro varia arma jacent, temone prehensos
Inde trahat, vel sublatos, leve pondus, in altum
Efferat, an Thracum plureis demittat in Orcum.
Talia volventi secus adstitit aurea Pallas,
Cunctantemque monet: Reditum properare memento,
O Tydeo sate, ne Divum Phrygia agmina quisquam
Excitet: ac tanti marcescat gloria facti.
Dixerat, ille Deam sensit, novitque loquutam
Extemplo conscendit equos, pone instat Ulysses,
Maturantque fugam celeres, castrisque propinquant.
Arcitenens sed enim ab cœlo speculatus Apollo
Tydidæ, Danaumque faventem Pallada cœptis,
Trojanorum acies ingenti percitus ira
Ingreditur, promptumque manu, Rhesique propinquum
Hippocoonta vocat, stratis ille ocyus altis
Emicat, utque locos vacuos, raptosque jugaleis,
Et stragem, tabumque inter, fusumque cruorem
Exanimesque viros, & membra trementia cernit,
Tum vero ingemuitque amens, charumque sodalem

Voce vocans magna, ingentem ciet undique luctum.
Teucrorum, Thracumque ingens concursus ad ipsa
Corpora, seminecesque artus, tepidumque recenti
Cæde locum: attoniti adspectant, hærentque tuendo
Audaceisque animos Danaum, stragemque cruentam.
Hi vero gressum adglomerant, jamque arva tenebant,
Tristi ubi Dardanium mulctarant morte Dolonem.
Hic Ithacus bijuges cohibet, sistitque frementeis,
Tydides terram saltu petit, atque relictas
Illic exuvias dat Ulyssi in castra ferendas.
Accelerantque viam, nec equi non sponte ruebant.
Nelides primus strepitum præsensit equorum,
Faturque: O socii, lectissima robora Grajum,
Verane, an falsa deludor imagine rerum?
Namque audisse virum,strepitumque videbar equorum.
O si Tydides, Laertiadesque comanteis
Ab castris agerent bijuges ad litora: verum
Teucrorum ab turba vereor ne impune reverti
Ductores possint. Finem dabat ore loquendi,
Ecce adsunt, terramque petunt, lætique vicissim
Dextras conjungunt dextris, plauduntque, fremuntque.
Tum prior hæc Nestor: Grajum duces, inclyte Ulysses,
Dic, age, quæ hos bijuges tulerit sors? hosticane ipsi

V. 495. *Ingens concursus*. Verba Virgiliana in 9, ubi horum exploratorum facinus imitantur Nisus, & Euryalus, pulchrioribus tamen, & longe gratioribus eventibus ornata narratione, ut præter 2, & 3, 4, & 6. librum fere nihil in Æneide melius.

V. 509. *O si Tydides*. Hi sunt equi illi de quibus Virgil. in 1.
,, Ardenteisque avertit equos in castra, priusquam
,, Pabula gustassent Trojæ, Xantumque bibissent ,,.
Quum Rhesus ab oraculo didicisset Trojam non evertendam si ejus equi de Xantho bibissent. De quo tamen altum silentium apud Homerum hic, nec cum Homerica hac narratione videtur congruere. Quanquam enim Rhesum, ejusque socios novos advenas vocet, non ita tamen loquitur, ut non aliquot jam dies Rhesum Trojæ fuisse credendum sit. Quod si Rhesum in ipsomet itinere præventum, ac jugulatum dixeris, id enim vero cum Homerica narratione apertissime pugnare videtur.

Ingressi castra? an Divum quisquam obtulit ultro
Phœbæis similes radiis molemque, coloremque?
Atque equidem Troum pugnantum sœpe catervis
Permixtus (nec enim, quamquam jam segnior ætas,
Ad naveis possum ignavæ indulgere quieti)
Aut hos, aut vidi his simileis. Deus obvius, inquam,
Obtulerit taleis, ambos nam diligit æquus
Jupiter, & Jovis altisoni Tritonia proles.
At Laertiades: O nostræ gloria gentis,
Nelide, facile hæc, inquit, melioraque longe
Corpora cornipedum Dii largirentur equorum.
Nam quid enim Diis non facile? hos sed Thracius heros
Duxerat huc Rhesus, quem post bissena virorum
Funera lectorum, postremum stravit acerbo
Vulnere Tydides. Ditis quoque regna petivit
Argivum ad naveis speculator ab Hectore missus,
Sic ait exultans animo, fossamque prætaltam
Prætervectus equis Regum stipante corona
Tydidæ alta petunt magno tentoria plausu.
Hic primum æripedes nitida ad præsepia ducunt,
Qua Diomedis equi lotumque, & dulcia farra
Carpebant reliqui, & sublimi in puppe Dolonis
Exuvias, atque arma locant, dum sacra Minervæ
Grata parant: ipsi interea sudore madenteis,
Fœdatasque cruore manus, atque ardua colla
Et crura, & femora alta lavant ad litoris undam.
Balnea deinde petunt, pinguique unguntur olivo.
Tum mensæ accumbunt, & dulcia vina Minervæ
Prima litant, plenosque bibunt crateras Jacho.

LIBER UNDECIMUS.

ARGUMENTUM.

Agamemnon copias in prœlium educit, in quo post egregia facinora Coon Agamemnonem, Socus Vlyssem vulnerat, Paris Diomedem, Machaonem, atque Eurypilum. Patroclus ad Nestorem mittitur sciscitatum quemnam vulneratum secum adduxerit. Ab Nestore autem rogatur ut Achillem ad opem Græcis ferendam inducat, vel ipse sumptis Achillis armis in prælium exeat. Ille redux, quum in Eurypilum vulneratum incidisset, ad naves ad se delatum curat.

Divis interea, ac miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, cælumque invecta tenebat
Thitoni croceum linquens Aurora cubile
Quum Jovis imperio Stygiis excita fluentis
Argolicas malesana petit Discordia puppeis,
Atque manu belli signum exitiale cruenta
Adtollens, navem ingentem conscendit Ulyssis,
Ut vocem hinc Ajax, inde exaudiret Achilles
Extremi Danaum. Hic magno Diva intonat ore
Horrendum inclamans, Martisque accendit amorem;
Nec patriam quisquam, aut dulceis reminiscitur Argos,
Ferrũ ardent, pulchramque omnes per vulnera mortem.
Atrides Danaos accingier imperat omneis
Ipse prior morsu quas fibula nectit aheno
Aptabat suris ocreas, dein pectora circum

V. 13. *Atrides*. Diomedes in quinto libro regnat. Agamemnon in hoc 11. Ajax infra in 13. Achilles ab 18, quem juxta reliqui duces silere, et latere videntur.

Digitized by Google

Loricam induitur, Cinyras quam miserat heros
Hospitij munus, Cyprias nam fama per oras
Ductores Danaum invasuros Pergama bello
Nuncia pertulerat. Cyani hanc bis quinque nigrantis
Intexunt virgæ, bis sex fulgentis & auri,
Bisque decem stanni albentis, tresque inde dracones,
Tresque hinc cærulei adsurgunt colla ardua circum.
Qualis versicolor rutilat sub nubibus atris
Ab Jove portentum miseris mortalibus Iris.
Deinde humeris ensem, clavis, auroque coruscum
Subligat, huic simili effulget vagina metallo,
Loraque distinctis retinent argentea bullis.
Tum clypeum assumpsit validum, varioque labore
Perfectum, corpusque viri simul omne tegentem
Mole sub ingenti. Intexti stant orbibus orbes
Ære decem, cyano medius niger eminet umbo,
Bis deni circum stanno ex candente refulgent.
Gorgonis hic monstrum, truculentaque lumina flammis,
Et Fuga, Terrorque, intortis magna ora chelydris.
Argento ex nitido lorum, & sinuata draconis
Tergula cærulei super. Huic curvatur in orbem
Tergeminum caput, & cervice exurgit ab una.
At capiti galeam induitur, cui vertice coni
Quatuor adsurgunt, clavis, cristaque trementi
Insignem super. Hinc binas dextra arripit hastas,
Ære renidenteis, validas, queis ferrea cuspis
Igne micat multo, flammamque ad sidera jactat.
Ipsa Mycenæo Regi Tritonia Pallas,

V. 16. *Cinyras*. Duos hujus nominis fuisse memoriæ est proditum. Hic Cypri Rex fuit, unde ea insula Cinyrea dicitur a Lucano Pharsaliæ lib. 8.

V. 31. *Cyano medius*. Cyanus proprie est species cœlestis coloris; sed quænam fuerit huic colori subiecta materies in dubio est. Chalybem ipsum crediderim, cui cæruleus ille, subnigriorque color superinduitur, de quo infra etiam in Achyllis clypeo.

V. 43. *Ipsa Mycenæo*. Regem maximum honore afficientes, & honorem populorum, atque studium conciliantes.

Junoque plauserunt, strepitumque dedere per auras.
Ad fossam tum quisque suos consistere currus,
Cornipedesque jubent, ipsi auro, armisque corusci
Hinc pedites, atque inde ruunt, magnoque tumultu
Arva boant, deinde ingenti clamore sequuntur
Turmæ equitum. Ecce autem visu mirabile monstrum.
Namque Deum genitor sublimi ex æthere rorem
Sanguineum immisit, pugnæ, stragisque futuræ
Argumentum ingens. Heu corpora quanta virorum
Ille neci dabit, ac tristem demittet in Orcum!
At parte ex alia Teucros Priamejus Hector,
Polydamasque urgent, & Diva matre creatus
Æneas, numen veluti quem Troes honorant,
Tresque Antenoridæ, Polybusque, & dius Agenor,
Atque Acamas juvenis Diis immortalibus ora,
Membraque persimilis. Primos at vertitur inter
Priamides clypeo insignis, galeaque rubenti.
Ac veluti stellæ jubar exitiale comatæ
Æthere nunc puro effulget, nunc condit opaca
Nube caput, sic Teucrorum prima agmina: moxque
Ultima perlustrans discursat Dardanus Hector
Ære micans, totoque vomens de corpore flammam.
Quale Jovis subitum vibratur ab æthere, fulgur,
Ægida quum quassans tonitru cava nubila rupit.
Adversique velut quondam per pinguia culta
Messores validi festinant viribus æquis
Occursare sibi, sternunturque hordea sulcis,
Farrave: flaventesque cadunt sub falce manipli,
Sic Teucrum manus, atque manus ruit impigra Achivum
Inque vicem cædunt, his nec fuga nota, nec illis,
Par furor, atque animi, tum sævi in monte lupi ceu

V. 61. *Ac veluti stella*. Quid simile supra de Diomede, & Pallade, ubi Virgilii locum consonantem adnotavimus.

V. 65. *Totoque vomens*. Quod Virgilius de Turno in 11. *Tota decurrens aureus arce*, & alibi sæpe.

Concurrunt, plauditque tuens Discordia dira,
Una etenim pugnæ intererat, reliqua æthere ab alto
Turba Deum, qua cuique domus per culmina Olympi
Martem adspectabant animis frendentibus, omne
Quod pater auxilium charis prohiberet Achivis,
Aut dare Trojugenis; sed enim Saturnius aurea
Sede sedens procul imbelleis irasque, minasque
Cœlicolum temnit, celsoque ab culmine Olympi
Iliacamque urbem spectat, Danaumque carinas,
Victriceis, victasque acies, splendentiaque æra.
Et cœlo dum sacra dies crescebat, anhelis
Necdum Phœbus equis medium conscenderat axem,
Marte pari Danaique cadunt, Troesque vicissim;
Montibus ast altis quum grata opsonia fessus
Lignator parat, ingenti jam parte recisa
Umbrosi nemoris, ventremque fatigat edendi
Ex longo collectus amor, hortantur Achæi
Sese omnes, vique ingenti Phrygia agmina rumpunt.
Ipse inter primos Agamemnon maximus ardet
Accinctus ferro, sternitque Bianora Regem,
Cornipedumque simul domitorem sternit Oileum.
Hic curru ex alto in terram descenderat, hostem
Magnanimum invadens, hasta tamen ille ruentem
Percutit ad frontem, nec restitit ærea cassis,
Perque ipsam vadit, commixtoque ora cerebro
Fœdantur juveni, formosaque pectora nudos
Detracta hos tunica geminos in pulvere linquit.
Antiphus hic, Isusque olli stetit obvius, ambo
Priamidæ, nothus hic justa sed conjuge natus
Ille prior, regit Isus equos, sede Antiphus alta
Bella ciet. Phrygiæ densis in saltibus Idæ
Nactus oveis juxta Pelides maximus ambos

V. 82. *Celsoque ab culmine*. Similis imago illa Virgiliana:
„ Terras unde arduus omneis
„ Castraque Dardanidum spectat, populosque Latinos „.

Digitized by Google

Ceperat, intextoque ligarat vimine quondam,
Dein patri incolumeis dederat, pretioque redemptos.
Atrides Isum magna transverberat hasta
Ad pectus mammam supra, ferit Antiphon ense
Juxta aurem, cadit exanimis, currumque relinquit.
Aureaque Atrides Agamemnon detrahit arma
Festinans, faciesque virum sibi nota recursat,
Namque olim ad naveis vinctos memorabat Achillei.
Et celeris leo ceu cervæ tenebrosa per antra
Lactenteis fœtus vorat horridus ore cruento,
Ossaque confringit (miserum) nec territa quicquam,
Ipsa audet mater, quercetaque densa pererrat,
Et nemus umbriferum, largus fluit undique sudor
Interea, & tremulos quatit æger anhelitus artus,
Haud secus aufugiunt trepida formidine Teucri,
Nec potuit quisqnam ab miseris avertere fatum,
Pisandrum hinc contra,Hippolochumque ruebat Atrides
Antimachi geminam sobolem, qui in bella comanteis
Impulerat Teucros, donis illectus, & auro
Idæi Paridis, Menelao reddere pulchram
Tyndaridem ut nollent verbis persuasor apertis.
Hos, inquam, geminos currumque, rotasque regenteis
Atrides capit; at manibus labuntur habenæ,
Usque adeo trepidant; cortra ut leo tendit Atrides.
Olli supplicibus Regem sic vocibus orant:
Atreo gnate, sine has animas, & præmia factis
Accipe digna tuis, ærisque, aurique talenta,
Et ferrum nitidum, longos congesta per annos,
Quæ genitor dabit Antimachus, miseratus utrumque
Si gnatum incolumem ad naveis servaris Achivas.
His frendentem animum dictis inflectere blandis
Conantur miseri; at blanda non voce precanteis
Excipit Atrides: Belli commercia vester
Sustulit ista prius genitor, qui occidere Ulyssem,
Atridemque etiam Menelaum suaserit olim
Legatos Danaum Trojana ad litora vectos.

Nunc patris scelus infandum vos morte luetis.
Dixerat atque una transfossum pectora ferro
Pisandrum deturbat equis, ruit ille supinus.
Hippolochum dein sternit humi, & cervice recisa
Ire sinit truncum veluti, & qua densior urget
Pugna virum ruit intrepidus, Regemque sequuta
Turba ruit Danaum: fugienteis gramine toto
Tum peditem pedites, equites eques usque fatigat,
Pulvereamque ciet nubem gravis ære sonoro
Ungula tellurem quassans; at magnus Atrides
Hortaturque suos, trepidisque acerrimus instat.
Ut vero in nemore ingenti quum flamma vagatur
Ventorum hac: illac torquentum turbine multo
Frondentes rami, & totis cum stirpibus arbor
Densa cadit, sic per campos cristata cadebant
Teucrorum capita Atridæ sub vindice ferro.
Æripedes & equi vacuos sine pondere currus
Raptabant strepitu horrisono, & cervicibus altis.
Vulturibus sed enim domini data præda jacebant,
Et gnatis dolor, & miseris uxoribus ingens.
Hectora sed procul a strepitu semoverat omni
Jupiter, ab telisque procul, pugnaque cruenta.
Diffugiunt turbatæ acies, urbemque reposcunt
Ili Dardanidæ terreno ex aggere bustum
Qua jacet, & ramos patula expandit caprificus.
Palanteis sequitur clamans, atque urget Atrides,
Sanguineque, & nigro fœdatus pulvere dextram.
Ut Scæas ventum ad portas, fagumque comantem
Dardanidæ steterunt, properanteisque æquore toto
Exspectant socios, quibus indefessus Atrides
Instat adhuc, velut ille reducta in valle juvencas
Territat horrendum infrendens leo nocte sub alta
Una omneis, fugiunt reliquæ, mors imminet uni
Dura tamen, validis quam dentibus ille trucidat,
Cervicem primum infringens, artusque trementeis,
Visceraque, & calidum rabido bibit ore cruorem.

Digitized by Google

Haud secus ante alios toto furit æquore campi
Fervidus Atrides postremum quemque cruenta
Hasta, aut ense premens. Olli trepidantque, ruuntque,
Exanimesque rotis labuntur plurimi ab altis.
Jamque propinquabat muris, urbemque tenebat,
Quum Divum pater, atque hominum delapsus Olympo
Idæ multijugæ sublimi in vertice sedit
Aureus, horrificamque armabant fulmina dextram.
Auratisque procul celerem vocat Irida pennis:
Iri, age, Priamidæ nostra hæc mandata referto.
Dardaniis donec campis Agamemnona Regem
Viderit irrumpentem acies, teloque furentem
Primores inter, sternentemque agmina ferro
Ipse pedem retrahat turmas hortatus in hostem,
Quum vero aut hasta domitus, volucrive sagitta
Conscendet currus, referetque ad litora gressum;
Ingruat, audentem victoria certa sequetur
Ad naveis cursu donec pervenerit altas,
Phœbusque occiderit, sacra noxqne incubet umbra.
Hæc ait: illa jugis subito ab sublimibus Idæ
Ilion adproperat, qua Dardanus Hector anhelis
Stabat equis, curruque procul sublimis in alto.
Diva viro patris exponit cælestia jussa,
Confestimque polum repetens volat ocyor Euro.
Continuo terram saltu petit impiger Hector,
Longa manu lato vibrans hastilia ferro,
Hortaturque viros, primasque exsuscitat iras.
Convertere Phryges frontem, adversique resistunt,
Densantur Danai, & crudescunt prælia rursum.
Laudis amor primum raptat per gramina Atridem.
Dicite nunc, Musæ, proles Jovis, obvius olli
Quis prior aut Teucrum, aut sociorum ex agmine venit?
Iphidamas Antenorides fortissimus heros.
Hunc avus in magnis nutriverat ædibus olim
Threjcia tellure procul, glebæque feraci,

Digitized by Google

Et pecudum, Cysses, cujus formosa Theano
Gnata fuit; sed vix lapsis puerilibus annis
Florebant juveni prima lanugine malæ,
Delegit generum, gnatamque huic tradidit heros.
At linquens thalamos, vixque incœptos hymenæos
Grajorum adventum Iphidamas, famamque sequutus
Bissenis ratibus Trojana in litora venit.
Percopis deinde in tuta statione relictis
Navibus, ipse pedes socium se adjunxerat urbi.
Ut prope constiterunt, hastam contorquet Atrides;
Sed diversa tamen liquidum secat aera longe.
Iphidamas contra ruit, & qua baltheus infra
Thoracem effulget, ferratam dirigit hastam,
Impellitque manu valida, atque obtrudere certat.
Restiterunt sed enim conanti cingula multo
Argento solida, & cuspis, ceu plumbea, retro
Flectitur; ast animis ingentibus acer Atrides
Correptum trahit ad sese, ac telum eripit hosti,
Ceu leo, tum jugulum gladio petit, æreus olli
Obrepit somnus, solvuntur frigore membra.
Heu miserande puer! Nec te pulcherrima conjux
Deflevit, pressitve oculos, qui expertus amores
Vix primos, niveo solvisti e pectore zonam.
Cui dotem egregiam, taurorum ingentia centum
Corpora præstiteras, decies centena daturum
Pollicitus, pingueis & oveis, simasque capellas
Quæ tibi Threicios tondebant prata per agros
Interea exultat conferta per agmina Grajum
Exuvias, atque arma ferens insignia ductor.

V. 214. *Et pecudum Cysses*. Communis est Virgilianorum interpretum opinio Cyssem hunc eundem esse, ac Dymantem, Hecubæ patrem, quod Virgilius Hecubam Æn. 1, & 2. Cysseidem appellaverit. At Homerus Theano semper Cysseidem, Hecubam nunquam ita appellavit, immo Cyssem a Dymante aperte distinguit. Primum enim in Thracia, secundum in Phrygia regnasse asserit. Sed de hoc fortasse alibi.

Ingemuit magno perculsus corda dolore
Fraterna de cæde Coon, Antenoris ille
Gnatorum major, turbaque tegente repostus
Telum ex insidiis magno cum robore torquet,
Atque infra cubitum Regem ferit, ærea cuspis
Adversam meat in partem: neque segnior heros
Horruerat quanquam, pugna, campisque recedit.
Adversumque Coona fremens longa irruit hasta.
Ille quidem turba e media Iphidamanta trahebat
Correptum pede festinans, Teucrumque vocabat
Ductorum primos: olli latus haurit apertum
Sub clypeo Atrides, gelidumque extendit in herba.
Sic Antenoridæ gemini pugnacis Atridæ
Occubuere manu, & Cociti ivere sub undas.
Ille hasta, gladioque furens, saxisque pererrat
Per cuneos, nec dum motum tardaverat omnem
Plaga recens, calidusque fluit de vulnere sanguis.
Ut stetit, ingentes Regem subjere dolores,
Parturiens quantis urgetur fœmina, quondam,
Quos sæve immisere Deæ, Junonia proles,
Quæ primæ præsunt nascentibus Ilithijæ,
Conscenditque rotas, & puppeis tendere ad altas
Aurigam jubet, ac magna ciet agmina voce:
O flos Grajugenum, ab curvis arcete carinis
Exitium, me quandoquidem fata aspera totum
Decertare diem prohibent, & sternere Teucros.
Dixerat hæc, urge bijuges auriga comanteis,
Hique haud inviti accelerant, tum nimbus arenæ
Tollitur & spumis humescunt pectora canis
Urgentumque viam, Regemque in castra ferentum.
Hector ut Atridem cernit discedere campo
Trojanas, Lyciasque instigat voce cohorteis
Nunc Troes, Lyciique manum, nunc, Dardana pubes
Ferte citi, fugit ille virum fortissimus; at me
Fata juvant, decus hoc nobis Saturnius ipse,
Hoc signum dederat, laudem non invidet Hector

Hanc vobis, ruite in Danaos. Sic ore loquutus,
Instauratque animos, velut quum dentibus albis
Ille canes aprum contra, torvumve leonem
Instigans venator agit. Prima agmina ductor
Ipse regit, Marti similis, molemque, oculosque,
Qualis ubi rapida æthereo venit axe procella,
Et ferrugineum volvit mare vortice torto.
Tum quem postremum, quem primum straverit heros
Diva cane. Assæum primo, Autonoumque, & Opiten,
Et Dolopem Clytiden, & Opheltion, atque Agelaum,
Æsymnumque, Orumque duces, & robore clarum
Hipponoum, ingentemque virum sine nomine turbam.
Ceu quondam imbrifero Zephyrus quum turbine, toto
Nubila agit cœlo, crebrique ad litora fluctus
Volvuntur tumido in ponto, tum spuma sub auras
Spargitur, & saxis allisa remurmurat unda,
Priamidæ ardentis ferro tot densa cadebant
Argivum capita: ac miseris extrema fuisset
Illa dies, ratibusque cavis, nisi magnus Ulysses
Talibus adstantem urgeret Diomedea dictis:
Quid lenti hic agimus, Tydeo sate? Nunc opus armis.
Huc ades. An puppeis nobis spectantibus Hector
Tradiderit flammis? Tydides talia contra:
Ecce adsum; sed non dextra defendier ulla
Classem posse, reor; Teucris victoria quando
Ab Jove missa favet, non tristibus illa Pelasgis.
Dixit, Thymbræumque rotis deturbat ab altis
Ære gravi ad lævam percussum pectora mammam.
At Regis famulum Molionem sternit Ulysses.
Exorteisque viros pugnarum in pulvere linquunt.
Olli apri ut gemini properant, turbantque ruentes,

V. 281. *Ille canes*. Ille in comparationibus Latinis frequenter abundat, quod in Virgilio observavit Cerda, & Ruæus in 1.
,, Ac velut ille canum morsu de montibus altis
,, Actus aper &c.

Apri ceu gemini, incurvo qui dente Molossos
Toto agitant nemore. Ast acies respirat Achivum
Interea, sistuntque fugam: cadit Amphius acer
Tydidæ ferro, atque armis insignis Adrastus,
Quos revocare Merops genitor sæva arma frementeis
Artibus haud ullis potuit Percosius augur.
Obstiterunt, juvenes nimirum in bella vocabant
Tristesque Eumenides, & ineluctabile fatum.
Tydides domitos fulgentibus exuit armis.
Hippodamusque cadit, cadit atque Hipirochus ingens
Oppugnante Ithaco, Martisque hinc inde laborem
Ab summa æquavit despectans Jupiter Ida.
Sternuntur, sternuntque pares, tum Pæone natus
Tydidæ intorta procumbit Agastrophus hasta.
Forte pedes (namque & bijuges, currusque tenebant
Inde procul famuli) primores inter obibat
Bellantum turmas, donec Diomedis acuto
Effudit sub telo animam, lucemque reliquit.
Talia prospiciens in pugnam Dardanus Hector
Cum clamore ruit, sequitur Trojana juventus.
Horruit adspectans Tydides, istaque rursus
In nos pestis, ait, galeatus volvitur Hector;
Sed stemus, Laertiade, obstemusque ruenti.
Sic loquitur, stridensque manu simul evolat hasta;
Et galeam venit in summam; verum ære repulsum
Æs resonat, neque Priamidæ de corpore strinxit.
Ipse viro galeam ingentem nam Phœbus Apollo,
Ac triplicem dederat: retro Priamejus heros
Vertitur actutum, turbaque tegente recedit,
Labitur inque genu, caligoque lumina circum
Fusa tegit; Tydeoque satus jam qua impetus hastam
Detulerat, per densa virum ruit agmina, ferrum
Devulsurus humo, & pugnam rediturus in acrem,
Quum subitus membris rediit vigor, inque coruscum
Priamides currum salit, ac subducitur hosti.
Tydides tali properantem est voce sequutus:

Digitized by Google

Bis jam fata fuga vitasti, perfide, bisque
Instanti eripuit lætho te Phœbus Apollo,
Quem supplex in vota vocas ruiturus in arma:
Forte alias tamen haud fugies, si dexter Olympo
Et mihi pugnanti Deus est: nunc æquore toto,
Quos potero, sternam ferro. Sic fatur, & arma
Pæonidæ vesteisque rapit spolia ampla jacentis.
Forte procul stabat prisco de more columna.
Alta, ingens, vetus ad Regis sublata sepulchrum
Ili Dardanidæ: hac tectus Diomedea contra
Tyndaridis raptor curvos sinuaverat arcus.
Fortis Agastrophei galeam, clypeumque trahebat
Ille gravem, & vario insignem thoraca labore.
At Paris incurvosque arcus, nervumque retraxit.
Nec volat incassum dextra exitialis arundo,
Sed venit in medium dextri pedis, actaque supra
Transversum meat, immotumque affigit arenæ.
Illicet e latebris in apertum desilit æquor
Subridens Paris, & tumido hæc de gutture jactat:
At non cassa manu, aut tenueis diversa per auras
Cuspis iit, penitusque utinam per viscera ferrum
Egissem tibi quem metuit Trojana juventus,
Caprarum veluti truculentum turba leonem.
Talia jactanti, Tydei sic filius inquit:
Huc, huc, ista mihi propius cane, bellule, adulter,
Semivir, haud etenim quicquam pulcherrima prosint
Arma tibi, teretesque arcus, volucresque sagittæ.
I, nunc perstrictæ jacta te vulnere plantæ,
Quantum vel pueri fieret, tenuive puellæ
Mollis acu; at non illa metum, non illa dolores
Tela ferunt crudos, quæ imbellis dextera torsit;
Sed mea non unquam sine cæde, aut sanguine multo

V. 371. *Semivir*. Simili contumelia Turnus apud Maronem, Æneam afficit: *da sternere corpus. . . . Semiviri Phrygis* in 12, & in 4. *cum semiviro comitatu*. Vide ibi interpretes.

Impetit hasta viros, defletque miserrima conjux
Purpureas laniata genas, orbataque proles.
Interea madida miser in tellure putrescit,
Gratior alitibus, quam mollibus ille puellis.
Talia dum fatur, propius stetit obvius ipsi
Neritius ductor, telumque ab vulnere traxit.
Tum vero ingenti correptus membra dolore
Conscendit currum, & naveis contendit in altas.
  Unus erat super in campis Laertius heros
Ductorum ex numero, reliqui nam tuta tenebant
Castra fuga, hæcque animi incertus secum ipse volutat.
Hem quid agam? Turbam fugienti dedecus ingens
Imminet; at certum exitium, fatumque manenti.
Namque duces Divum genitor deterruit omneis,
Inque fugam vertit. Verum hæc quid mente revolvo?
Ignavi fugiant; fortem decet agmina contra
Stare virum, & ferro impetere, aut occumbere ferro.
Talia dum versat, pubes clypeata repente
Dardanidum ingruerat, mediumque incluserat hostem.
Atque aprum veluti juvenum quum turba fatigat,
Visque canum: nemore umbroso, dumisque relictis
Ille ruit, niveis infrendent dentibus ora.
Circum olli jaculis, tutisque latratibus instant,
Horrentemque urgent licet, atque immane frementem,
Sic Teucrum glomerata phalanx circumstat Ulyssem.
Ille furens tamen ingentem consurgit in hastam,
Atque humerum supra percussum Dejopitem,
Deinde Thoona premit, cadit Eunomus, & cadit acer
Chersidamas. Olli bijugos dum deserit altos
Orbe sub ingenti clypei subit ilia ferrum,
Telluremque manu, volvens se in pulvere prensat.

V. 383. *Neritius ductor*. Ita dictus Ulysses ab insula Nerito, quæ ipsius parebat imperio, de qua Virg. in 3, & *Neritos ardua saxis*, aut potius a Nerito ithacæ monte, de quo Homerus, unde Neritium Ulyssem appellarunt Ovidius, & Silius Italicus lib. 2.

Dein Soci fratrem fulgenti cuspide cædit
Hippasidem Charopem, frater cui territus, amens
Accurrit laturus opem, sicque ore profatur:
O Laertiade, gemino aut jactabere lætho
Hippasidum fratrum, exuviisque ab corpore raptis,
Condignasve lues fratris pro funere pœnas
Hac domitus dextra. Simul hæc, simul evolat hasta;
Perque moras tripliceis clypei, & thoracis ahena
Septa meat; non ima tamen per viscera ferrum
Ire sinit Pallas, costasque abradit Ulyssi,
Extremamque trahit pellem; nec territus ille
Ut sibi læthalem nequaquam agnoverat ictum,
Restitit, atque hostem dictis perstringit acerbis:
Imbellis, tibi nunc, tibi tristia fata parantur.
Obtinuisti equidem ab campis avertere Ulyssem.
Manibus hoc referes, dabis occisus decus ingens
Nam mihi, Plutonique animam. Sic turbidus infit,
Et ruit, ille dato torsit vestigia tergo
Adproperans; per dorsa tamen fugientis, & altos
Æs humeros medium venit, & cava pectora rumpit,
Insonuitque cadens: moribundo insultat Ulysses:
Isthic nunc, ignave, jace, non te optima mater
Condet humi, pius aut genitor, vel lumina claudent.
Alitibus linquere feris, qui viscera circum
Plaudentum volitent pennarum verbere crebro.
Hæc inquit, telumque manu simul extrahit, ingens
Tum dolor, & largus sequitur de vulnere sanguis.
Teucri ubi manantem ducis adspexere cruorem
Funduntur subito circum: retro ille recessit
Ter socia arma vocans, pollebat pectore quantum,
Ter vocem ingentem sensit Menelaus Atrides,
Adstantemque monens Ajacem, his vocibus infit:

V. 430. *Isthic nunc.* Hinc illa Æneæ ad Tarquirum in I.
„ Isthic nunc, metuende jace, non te &c.
„ Alitibus linquere feris, aut gurgite mersum.. Unda feret „.

O bone, ter nostras pervenit clamor ad aureis
Magnanimi Laertiadæ, tanquam omnis in unum
Teucrum turba ruat: properemus, opemque feramus
Oppresso. Quid enim melius? Næ maxima nostro
Hæc jactura fuat generi, si magnus Ulysses
Dardaniis caderet telis. Sic deinde loquutus
Antevolat, sequiturque virum Salaminius Ajax.
Ut ventum, magna adspectant stipante caterva
Conclusum Laertiadem, atque ut montibus altis
Quum rabidi coiere lupi circum ardua cervum
Cornua tollentem, jacta quem forte sagitta
Pastor agens telis nemora inter frondea fixit.
Ille quidem dum genua valent, & vulnere sanguis
It calidus, juga densa fuga, saltusque peragrat,
Tandem victus humi jacet, ac vis sæva luporum
Insultat fesso, laniantque, vorantque jacentem.
Tum si fors fulvum descendere monte leonem
Adspiciunt, trepidi aufugiunt, prædamque relinquunt,
Vescitur ille tamen, fortem sic propter Ulyssem
Stant densi Prhyges & numero, & virtute potentes.
Ille ruit contra tamen, & vim viribus exit.
Adstitit huic Ajax, & magnæ turris ad instar
Prætendit clypeum, tum vero hinc inde per agros
Diffugiunt celeres Teucri. Menelaus Ulyssem
Correptum trahit ex turba, currumque rotasque
Dum properant famuli; ast Ajax petit ense Doriclum,
Patre nothum Priamo, dein Pandocon, atque Pylartem,
Lysandrum, Pyrasumque, Jovis velut imbribus auctus
Fertur in arva ruens montano ab culmine torrens,
Et larices, totasque rapit cum stirpibus ornos
In mare purpureum, flavamque ejectat arenam.

V. 461. *Et vim viribus exit*. Loquutio Virgiliana in 11. Eodem quoque verbo activorum more utitur summus Poeta in 5. ubi de Entello:

,, Corpora tela modo, atque oculis vigilantibus exit ,,.

Sic Phrygias agitat turmas Telamonius heros
Cornipedes, sternensque viros. At Trojus Hector
Inde procul læva pugnarum in parte, Scamandri
Ad ripam furit interea, & galeata cadebant
Grajorum capita, ac Teucrum; ferit æthera clamor
Idomenea ducem circum, Neòloque creatum
Nestora, Grajugenumque globos ingentibus ausis,
Atque hasta, & vi magnorum premit Hector equorum.
Nec finis pugnæ fuit ulla, Machaona donec
Tyndaridis conjux, prædoque tricuspide telo
Dextrum humerum subter percussum exegit arena.
At Danaos timor angebat, ne forte ruentes
Urgerentque virum Teucri, premerentque dolentem.
Nestora tunc magnum adloquitur sic Gnossius heros.
Chare senex, currum conscende, Machaona telis
Subtrahe Dardanidum, tecumque in castra referto:
Unus enim bello pro millibus ille virorum
Censendus, quo non quisquam præstantior orbe
Vellere tela manu, succosque adhibere salubreis.
Hæc loquitur, pictosque senex, unaque Machaon
Conscendunt currus, laxisque feruntur habenis.
Cebriones magno misceri murmure campum
Dardanidum cernens tali monet Hectora voce:
Quid nos extrema pugnarum in parte moramur?
Nonne vides quanto bijuges, aciesque tumultu
Turbat agens procul hinc Troum Telamonius Ajax?
(Nam neque me aut humeri, clypeive fefellerit orbis.)
Quin ruimus cursu hac celeri, peditumque, equitumque
Nimbus ubi, & fuso crudescunt sanguine pugnæ?
Audin' consurgens quantus ferit aera clamor?
Sic effatus, equum resonanti terga flagello
Verberat, exiliere altum, currumque volucrem
Per medias Troumque acies, Danaumque ferebant,

V. 498. *Clypeive fefellerit orbis*. Quem turris ad instar esse supra dixerat, talemque ut ipsum Achillem non dedeceret, ut infra lib. 17.

Membraque trunca virum, & prostrata cadavera campo
Calcantur toto, sedesque, orbesque rotarum
Sanguine fœdantur (miserandum) atque ære sonoro
Quadrupedum putreis spargit rapida ungula rores.
Priamides turbare globos spe fervidus ardet;
Ajacem sed enim satagit vitare ruentem.
Ergo hasta, & gladio, vastisque molaribus instans
Jamque hac, jamque illac reliquos urgebat Achivos.
Jupiter at subita Ajacem formidine terret,
Et stetit attonitus, clypeumque in terga retorsit,
Crebraque respectans incessu lentus abibat.
Atque boum veluti circum stabula alta frementem
Pastoresque, canesque abigunt sub nocte leonem
Pervigiles, jamque huc rabidus, jamque irruit illuc,
Urget enim vesana fames, verum undique telis
Impetitur crebris, facibusque horrentia donec
Tesqua petit frendens prima sub luce diei,
Sic invitus abit campo Telamonius heros
Exitium veritus classis, gentisque ruinam.
Ut vero ingressum pueri sata pinguia quondam
Lentum urgent asinum, plures cui in tergore fustes
Fracti olim; ille altam segetem, tondetque, trahitque.
Illi instant: baculis, sed vis nil proficit ægra
Vixque ipsum expellunt postquam saturatus abunde est,
Sic Telamoniadem Troes, sociique sequuntur,
Æreus & clypei crebris sonat ictibus umbo.
Ille haud mentis inops, interdum pectora in hostem,
Convertitque gradum retro, furiamque coercet

V. 505. *Membraque*. Locum hunc adumbravit Virgilius in 12. ubi Turnus equos
,, Fumanteis sudore quatit, miserabile cæsis
,, Hostibus insultans, spargit rapida ungula rores
,, Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena ,, .

V. 524. *Ut vero ingressum*. Quid de hac similitudine sentiant alii diximus supra in præfatione. Aptissima certe est Ajacis genio, ac robori explicando.

Trojanorum equitum, mox sese ad litora vertit,
Et cœptum molitur iter, neque tendere quemquam
Teucrorum sinit ad naveis, Troumque, & Achivum
Stat medius, sævitque furens, terretque sequenteis.
Missilium pars ab clypei sonat ære repulsa,
Pars ipso in clypeo, pars magno ab corpore longe
Lassa resedit humi, hostilis sitibunda cruoris.
Ajacem procul adspectans sed Evæmone natus
Oppressum jaculis, magnam consurgit in hastam,
Phausiademque petit Apisaona, figitur alte,
Hepar & in medium hostilem bibit acta cruorem.
Advolat Eurypilus, prædæque accensus amore
Dum vesteis, atque arma rapit, subeunte sagitta
Percutitur femur ad dextrum: pulcherrimus arcu
Miserat hanc Paris: infixum stat arundine fracta
Telum intra, & magno torquentur membra dolore.
Tum retro ad socios cessit fata ultima vitans,
Et magna Danaos instigat voce per agros:
Irruite, o Danai, & tenui ab discrimine læthi
Eripite Ajacem: vix non jacet obrutus Heros
Dardanidum telis, evasurum nec opinor
Horrisona incolumem pugna. Vos sistite contra,
Atque virum numero obstantem defendite iniquo.
Hæc inquit, densantque acies, & scuta reclinant
Ocyus Argivi, & properant sublimibus hastis.
Obvius his Ajax venit, & conversus in hostem
Ora refert, turba exultans jam tutus amica.
Talia sese inter, velut ardens flamma, furebant.
Interea accelerans, ducensque Machaona Nestor
Fumanteis agitabat equas, Neleja dona,
Agnovitque procul cernens Pelejus heros
Puppe sedens celsa, extremique ad litoris oram,
Unde fugam spectat tristem, Danaumque laborem.
Dein socium inclamat Patroclum, subito adstitit heros
Ora Deo similis Marti, (misero inde futuri
Prima mali labes) diumque adfatur Achillem:

Digitized by Google

Gnate Dea, quianam trepida me voce vocasti?
Quidve jubes? olli Pelides talia fatur:
Chare Menætiade mea nunc spectabis Achivos
Amplexos genua, & geminas mihi tendere palmas,
Namque mali haud toleranda viros vis urget ubique.
Nunc i, Nelidemque roga quem forte dolentem
Abduxit pugna? similis molemque, humerosque
Namque Æsclapiadæ visus mihi, nec tamen ora
Adspectare viri licuit, præterque volantes
Effugere aciem bijuges. Sic fatur Achilles.
Patroclus at paret jussis, puppemque relinquit.
Nestoris interea ad navem jam ductor uterque
Venerat, eque rotis in terram exscenderat almam.
Solvit equos subito Eurymedon auriga madenteis:
Olli autem leneis captantes litoris auras
Siccabant madidas vesteis, corpusque levabant.
Deinde introgressi depicta sedilia complent,
Atque viris potum miscet formosa Hecamede,
Quam Tenedo eversa Pelidæ robore Achillis,
Arſinoi prolem egregiam gens inclyta Grajum
Nelidæ dederat, præstabat mente sagaci.
Namque senex Danaos inter Regesque, ducesque:
Illa quidem cyano primum, pedibusque coruscis
Insternit mensam, tum grata opsonia Bacho,
Cæpam, melque recens, niveæ floremque farinæ
Lancibus expromit nitidis, crateraque magnum,
Ipse domo senior, clavis quem duxerat aureis
Insignem: geminus crateri fundus, & ansæ
Quatuor, at binæ circum stant quamque columbæ
Fulvo auro solidæ: haud facile quis tollere mensa
Auderet plenum; nullo tamen ille labore
Tollebat senior. Roseo hic pulcherrima vultu
Pramnia vina super caprinum fœmina caseum
Erasum adjungit miscens, albamque farinam.
Ut potu compressa sitis, sermonibus olli
Mulcebant animum variis, curasque levabant,

Quum Patroclus stetit ante foreis; at sede relicta
Obvius egreditur senior, dextramque prehendit,
Introrsumque agit, & propius considere jussit.
Abnuit at Patroclus, tali ac sermone profatur:
Non, non ista quidem patitur solatia tempus.
Ille moræ impatiens quam sit, bene nostis, Achilles,
Qui me quæsitum huc misit quem vulnere, Nestor,
Mœrentem adveheres: agnosco Machaona Regem,
Et video, satis est, redeam, jam forte morosum,
(Lentus scilicet Æacides) tardumque vocarit.
Illa Menœtiades, contra cui talia Nestor:
Cur tamen afflictos tantum miseratur Achivos
Pelides? Nescit quanto tentoria luctu
Miscentur Danaum? Tydeo satus ipse sagitta
Percussus dolet, est Ithacus percussus Ulysses,
Eurypilusque etiam, & gentis regnator Atrides,
Et nuper mecum abductus de cæde Machaon:
Nec tamen immitem tot tristia funera tangunt.
Nonne datum satis est odiis? Velit ipse carinas
Cernere fumanteis, Danaumque hæc litora fusis
Strata cadaveribus? Pollerem robore quantum,
Quum melior vireis sanguis dabat, atque juventæ
His habilis membris inerat vigor, Itymoneum,
Quum bello Eleos inter, Pyliosque suborto,
Stravit Hypirochidem manus hæc. Olli Elide in alta
Tectum erat, ingentes & opes: hoc funere rapto
Agrestum fugere acies, nos mœnia versus
Prædam agimus magnam, immensam, præstantia centum,
Et quinquaginta flavarum corpora equarum,
Pluribus & pulli suberant, tum quinquaginta
Cornutorum armenta boum, totidemque bidentum,
Caprarumque greges totidem, pecorisque suilli.
Nocturnique Pylum ingredimur, gaudetque tuendo

V. 625. *Pollerem robore quantum.* Transit ad semet more solito.
V. 626. *Quum melior vireis*. Loquutio Maroniana ore Entelli senis Æneidos libro quinto.

Neleus, & primo Martem adspirasse labori
Miratur juvenis gnati. Vixque æthere ab alto
Puniceis invecta rotis Aurora refulsit,
Convenere viri præconum voce vocati
Debita queis multos fuerant dilata per annos
Elida per pinguem fraude, aut vi gentis Epeæ.
Ex quo tot luxere malis Neleja regna,
Haud numero metuenda virum, namque Herculis olim
Flos juvenum ferro occiderat: Bissena parenti
Progenies Neleo fuerat vix ipse relictus,
At reliqui interiere omnes sub Marte cruento.
Cladibus assiduis hinc nos, hinc semper Epei
Vexabant elati animis, urbeisque premebant.
Ergo datis, leges ut cuique, & jura favebant,
Judicibus, præda cives potiuntur opima,
Armentumque boum genitor, lectasque bidenteis
Ter centum exemit Neleus, oviumque magistros.
Elida nam missos quondam currusque coruscos
Victores & equos quatuor (victoribus autem
Præmia propositi tripodes) Rex ipse virorum
Augias tenuit, vacuosque, & honore carenteis
Miserat aurigas. Iratus talia Neleus
Legerat hæc sibi; nec Pyliis, quæ debita cuique
Pars fraudata tamen, totam tum rite per urbem
Sacra Deum læti ingenti celebramus honore.
Tertia vix magnas lustrabat lampade terras
Orta dies, peditumque omneis, equitumque cohortes
Ingruerant, geminique Moliones ære corusci,
Imberbes pueri, nec pugnarum arte periti.
Urbs Thryoessa fuit gelidi sub vertice montis

V. 654. *Oviumque magistros*. Cuicumque rei præpositos magistros appellavit Virgilius, unde de pastoribus
„ Idem amor exitium est pecori, pecorisque magistro „
Et de navis gubernatore: *primusque magister*
Volvitur in caput ... atque alibi sæpe.

Alpheum ad fluvium, & regni ad confinia longe.
Hanc acies steterant circum, valloque premebant.
Nuntia sed Pyliis descendit Pallas Olympo,
Accenditque animos totam nocturna per urbem
Jam satis armorum cupidos, iraque tumenteis.
At genitor (nec enim belli, Martisque peritum
Credebat satis) arma mihi, currusque negavit.
Verum equites inter Pylios me fama ferebat
Insignem, peditem quanquam, sic namque Minerva
Egerat in pugnam, quaque altam propter Arenem,
In mare purpureum Miniejus influit amnis,
Surgentem Auroram, reliquasque ex urbe catervas
Expectabamus. Toto deinde agmine ad undam
Venimus Alphei, medio Sol stabat Olympo.
Sacra Jovi hic agimus magno, atque in vota vocamus,
Taurumque Alpheo, taurum tibi, Rector aquarum,
Indomitamque bovem mactamus rite Minervæ.
Dein vireis alimus victu, fusique per herbam,
Quisque suis somno domitus super incubat armis,
Fluminis ad ripam. Muros hæc inter Epei
Cingebant validaque urbem obsidione premebant.
Verum ingens restabat opus Mavortis acerbi.
Vix etenim roseo lux aurea fulserat ortu,
Irruimus subiti auspiciis Jovis, atque Minervæ,
Conserimusque manum. Pyliorum ex agmine denso
Primus ego, magnumque armis, & stirpe superbum
Mulion occidi: flavam Rex huic Agamedem
Augias gnatam dederat, cui nota potestas
Herbarum, quotquot toto nascuntur in orbe;
At non illa virum percussum cuspide ahena,

V. 668. *Alpheum ad fluvium*. De hoc Peloponnesi fluvio diximus ad 1. Alexandriados.

V. 678. *In mare purpureum*. Epitheton Virgilianum ab Homero desumptum. Versus autem pene Virgilianus ubi de Eridano, aut Pado:
,, In mare purpureum violentior influit amnis ,,.

V. 684. *Indomitamque*, quod supra: *cui cervix non trita jugo*.

V. 697. *At non illa virum*. Quod Virgilius ad Umbronem transtu-

Labentem aut potuit revocare in luminis auras.
Victor ego, curruque alto, bigisque potitus
Ductores inter miscebam prælia primos.
Attoniti sed enim hac illac per gramina Epei
Arripuere fugam, præstantem ut robore lapsum
Ductorem videre equitum; sed turbinis atri
More furens ego quinquaginta ære coruscos
Accepi currus: bini per quemque sedebant,
Telluremque duces petierunt ore cruento
Hac domiti dextra, puerosque Molionas ambos
Sors eadem premeret, tectos caligine densa
Neptunus nisi quærentis subduceret armis.
Ab Jove sic Pyliis ingens victoria cessit,
Perque agros stratos clypeis pulchra arma legentes,
Sternentesque viros telis instamus, & hasta,
Buprasium donec ventum, camposque feraceis,
Oleniasque arceis, & Alesion, arva Colones
Nunc dicta, extremumque virum hic sub Tartara misi,
Nam reditum Pallas jussis ingentibus urget.
Ergo Pylum retro turmæ vertuntur Achivûm,
Atque Jovi ex Superis; grates at Nestori agebant
Terrigenas inter. Duro in certamine Martis
Talis eram quondam; at solus virtute fruetur
Ipse sua Thetidis gnatus, serumque dolebit
Agminibus stratis Danaum, exustisque carinis.
Tu tamen, o dilecte, Patris reminiscere dicta,
Quum Phtia ex pingui socium te misit Atridæ.
Nam Laertiades & ego in penetralibus altis
Magnanimi herois sermonem audivimus omnem

lit in 7. „ At non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
„ Evaluit, neque eum juvere in vulnera cantus
„ Somniferi, & Marsis quæsitæ in montibus herbæ.

V. 721. *Serumque dolebit*. Adiectivum pro adverbio positum more Homerico quem Virgilius sæpius imitatur, ut *sera comantem Narcissum*, & alibi.

Agmina cogentes pinguem per Achaida quando
Æacidæ Pelei ad magnas pervenimus ædeis.
Hic te, Pelidem, fortemque Menætion intus
Vidimus: ille Jovi mactabat rite juvencam,
Pinguiaque exta senex Peleus adolebat ad aras
Aulai in medio, flammisque ardentibus aurea
Effundens patera nigrum libabat Jachum.
Vestibulum ante ipsum nobis occurrit Achilles;
Induxitque manu, jussitque accumbere mensis
Sacrati hospitii solito dignatus honore.
Postquam epulis extincta fames, hortabar Atridæ
Vos ego signa sequi, cupidisque, & in arma paratis
Suadebam facile; at gnato tunc magnus Achilli
Jussa dabat Peleus, famamque extendere factis,
Et reliquis præstare manu; tibi talia prudens
Actorides: Genere, atque armis quid majus Achille?
Tu natu sed enim major, molleisque memento
Explorare aditus, monitisque hunc flectere blandis.
Hæc genitor quondam, quorum oblivisceris, at nunc
Tale refer, si forte animum, atque ferocia dictis
Corda, volente Deo, commoveris, optima namque
Charorum monita; at matris si arcana morantur
Jussa Deæ, Jovis aut terrent oracula mentem,
Te mittat saltem in pugnas, Dolopumque sequatur,
Mirmidonumque manus, prostratis rebus Achivum
Fors lucem attuleris quandam, simul ipsius arma
Indue: Pelidæ falsa sub imagine Teucros
Deceptos forte ab ratibus, muroque repelles,
Respirentque acies Danaum, dispendia quanquam
Vix patitur bellum, exiguumque in Marte levamen.

V. 743. *Molleisque memento*. Id est observare tempora, quibus facilis ad illum sit accessus, quod maxime curandum iis qui cum Regibus, & cum hominibus truculentis, pronisque ad iram versantur. Loquutio Virgiliana est in 4.

„ Sola viri molleis aditus, & tempora noras „.

Defessosque hosteis solo clamore fugabit
Turba recens procul ab castris, & litore in urbem.
Sic fatur, movitque animos, & concitus heros
Evolat Æacidæ magna ad tentoria Achillis.
Vix Laertiadæ ad puppem pervenerat altam,
Clarus Evæmonides gressum tardante sagitta
Obvius Eurypilus venit: olli ab corpore toto
It sudor, tumidoque fluit de vulnere sanguis;
Mens tamen haud turbata viro. Miseratus euntem
Infremuit Patroclus, verbisque volucribus infit:
Ah miseri Danaum proceres, stirps inclyta Regum,
Siccine sede procul patria Simoentis ad undam
Ora canum fuerant vestro pascenda cruore?
Quid tamen, Eurypile? Immanem gens Hectora Grajum
Sustinet? An domiti toto sternuntur in agro?.
Sic adfatur, Evæmonides cui talibus heros:
Nulla, Menœtiade, vis jam auxilietur Achivis:
Præsidiumve, cadent miseri sub puppibus altis:
Pugnantum quotquot fortissima robora, telis
Teucrorum cecidere, Phrygum vis undique crescit.
Tu me duc, precor, ad naveis, hocque exime ferrum
Infixum femori, tepida nigrumque cruorem
Ablue, Pæoniasque herbas, succosque salubreis
Sparge manu, docuisse ferunt quæ plurima Achillem
Tete olim; ast ipsum Chiron justissimus unus
Magnorum docuit de semine Centaurorum.
Namque Æsclapiadæ Podalyrius atque Machaon,
Iste jacet mœrens, alienæque indigus artis,
Pugnat adhuc alter campo, sudatque sub armis.
Qui tamen hæc? inquit Patroclus, nam Nestor adire
Me jubet Æacidem, atque olli mandata referre.
Sed neque te tamen afflictum, mittamque dolentem.
Dixerat, atque sinu complexum heroa ferebat

V. 779. *Pæoniasque herbas*. Pæon Deorum Medicus de quo supra lib. 5. Hinc Virgilius: *Pæonium in morem* lib. 12.

Ingentem ad naveis: properant famuli, atque bovinas
Insternunt pelleis, & languida membra reclinant.
Solicitatque femur ferro, ac de vulnere telum
Extrahit, ac tumidam tepida plagam abluit unda,
Contusamque manu radicem immittit amaram,
Sopitusque dolor, calidi stetit unda cruoris,

LIBER DUODECIMUS.

ARGUMENTUM.

Trojani Polidamantis suasu relictis curribus, & equis fossam transeunt, & in quinque ordines divisi Græcorum munitiones adoriuntur. Sarpedon propugnaculum convellit, Hector vero effractis saxo portis primus naves ipsas adgreditur.

HÆc circum Eurypilum curvis in puppibus heros
Curabat Patroclus, Danai, Troesque per agros
Interea miscentque acies, Martemque fatigant.
Nam neque depulsura globos jam fossa ruentum,
Jam neque murus erat, spreto quem numine Graji,
Auspiciisque Deum, prædæ, ratibusque tuendis
Extulerant fatis obstantibus, & magnis Diis.
Atque etenim donec Pelidæ ingentis ob iram
Hectoreæ steterunt vires, Priamejaque regna,
Fossaque, murorumque etiam stetit ardua moles.
Postquam autem Troum lectissima robora, Grajumque
Occiderant plures, decimumque eversa sub annum
Urbs antiqua ruit Priami, pelagusque remensi
Grajugenæ patrios iterum petiere penateis,
Tum vero Phœbusque, atque armipotens Neptunus

Digitized by Google

Fluviorum ingentum in muros vertere fluenta,
Quot mare cumque petunt celsis de rupibus Idæ,
Rhesusque, Heptaporusque, Caresusque, Rhodiusque,
Grenicusque, atque Æsepus, diusque Scamander,
Et Simois, tot magnorum qui pulchra sub undis
Scuta virum, galeasque, & fortia corpora volvit.
Horum, inquam, tumidos Phœbus detorserat alveos
Argivam in molem: assiduis juvat imbribus æther,
Atque novem ingeminant solidas nocteisque, diesque,
Neptunus præit, & magno commota tridenti
Fundamenta quatit, summo quæ intexta labore
Stipitibus crebris, vastisque molaribus olim
Grajugenæ extulerant, Hellesque ad litora ponti
Stravit humum, & multa cumulavit litus arena,
Oraque convertit, tumidarumque agmina aquarum;
Alveum quæque suum versus, qua culta solebant
Arva secare fuga, & latices agitare sonanteis.
Hæc Neptunus erat quondam, & facturus Apollo:
Tum tamen horrisono strepitu miscentur Achivum;
Teucrorumque acies, reddunt perculsa fragorem
Turresque, & tabulata super, stant navibus altis
Conclusi Danai dum Jupiter Hectoris iras,
Et vireis fovet invisas, nam turbinis instar
Ille furit, leo ceu torvus, vel montibus altis
Actus aper, venatorum quem turba, canumque
Latratu, telisque premunt; at turbidus ille
Asper, acerba tuens jamque huc, jam vertitur illuc.

V. 16. *Fluviorum ingentum*. Anapestus pro Dactylo, ut apud Virgilium.

Fluviorum Rex Eridanus.

Georg. 1. nisi legas: *Fluviorum* vocali in consonantem mutata, ut aliis placet.

V. 20. *Et Simois*. Hinc desumpta illa Maronis in 1.

Ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virum, galeasque, & fortia corpora volvit.

Quem versum in 8. quoque Æneidos repetit clarissimus Vates.

Agmine quadrato olli instat, & spicula fundunt
Crebra manu, nec terga tamen furibunda frementem
Ira dare, aut virtus patitur, quaque irruit, illac
Cedit turba virum, sic agmina Dardanus Hector
Teucrorum irrequietus obit trascendere fossam
Voce jubens alta, trepidi sed margine summa
Stant bijuges, crebisque replent hinnitibus auras.
Terret enim saltu haud facilis, præruptaque late,
In præcepsque patens, & acutis undique vallis
Cincta super, densis, ingentibus, omneis contra
Teucrorum incursus; non illac flectere currus,
Aut fas cornipedes; peditum sed turba comantum
Hos aditus, jamque hos aditus interrita tentat.
Hic tum Polydamas: Quid nos prærupta locorum
Tentamus curru, o Troes, socijque potentes?
Fossa obstat, vallumque ingens, & murus Achivum,
Quem prope non equiti liceat descendere, & acri
Bella movere manu, angusto nam limite campi
Clausæ acies telis Danaum, ferroque patebunt.
Et sane parat Argolicam si perdere classem,
Et decus hoc tantum Iliacis dare Jupiter armis
Quod subito votis, o si daret ille precantum.
At vice conversa ab ratibus si rursus in urbem
Pellimur, hincque hostis, tum fossa coerceat illinc,
Nulla salus, Priami magnas non ullus ad arceis
Nuncius aufugiet. Nostris accedite dictis
Propterea, & famuli hic bijuges, currusque tenento.
Hectora nos circum armati, peditesque ruamus.
Haud etenim Danai obstiterint, si extrema minantur
Fata viris, nec falsa animos oracula ludunt.
Dixerat, assensere omnes, bigisque relictis
Ipse prior terram saltu petit impiger Hector,
Dardaniique duces, sequitur quos cætera pubes.
Aurigasque jubent ad fossam sistere currus.
Ordinibus quinis, animisque ingentibus inde
Quisque suos propter ductores agmine fossam

Digitized by Google

Irrumpunt toto. Primam fortissimus Hector,
Polydamasque regunt aciem lectissima Teucrum
Robora, qui Danaum ferro perrumpere muros,
Ardebant primi, & puppeis pugnare sub ipsas.
Cebriones fratrem sequitur, nam robore clarum
Ad fossam cessare nefas Tros duxerat Hector.
Hi primum ante agmen, sequitur delecta juventus,
Cui Paris, Alcathousque præest, & fortis Agenor.
Deiphobus deinde, atque Helenus Primeja proles
Agmen agunt, procul, et pingui devectus Arisba
Asius Hyrtacides, quem præstantissima equorum
Corpora detulerant vitrea Selleentis ab unda.
Æneas Anchisiades agit inde catervas,
Antilochusque, Acamasque genus Antenoris ambo
Pugnarum cupidi, & Mavortis in arte perfti.
Sarpedon Lycios, sociorumque agmina ducit,
Olli & Glaucus adest bellatorque Asteropæus.
Qui reliquos longe vincebant robore, & armis
Regem ipsum præter Jovis alto a sanguine natum:
Accelerant acta pariter testudine Teucri,
Grajugenasque petunt, perituros litore in ipso,
Casurosque rati. Et Troum reliqua agmina jussis
Panthoidæ steterant, pedibusque in bella ruebant.
Asius Hyrtacides contra, non linquere currus,
Non famulis bijugos committere; sed ruit acer
Argivum ad puppeis curru sublimis in alto.
Demens, non retro Iliacam rediturus in urbem
Axe sedens rutilo ab telis illæsus Achivum,
Namque extrema viro nebant jam fila sorores
Clari Deucalidæ Idomenei cuspide ahena.
Ille quidem lævam in partem toto impete fertur,
Qua reduces pugna Danaum peditesque, equitesque
Tendebant cursu, trepidique in castra ruebant.
Nulli propterea claudebant limina vectes
Sed patulæ stabant fugientibus undique portæ.
Hac ruit, ingentique ducem clamore sequuntur

Digitized by Google

Dardanidum turmæ, nec enim defendere Grajos
Posse aditus rentur, belli sed mole premendos.
Dementes, geminos namque ipso in limine portæ
Invenere viros Lapitharum sanguine cretos
Egregios bello, & vasta se mole ferenteis
Pyrithoo genitum pugna clarum Polypœtem,
Atque armis similem, membrisque Leontea Marti.
Quales aeriæ sublimi in vertice montis
Ventorumque minas contra, pluviasque sonanteis
Consurgunt geminæ quercus, intonsaque cœlo
Attollunt capita, atque altis radicibus hærent.
Adventantem hostem juvenes sic robore magno
Intrepidi expectant sortem in quamcumque parati.
Irrumpunt aditus Phryges ut videre patenteis
Ingenti fremitu, & clypeis sublimibus acres.
Asius ipse præit, cristaque insignis Orestes;
Jamenus, Œnomausque, Thoon, pulchroque parente
Pulchrior Asiades Achamas, muroque propinquant.
Interea Lapithæ reliquos pro puppibus altis
Suadebant pugnare globos; sed mœnia versus
Trojugenum ut validas spectant properare phalanges.
Tum vero exoritur Danaum fremitusque, pavorque.
Ast olli haud trepidant, similes agrestibus apris, (que
Qui nemore in denso turbamque hominumque, canum-
Frendentum excipiunt, dat torva frementibus ingens
Silva locum, & magno cedunt virgulta fragore
Isthincque, atque hinc excisa ab radicibus imis,

V. 122. *Quales ariæ*. Comparationem hanc parum immutatam ad geminos etiam portarum custodes Pandarum, & Bitiam detorsit Virgilius Æn. lib. 9., sed apud Virgilium occisi custodes, hic incolumes, ideoque *altis radicibus hærent*. Virg. autem: *Et sublimi vertice nutant*.

V. 139. *Dat torva frementibus*. Quod Virgilius ad Centauros geminos transtulit de monte descendentes Æneidos lib. 7. in sola autem militum recensione ubi nullus ardor animorum, nullus ruentum impetus, *non erat his locus*.

Stridorque exoritur spumantum dentibus albis,
Vulneribus donec vitam posuere cruentis.
Haud aliter circum pugnantum pectora crebro
Æra sonant pulsu, ingenti nam robore Teucros
Auxilio freti sociorum urgentque, premuntque.
Illi autem saxis, jaculisque volucribus instant,
Turribus abque altis, curvisque ab navibus, atque
Ab castris satagunt hosteis arcere ruenteis,
Atque hinc, atque illinc utroque ex agmine tela
Densa volant, nivis ut quondam crebra æthere ab alto
Funduntur glomera, in terram quæ nubila cogens
Ventus agit; resonant crebris tinnitibus æra
Scutorum ingentum, galearumque alta comantum.
Tum vero ingemuit furia commotus acerba
Asius Hyrtacides, fuditque has pectore voces:
Siccine mortaleis miseros spe pascis inani,
Tu quoque, summe parens? Nec enim jam talia rebar
Ausuros contra; verum ipsa ad litora ferro
Casuros Danaos, arsurasque igne carinas:
Hi sed apes veluti, maculosæ aut tergora vespæ
Pumicibusque viam propter, truncisque cavatis
Tecta, lareisque diu servant, noctuque frequentes,
Insiliuntque viros contra, gnatosque tuentur,
Haud secus hi, gemini quanquam, non limina linquent,
Ante Phryges quam reppulerint, aut vulnere multo
Corruerint domiti. Hæc fatur, nec Jupiter aure
Dignatur juvenem, decus hoc nec fata parabant
Asio Hyrtacidi ut muros perrumperet altos;
Viribus at summis, homicidæque Hectoris armis.
Interea ad portas reliquas, velut horrida nusquam
Pugna foret, multo crudescit sanguine Mavors.
Singula quid coner divino haud præditus ipse

V. 151. *Nivis ut quondam*. Simili comparatione Virgilius in 11.
V. 171. *Velut horrida nusquam*. Loquutio Virgiliana in 2.

Gesta virum, bellique viceis percurrere cantu?
Namque hic, namque illic fossamque, & mœnia circum
Flamma ardet, stridor ferri undique, & undique cædes.
Grajugenas vis sæva premit, posita omnis in armis
Spesque, salusque virum: auxiliaria Numina mœstis
Interea frendentque animis, & dura Tonantis
Jussa dolent, Lapythæ ad portas fera prælia miscent.
Pyrithooque satus Polypœtes cuspide longa
Irruit in Damasum, neque malis cassis ahenis
Obstitit, irrupitque hasta, & confracta per ossa
Trajicitur, calidoque hæret tepefacta cerebro:
Ille ruit, nigrumque vomit pleno ore cruorem.
Tœnarias subit inde Pylon, deinde Osmenus umbras.
Antimachi proles pariter furit inde Leonteus
Hippomachumque ferit fulgentia cingula subter,
Tum volat, & magnum vagina liberat ensem,
Antiphatemque petit medium stipante caterva,
Pectora transfixus terram petit ille supinus.
Jamenus hunc, sequiturque Meon, his jungit Orestem,
Atque alios alios super atras mittit in umbras.
Dum tamen ille viros fulgentibus exuit armis,
Polydamanta manus juvenum, sævumque sequuta
Hectora, Dardaniæ lectissima robora gentis,
Quanquam ardent animi Argivos prærumpere muros,
Invisasque rateis crepitantibus urere flammis,
Turbati tamen expectant, hærentque, nec ultra
Ferre pedem, retrove audent convertere cursum,
Monstra Deum quippe adversis terroribus obstant.
Namque volans alte castrorum a parte sinistra,
Ore cruentatum, & pedibus Jovis armiger uncis

V. 177. *Posita omnis in armis*. Nam neque fuga erat ulla, nec Deorum auxilium qui Jovis præcepto inhibebantur.

V. 180. *Jussa dolent*. Supra lib. 8.

V. 201. *Monstra Deum*. Versus Virgilianus in 7. Æneid., ubi Latinus Rex ne filiam Turno daret cœlestibus prodigiis deterrebatur.

Serpentem immanem, vivum, horrentemque ferebat.
Saucius at quanquam, non immemor ille veneni,
Erigitur contra sinuosa volumina torquens,
Prensantisque ferit circum colla ardua pectus.
At prædam ingentem curvis ex ungibus ales
Multa dolens subito medium projecit in agmen,
Et clangore gravi liquidum secat æthera pennis.
Obstupuere acies Teucrorum, hærentque tuendo
Horrendum squammis, maculisque ardentibus anguem.
Hinc tunc Polydamas: Quanquam, fortissime Teucrum,
Ductor, ait, sœpe increpitas me recta monentem,
In patriam nec enim civem fas pace, vel armis
Quemque loqui, aut ducibus turpi assentarier ore,
Verus amor tamen hæc cogit patriæque, tuique
Nuda loqui: Non ad curvas pugnare carinas
Trojugenis licet, ostentum si Jupiter alto
Demisit cœlo jamjam invadentibus, aureis
Insignem colubrum maculis, aquilæque volantis
Unguibus implicitum, gnatis quem implumibus ales
Illa quidem haud valuit, nidos neque ferre sub altos,
Sic etenim muros quanquam, portasque præaltas
Frangamus ferro, atque acies rumpamus Achivas,
Non idem tamen ab ratibus regressus in urbem,
Sorsve eadem, plureis nostrorum ad litora telis
Prostratos Danaum, & puppeis linquemus ad altas.
Nec sane hæc aliter quisquam explanaverit augur,
Cui plaudant populi, faveatque vocatus Apollo.
Illum torva tuens adfatur maximus Hector:
Pantho gnate, quid ardenteis sermonibus istis
Trojugenas terrere paras, tristissime Vatum?
An nescis meliora loqui, vel Numina mentem
Turbavere tibi? Cœli ne oracula contra,
Et magni promissa Jovis, me præpetis alæ

V. 236. *Me præpetis alæ*. Divinationem quæ fit per aves, cujus Cilices, & Phryges inventores fuisse scribit Tullius, tria in genera

Signa sequi, & volucri jubeas parere volanti?
Per me equidem dextram teneat, teneatve sinistram,
Nascentemve petat Solem, petat illa cadentem.
Consilium Jovis interea, ductumque sequemur,
Quem penes est hominum, Divumque æterna potestas.
Auguriis etenim præstantius omnibus unum est
Pro patria certare manu, atque occumbere in armis.
Prælia quid tamen ipse times? Decesserit omnis
Turba Phrygum muros circum, pictasque carinas,
Nunquam animam talem (mitte hanc de pectore curam)
Amittes ferro, Mavors cui semper in ore,
Non animo vigor, atque in tela minantia robur.
Ast ego cessantem pugna, vel te agmina Teucrum
Terrentem dicto, auguriis & talibus, hasta
Transfossum posthac in tristia Tartara mittam.
Sic fatus præit, immenso clamore sequuntur
Una acies juvenum. Saturnius insuper Idæ
Montibus ab summis rapidam dedit ire procellam
Ventorum ingentum naveis, & litora contra.
Continuo Grajum ex oculis turmasque, virosque
Pulverulenta rapit nubes, animique pavescunt.
Priamidæ contra, ac Teucris dant omina vireis
Fausta Jovis, Grajumque timor, pinnasque revellunt
Murorum celsas, clypeos ad tela sinistris
Protecti objiciunt, & propugnacula dextris
Ardua prensantes summa nituntur opum vi,
Asseribusque alii, validis & vectibus ima

---

distinguunt viri Eruditi, Auspicium, Augurium, & Aruspicium. Auspicium est quum ex avium genere, aut cantu, aut numero divinatio fit; Augurium quando ex volatu; Aurispicium quardo immolatis avibus ex fibrarum inspectione futurum aliquid prænuntiatur, quorum omnium plura sunt apud Valerium Maximum, & Tullium exempla. Vide Azorium Inst. Mor. tom. 1. lib. 9., ubi plura congerit Theologorum Recentiorum eruditissimus. Sæpe tamen hæc diversa genera in unum confunduntur, & Augurium generatim dicitur quæcumque ex volucrum inspectione sumpta divinatio.

Fundamenta operis certatim evertere tentant.
Grajugenæ interea ferventi Marte resistunt,
Tergoribusque boum muri fastigia certant
Cingere, perque cavas tela intorquere fenestras.
Ajaces gemini turreis ac mœnia circum
Accendunt animos dictis, firmantque catervas,
Laudantque., increpitantque: Viri, sive inclytus armis,
Deteriorve fuat, nec enim vis omnibus una.
Omnibus hic opus est, omneis labor ultimus urget.
Ne retro ad naveis quisquam clamore minaci
Territus abscedat, contra contendite cursu,
Inque vicem servate fidem, atque hortamini in hostem:
Jupiter o velit, ab ratibus si forte repulsum
Nos muros contra, Iliacasque sequamur ad arceis.
Talibus instaurant animos, urgentque maniplos.
Tum veluti hibernus quum ningere Jupiter orsus
Nubila densa pater tota jaculatur ab æthra,
Ventorumque silent flatus, nix undique circum
Crebra cadit, silvasque operit, monteisque superbos,
Florenteisque agros, & pinguia culta virorum,
Litoraque, & portus cani maris, unda relabens
Misceri at pelago prohibet, late omnia candent
Circumquaque tamen, denso ac Jovis imbre rigescunt,
Haud secus Argivum in Troas, Troumque in Achivos
Tela manu lapidesque volant, celeresque sagittæ,
Mœniaque ingenti miscentur tota tumultu.
Limina nec Teucri, & longum perfringere vectem
Viribus auderent ullis, non maximus Hector
Jupiter ipse suum nisi cruda in prælia gnatum
Acribus egisset stimulis, Sarpedona magnum,
Nigranteis veluti in tauros agit ira leonem,
Actutumque ruit clypeo protectus aheno
Ingenti, nitido, taurinis pellibus intus
Pluribus intexto, quas circum ductilis auri
Serpebant virgæ; ast orbem concluserat ære
Eximius faber, ingrediturque hastilia crispans

Bina manu, leo ceu densis in saltibus ingens
Nutritus quondam, quem dira fatigat edendi
Ex longo rabies, & siccum sanguine guttur,
In caulas ruit, & pleno insidiatur ovili,
Nec vigiles horret catulos, neque tela virorum;
Sed fremit omnem aditum tentans, in utrumque paratus,
Seu prædam rapere, aut certæ succumbere morti,
Sic Lycium ductor campo sese arduus infert
Grajugenum recta in muros, turmasque comanteis,
Et gnatum Hippolocho Glaucum sic admonet ore.
Ergone nos frustra primo dignantur honore
Regificas interque epulas, & pocula mensæ
Ductores Lycii, & cœlo ceu lapsa verentur
Numina, florenteisque agres, & jugera campi
Et Cereri, & flavo dederint felicia Bacho
Populeas Xanthus stringit qua flumine ripas?
Nunc opus ante omneis crudo decernere ferro,
Miratique animos Lycii, vireisque superbas,
Haud sane immeritos, dicant, populique, patresque
Quæsitisque epulis Reges, dulcique Lyæo
Excipiuntque, coluntque, ollis nam robur in armis
Eximium, adversos primique feruntur in hosteis.
O bone, si hoc functis bello, & discrimine pugnæ
Fas foret æternos vitam producere in annos
Expertes seniique gravis, fatique caduci,
Nec me ego Grajugenum, nec te charissime, telis
Objicerem famæ, perituræ & laudis amore;
At nunc quandoquidem innumeræ mortalibus ægris
In tumulum, læthumque viæ, sortemque futuram

V. 301. *Quem dira fàtigat edendi*. Loquutio Virgiliara in 9., & alibi. Leonis comparationem quinquies adhibuit in Æneide Virgilius, ubique ex Homero, qui eadem frequentissime est usus.
V. 328. *In tumulum, læthumque viæ*.
Namque ubi mors non est, si jugulatis aquæ?
ut pulchre Martialis.

Effugere haud miseris licet, in media arma ruamus,
Nos cuiquam, aut quisquam nobis occisus honorem,
Et laudem dabit ingentem. Tantum ore loquutus
Antevolat, Glaucus sequitur, Lyciæque phalanges.
Horruit adspiciens celsa de turre Menestheus
Magnanimi soboles Petei, nam se agmina contra
Ferre gradum videt, & socios hinc inde per agros
Vestigat procerum, pestem, qui arcere ruentem
Ab ratibus possint, stanteisque ad litora longe
Prospicit Ajaces geminos, Mavortia corda,
Teucrumque haud procul hinc, nuper de puppe profectum.
Nec vox inde tamen potis est audirier ulla
Tantus cœlivagas strepitus se attollit in auras
Pugnantum juvenum, galearumque ære micantum,
Et percussorum validus stridor clypeorum,
Portarumque fragor, densa nam mole cohortes
Irruerant omnes, per ruptaque limina certant
Ad naveis penetrare cavas: ergo inde Thootem
Adloquitur celerem: propera, Ajacemque vocato
Huc, utinam posses (foret hoc præstantius) ambos.
Namque isthinc grave Martis, opus, cædesque cruenta
Mox fuerit. Spectasne acrem Sarpedona turmas
Ducentem Lycias, fortissima pectora bello?
Quod si Marte illac, pugnaque urgentur iniqua,
Huc saltem properet cursu Telamonius Ajax,
Insignisque etiam Teucer Telamonius arcu.
Hæc Peteo genitus, paretque, & jussa minister
Actutum exequitur, nec maximus abnuit Ajax,
Adstantemque prope his dictis adfatur Oileum:
Tu hic remanens, Ajax, atque insignis Lycomedes
Grajorum instaurate animos, pugnamque ciete.
Nos alias hinc ad cædeis; & sæva vocamur
Prælia, mox adero, postquam auxiliaribus armis
Reppulero inde Phrygum turmas, Lyciosque ruenteis.
Tantum effatus abit, Teucer comitatur euntem
Queis Telamon pater ambobus, Teucrique ferebat

Pandion pharetram, atque arcus, pennataque tela.
Ut Mnesthei ventum ad turrem, murumque præaltum
Certatim Iliacas spectant premere undique turmas.
Hærent parietibus scalæ, tum prendere pinnas
Nituntur dextris, atque atri turbinis instar
Ductores urgent Lyciorum, & lecta juventus.
Sævit atrox Mavors, ferit aurea sidera clamor.
Hic Telamoniades socium Sarpedonis Ajax
Primores inter saxo deturbat Epiclem,
Ingenti saxo, ad pinnam quod forte jacebat.
Non illud manibus geminis attollere quisquam
Terrigenum posset quos prœsens educat ætas.
Ast heros facile elatum detorsit ab alto,
Ossaque contrivit capitis, galeamque coruscam.
Volvitur in caput ille cadens, lucemque relinquit.
Hippolocho gnatum Teucer stridente sagitta
Summa ab turre petit, cuspis pennata lacertum
Per nudum subit, & campo discedere cogit.
Tum Danaum veritus probrum se proripit inde.
Sarpedon tanti casu concussus amici
Ingemit; haud tamen ille animos, vireisque remittit,
Thestoridem sed enim insurgens Alcmaona telo
Percussit, traxitque hastam, ferrum ille sequutus
Fronte premit terram, super arma dedere fragorem
Ingentem, varia arma auro; pinnam inde prehensam
Sarpedon magna muri cum parte revellit,
Obstructosque aditus naveis patefecit ad altas.
Hinc Ajax tamen, inde petit Sarpedona Teucer
Loraque pendentis clypei prope pectora rumpit;
Sed fatum extremum, telique volatilis ictum
Depulit ab gnato genitor, ne cæsus Achivas
Ad naveis caderet, tum fervidus ingruit Ajax
Transadigitque moras clypei penetrabile ferrum,
Ardentemque virum cohibet, muroque repellit.
Ille furens cessit retro, nec linquere pugnas
Ira ducem patitur laudumque arrecta cupido.

Tum Lycias tali compellat voce phalanges:
Quis pavor, o gens chara, animos obtundit inerteis?
Creditis an me unum, quanquam fortissimus essem,
Posse viam ad navejs medios aperire per hosteis?
Murorumque altas dextra perfringere moleis?
Quin properate, boni, & socias adjungite vireis.
His dictis arrecti animi, Regemque sequuti
Incumbunt Lycii, contra densantur Achivi
Murum intra, ardescunt iræ, & pugna horrida surgit.
Nam neque ductores Lyciorum pellere Grajos,
Adque cavas poterant cursu penetrare carinas,
Nec Danai Lycios muris avertere ab altis.
At bini veluti agricolæ confinibus agris
Exiguo certant spatio, longasque tenentes
Mensuras manibus, dubio de limite quisque
Expromit sua jura, nec aut hinc ceditur, aut hinc,
Sic Licios, Danaosque viros discrimine pinnæ
Vix dirimunt tenui; at circum clypeique rotundi,
Duraque terga boum, thoracesque ære rigentes
Assiduo resonant ictu; stant omnia contra
Obnixi, inque vicem sternuntur prodiga vitæ
Corpora: nec dorso quisquam, sed nescia verti
Cæduntur clypei, atque leves ad pectora parmæ.
Atque cruore virum celsi fastigia muri,
Turresque, & tabulata super, pinnæque rubescunt.
Hinc, atque hinc paribusque armis, animisque resistunt,
Nec Lycii Danaos, Lycios nec pellere Achivi
Usque valent, æquatque viceis, & funera Mavors.
Tum ceu sueta colo vitam, tenuique Minerva
Angustam tolerare domi bona fœmina lanceis
Attollit geminas, pondusque hinc, indeque lanam
Solicita appendit, castum ut servare cubile
Conjugis, & possit parvos educere natos,
Sic pugna ancipiti hinc illinc victoria pendet,
Priamidæ ingentem donec concessit honorem
Jupiter, ille furens per propugnacula primus

Digitized by Google

Argivum irrupit, magno & clamore cohorteis
Dardanidum ciet in pugnas, atque intonat ore:
Ingruite, o Phryges, hac ingens via, scandite muros,
Ferte faceis, flammamque manu, atque exurite puppeis,
Dixerat hæc, vocemque ingentem, & jussa sequutæ
Undique se adglomerant acies, properantque frequentes.
Mœnia summa petunt alii, pinnasque revellunt,
Discurrunt alii ad portas, quos inter acutum,
Asprum, immane ferens saxum volat igneus Hector,
Non illud bini in plaustrum ab tellure levarent
Corpore præstanti juvenes, qui in luminis auras
Nascuntur modo, namque levem sine pondere molem
Fecerat omnipotens, nulloque labore ferebat
Ille altum, pecudis veluti quum vellera pastor,
Exiguum sibi portat onus, rectaque ruebat
Asseribus contra validis, trabibusque colurnis
Compactas, biforeisque ærato cardine portas,
Vectibus hinc illinc tsansversa ruentibus intus
Firmatas, solidasque, illac tum fervidus Hector
Stans prope, connixusque ingentis pondere saxi
Arietat, effracto crepuerunt cardine utroque
Ingentesque trabes, vectesque, & robora querna.
Hac illac strepitu horrisono disjecta per auras
Saxum intra muros magno volat impete longe.
Tum nocti similis vultumque, oculosque minaceis
Asper, acerba fremens, atque igne coruscus aheno
Priamides ruit ante alios, hastilia crispans
Bina manu: non tum Regi se sistere quisquam
Posset Dardanio, immortalia numina præter
Quum ruit in portas, tantum se mole ferebat
Talibus ardebantque viro fera lumina flammis.
Teucrorumque acies ruptos transcendere muros
Vocibus hortatur validis, parentque jubenti
Olli alacres: patulis alii se infundere portis,
Nituntur gradibus alii, & fastigia prensant,
Attoniti at cursu Danai petiere carinas,
Fervet opus, trepido miscentur castra tumultu.

Digitized by Google

LIBER DECIMUSTERTIUS.

ARGUMENTUM.

Neptunus territos Græcos miseratus formam Calchantis assumit, & ambos Ajaces, deinde alios duces ad prælium hortatur. Idomeneus Othryoneo, aliisque occisis strenue rem gerit. Plures quoque Græcorum intereunt. Deiphobus, atque Helenus ex Trojanis vulnerantur. Hector in Græcos ruit, & magna utrinque strages editur

JUpiter ut Troas, frendentemque Hectora puppeis
Egit in Argolicas, vario discrimine ferri
Dardaniamque manum, atque acies permittit Achivas.
Ipse procul placida ora sedens, vultusque serenos
Detorsit Thracum in campos, ubi Mysia multo
Arva ardent ferro, & felicia tecta, lareisque
Hippomolgorum, qua non servantior æqui
Gens hominum, nec tam longos cui vita per annos
Simplicibusque herbis, & potu lactis equini.
Lætaturque tuens Genitor, nec litora contra
Regnaque Dardanidum fulgentia lumina vertit.
Nam neque Cœlicolum Teucris, Danaisve putabat
Auxiliaturum quemquam. Neptunus inani
Nec tamen observans studio procul inde sedebat
Threicia in silva, Samiæque in vertice rupis,

V. 9. *Et potu lactis equini*. Nihil de equino lacte Homerus, deducitur vero ex nomine ipso, quo eam gentem appellavit, Hippomolgi enim dicti, quod equas mulgeant. Vitæ rusticæ gratissimam simplicitatem commendat hic Poeta quo de multa Virgilius in 1. Georgicorum, & Horatius. Sed quisnon?

Qua late Idæumque jugum, magnique patebat
Urbs Priami, pontusque ingens, Danaumque carinæ.
Huc ille egressus cæsos miseratur Achivos
Ægra ferens Jovis imperium, fraternaque jussa.
Tum rapidus subito prærupto ab culmine montis
Proripuit sese, tremit immortalibus ingens
Sub pedibus nemus, & tellus concussa remugit.
Ter gressum intendit, quartoque ad litora passu
Venerat, Ægæasque oras, ubi gurgite in imo
Templum olli, æternumque, ingens, auroque coruscum,
Hic pater æripedes, & flavo crine comanteis
Ad juga cogit equos, artusque inducitur auro,
Conscenditque axem, & pictas molitur habenas,
Atque rotis summum levibus perlabitur æquor.
Squammigerumque greges passim, atque immania Regi
Undique plaudebant Cete, latebrisque relictis
Innabant pariter circum, fluctusque secabant.
Hinc, atque hinc diducta locum dabat unda ruenti,
Nec rapidus per summa volans sale tingitur axis.
Argolicasque petit puppeis. Tenedon jacet inter,
Saxosam atque Imbrum specus ingens æquore in alto.
Hic Neptunus equos plena ad præsepia linquit
Vincula connectens pernicibus aurea plantis.
Ille in castra ruit, pubes qua Dardana nimbo,
Aut flammæ similis rapidæ, circum Hectora toto
Ad naveis properat cursu clamansque, fremensque
Jamque rates Danaum, tentoriaque alta videntur

V. 23. *Ter gressum intendit*. Nobilissimam hanc hyperbolem, inter alias Homericas commendant Volterius, & alii Critici.

V. 26. *Hic pater*. Hunc locum imitatus est Virgilius in 5, & Nympharum comitatu illustriorem reddidit. Ubique Homerum simpliciorem, & grandiorem invenias. Maronem cultiorem, ac politiorem. Versus 29, & 31 ex 1, & 9. Æneidos decerpti sunt.

V. 33. *Hinc, atque hinc*. Quod Virg. in cit. 5. Æn.
„ Subsidunt undæ, tumidumque sub axe tonanti
„ Sternitur æquor aquis.

Collucere sibi, & flamma crepitante cremari.
Calchantis sed enim vocemque imitatus, & ora
Neptunus geminum Ajacem, Danaosque ciebat
In pugnam, taleisque dabat de pectore voces:
Ajaces clari, vestra hac stat vita, salusque
Grajugenum dextra, ruite, o, virtutis avitæ
Nunc memores: alibi haud etenim vis ulla timenda est
Dardanidum murosque altos, puppeisque petentum.
Hic dextris opus, hic animis ubi Trojus Hector
Par flammæ furit in Grajos, ducitque phalangeis.
Nempe Jovis, cujus claro se ab sanguine jactat,
Fretus ope; at monitis quanquam ruit ille Tonantis
Sistite vos contra, audenteis fors alter Olympo
Cœlicolum juvet, ac naveis tueatur ab alto,
Hectoris atque minas dederit cohibere furentis.
Sic fatus tetigit sceptro, subitusque per artus
It vigor, in pugnamque agileis dextrasque, pedesque
Reddidit amborum, atque modis membra omnia miris.
Dein veluti accipiter præruptæ ab culmine rupis
Insequitur pennis pascentem prata columbam
Proripuit sese, in tenuemque evanuit auram.
Obstupuere ambo, primusque agnovit Oileus,
Et comitem Ajacem compellans talia fatur:
Non Calchas Vates, non est hic Thestoris, Ajax;
Aut hominum soboles, divini signa notabam

V. 53. *Cujus claro*. Originem enim trahebat ab Dardano, Dardanus autem ab Jove, ut infra dicitur.

V. 60. *Atque modis membra omnia miris*. Loquutio Virgilio usitatissima: *atque ora modis pallentia miris* in 1, & similiter in 7, & in 10.

V. 66. *Non Calchas*. Similia illa Pyrgus apud Virgil. in 5.

„ Non Beroe vobis, non hæc Rhœteja, matres,
„ Est Dorycli conjux, divini signa decoris,
„ Ardenteisque notate oculos, qui spiritus illi
„ Qui vultus, vocisque Sonus, quis gressus eunti „.

Ubi vide Ludovicum Cerdam multa, qua solet eruditione, congerentem.

Digitized by Google

Fulgoris, gressumque pedum, & vestigia retro:
Noscier at faciles Superi: mihi pectore toto
Ardescunt animi in Martem, tum dextra, pedesque.
Est Deus hic, Deus hunc mittit per membra vigorem.
Huic Telamoniades rursum: Et mea dextera ferrum
Insanit circum, & cædem sitit insitus ardor.
Nunc mihi, nunc contra armatus se sisteret Hector.
Talia sese inter, fervent dum pectore vires.
Bellatorque animo Deus incidit. Ille per altas
Interea cursatque rateis, corpusque levanteis
Membraque fessa viros sermonibus urget amaris,
Nam procul ingentem muros transcendere turbam
Tecucrum adspectantes nullam superesse salutem
Jam sibi rebantur miseri, mæstique dolebant.
Confirmatque animos, Martisque accendit amorem.
Ductores primum Leytum, Teucrumque monebat,
Peneleumque heroa, Thoantaque, Deipyrumque,
Merionemque, atque Antilochum Mavortis alumnos:
Proh pudor, Argivi juvenes, nil tale carinis,
Sospitibus vobis, atque arma gerentibus unquam
Extimui, rebarve; gravi sed pondere fractos
Novi equidem, videoque: dies postrema minatur
Jam Danais. Dii immortales! ingensque, novumque
Indignum adspicio his oculis prope litora Teucros
Jam conferre manum, & puppeis pugnare sub altas,
Qui prius imbelles tanquam, & sine robore damæ
Per silvam trepidant apris data præda, lupisque,
Sic procul ab muris lato se credere campo
Audebant numquam, at ruptis nunc mœnibus ipsas
Ad naveis properant cursu, flammamque minantur
Atridæ ob noxam, & populi discordia vota,
Infensosque animos, Martem, pugnamque perosos,
Mors quibus in pretio est; non gentis gloria cordi.
Offensoque etiam ductor peccarit Achille.
Continuo ab pugna Danaos cessare licebit?
Ah tantum reparate malum, rectique, probique

Nam facilis medicina animi. Martemne recusent
Robora Grajugenum lectissima? Vulgus ab armis
Cesset iners, esto. Quis non reprehendat inerteis
Prælia detrectare duces? O imbellia corda
Fors dictis gravius quicquam his passura! futurum
Heu probrum fugite, & seræ convicia famæ.
Nec longe quærendi hostes: jam vectibus, & jam
Cardine convulso naveis furit Hector ad altas.
His dictis concussi animi; glomerantur ad arma
Ajaces circum geminos lecta agmina Grajum,
Quæ non ipse, quidem Mavors contemneret asper;
Pallasve armipotens. Late seges ærea totis
Horret agris, hastæque hastis, umbonibus umbo,
Et clypeis fulti clypei, galeæque, jubæque
Miscentur capitum, atque virum vir proximus urget.
Usque adeo densi steterant hastilia dextra
Quassantes valida, & pugnam, cædemque frementes.
Conferti incumbunt Teucri, præit inclytus Hector
Torva fremens, montis saxum de vertice præceps
Quale ruit, torrentis aquæ de rupe revulsum
Vi ingenti. Volat horrisono mons improbus actu,
Immugitque nemus, violentoque impete fertur,
Exultatque solo, silvam, truncosque rotatu
Torquens avulsos, camporum in plana volutus
Vi extincta donec tellure immergitur alta.
Haud secus ad puppeis, extremaque litora cursu
Venturum sese jactabat Dardanus Hector.
Quum vero ad Danaum turmas, atque agmina ventum,
Ensibus ille virum, telisque hinc, inde repulsus
Restitit infrendens, magnoque hæc intonat ore:
Trojugenæ, Lyciique acres, ac Dardana pubes
State, viri: non illa diu testudo manebit,

V. 122. *Montis saxum*. Comparationem hanc adhibuit Virgilius in 12, atque etiam delibaverat nonnihil in 9.

Et Danaum quadrata phalanx, animique protervi
Hoc telum contra, si vere in prælia Divum
Me pater hæc agit, ab cœlo qui fulmina torquet.
Sic ait, instaurantque acies, primusque micantem
Anteferens clypeum lento per gramina passu
Deiphobus graditur, Priamo satus ore minaci.
Meriones contra fulgentem adsurgit in hastam,
Æraque percussit clypei, taurinaque terga,
Nec tamen evasit totum, fractaque resedit
Cuspide. Deiphobus submotum ab corpore longe
Protendit clypeum subito perterritus ictu.
Meriones retro ad sociorum vertitur agmen
Multa dolens decus amissum, telumque refractum.
Tum naveis versus properat, tentoriaque alta
Hastam allaturus. Per campos murmure magno
Interea miscent se acies, atque Imbrion armis
Præstantem Teucer Salaminius excipit hasta,
Imbrion, æripedum genitor cui dives equorum
Mentor erat, conjux Priami de sanguine claro
Legitimis non illa thoris sata Medesicastes,
Pædæumque domus, Trojana in regna priusquam
Grajugenæ bello ruerent, verum agmina postquam
Argolicæ vexere rates, Neptunia rursus
Mœniaque, & Priami soceri tectum ille petivit,
Priamidasque inter summo est exceptus honore.
Hunc Telamoniades telo stridente sub aurem
Percutit, avellitque hastam, ferrum ille sequutus
Fronte premit terram, velut alto fraxinus ingens
Monte super, toto quondam spectabilis agro
Ære cadit, viridemque comam terræ admovet almæ.
Sic ruit, horrendum super arma dedere fragorem.
Nec cessere tamen cupido spolia inclyta Teucro,

V. 136. *Quadrata phalanx peditum stabile agmen, ubi vir viro, armis arma conserta sunt*, ut ait Curtius.

Digitized by Google

Nam telum intentans contra stetit obvius Hector.
Ille quidem fatum intuitus vitavit acerbum.
Antimachum sed enim Cteato gnatum Actorione
Hasta volans ferit ad pectus, cadit ille, cadenti
Insonuere arma. At galeam, cristamque rubentem
Festinans rapere accurrebat concitus Hector,
Illum accurrentem telo petit efferus Ajax,
Figere nec contra licuit, namque undique corpus
Æs tegit horrendum, sonuitque umbo aureus ictu.
Priamides retro confestim utroque relicto
Corpore discedit: Danai accessere frequentes.
Antimachum Stichius ductor, ductorque Menestheus
Cecropides Grajum ad puppeis, & castra ferebant;
Mentoridem gemini Ajaces, per confraga montis
Ut capram gemini evectam in sublime leones
Ore ferunt rabido catulorum ab dentibus aspris
Ereptam nuper, properantque, armisque coruscis
Certatim spoliant; caput ab cervice revulsum
Dilecti ob cædem Antimachi indignatus Oileus
Turbinis in morem volvendum mittit in æquor,
Hectoris adque, pedes multa fœdatur arena.
Neptunus vero dilecti ob fata nepotis
Indignatus abit, Grajum ac tentoria cursat,
Dardaniis mala multa parans, turmasque recenteis
In pugnam acturus. Forte Idomenea per agros
Ab socio reducem cernit, quem poplite cæso
Detulerant pugna ab tristi, medicisque vocatis
Ipse iterum campos ductor, Martemque petebat.
Hunc Andræmonidæ vocemque, atque ora Thoantis
Neptunus simulans, qni altam Pleurona tenebat
Ætolos per agros, Calydonis & ardua tecta
Talibus adloquitur: Quo jam tibi tela, minæque
Idomeneu, Cretum princeps, queis Dardana quondam,
Agmina vos soliti, Priamique lacessere gentem?
Cui ductor: Non ista, Thoa, non crimina Grajum
Esse puta, non ulla viros ignavia perdit,

Digitized by Google

Non aut consilium, aut belli ratio ulla gerendi
Defuit Argivis. Divum hoc arcana voluntas,
Fataque fors tulerint, Danaum nomenque, genusque
Sede procul patria Iliacis occumbere campis.
Tu tamen ante alios solitus primo agmine quondam
Ore ciere viros, hastaque capessere pugnas,
Irrue nunc, bone, torpenteisque hortare maniplos.
Dixerat hæc, contra Neptunus talibus infit:
Idomeneu, non ille redux patria alta revisat
Litore ab Iliaco, alituum sed præda canumque
Hic jaceat, pugnam qui detrectaverit excors..
Tu mecum propera armatus, simul arva petamus
Namque etiam exiguas auget concordia vireis;
Nos vero & fortes metuant, vitentque ruenteis.
Tantum effatus abit. Cretum tentoria ductor
Alta petit, rutilisque artus accingitur armis.
Binaque tela rapit, graditurque, at pectora circum
Æs micat horrendum, rupto ceu fulgur Olympo,
Quum pater ostento terret mortalia corda,
Ardescitque polus, nimboque rubente refulget.
Merionemque procul properantem, & castra petentem
Adspiciens, tali trepidus sermone profatur:
Gnate Molo, quid Marte gravi, campoque relicto,
Huc properas? Ferrone doles transfixus acuto?
Mene petis? Nec enim ad curvas considere puppeis
Sed pugnare mihi est animus. Dein talia fatur
Meriones: Non hæ reditum, fortissime ductor,
Impulerunt causæ, quæsitum siqua relicta est
Hasta tibi huc venio, nostram nam fregimus ictu
Deiphobi ad clypeum. Bis denas, Gnossius heros,
Si lubet, invenies, inquit, tentoria ad alta
Ad muros stantes nitidos, quas ipse peremptis
Hostibus eripui ab Teucris, nam sæpius olim
Contulimusque manum, & cœlo pugnavimus æquo.
Hinc mihi tot longæque hastæ, & thoraces aheni,
Et galeæ, & clypei fulgenti umbone corusci.

Digitized by Google

Hæc Rex, Meriones contra: Sunt & mihi plures
Teucrorum exuviæ ad naveis;verum hinc procul absunt:
Nam nec ego Martem effugio, primo agmine suetus
Hostileis ruere in turmas. Ignoret Achivum
Forte alius; Te non certe, Rex magne, decora
Meriones latet in pugna. Sic fatur, at olli
Deucalides: Satis ista mihi comperta profari
Quid juvat? Ignavum non te: aut virtutis egentem
Argueril quisquam, ad curvas si forte carinas
Insidias Teucris strueret gens inclyta Grajum.
Insidias: ubi quis fortis, quis ineptus, & excors
Clarescit subito, Ignavus pallescit, & uno
Stare loco nescit, flexo jam poplite, jamque
Hac jactans, illacque pedem subsidit, at intus
Pectora cor tremulis quatit ictibus, oraque stridenț
Dentibus; ast unus forti color, & situs idem,
Mensque serena viro, martem, & certamina gestit:
Non te unquam indecori percussit vulnere quisquam
Cervice aut tergo; adversa sed fronte ruenti
Pectora vel stomachum ceciderunt tela sub altum.
Verum age, quid lenti hæc loquimur? quæ rideat alter,
Aut ferat indignè: propera, telumque capesse.
Sic ait, ille Deo similis tentorio ab alto
Raptim hastam tulit ingentem, Regemque sequutus
Evolat in Teucros, Mavors homicida cruentas
Ceu ruit in pugnas, monstrumque immane parenti
Terror adest, agitatque virum fortissima quanquam
Corda metu, Phlegyasque truceis,Ephyrosque superbos
Arma movent contra, ingentum tremit ultima pulsu
Thraca pedum, geminos nec sustentare ruenteis
Turba potest, domitæque virum cessere phalanges.

V. 264. *Mavors homicida*. Comparationem hanc expressit Virgilius Turni furorem describens in 12.

V. 266. *Terror adest.* Quod ibidem: *circumque atra formidinis ira, Iraque, insidiaque Dei comitatus aguntur*.

Digitized by Google

Meriones, sic, & Cretæ dominator ahenis
Fulgentes squammis cruda in certamina tendunt,
Atque Molo genitus: Dextram, lævamne petamus
Turmarum? An medias acies? mihi namque sinistra
Urgeri nimium Danai, cædique videntur.
Olli Deucalides: medio stant agmine lecta
Robora Grajorum, Ajaces, Teucerque, sagitta
Cui Danaum nullus certaverit, insuper hasta
Cominus, & gladio insignis: satis ille laborum,
Natus in arma licet, Tros exantlaverit Hector
Talibus ut victis heroibus, igne carinas
Usserit Argolicas, modo non Saturnius alto
Ipse manu ardentem jaculetur ab æthere flammam.
Nulli etenim Telamone satus concesserit Ajax,
Cui saxo, ferrove fuat violabile corpus,
Et qui consuetas carpat mortalibus escas,
Nec Pelidæ itidem magno quum ad brachia ventum,
Nam pedibus nemo Æacidæ contendat Achilli.
Huc aciem regito in lævam, spectabimus utrum
Nos cuiquam, aut quisquam nobis decus afferat ingens.
Hæc Rex; Meriones campo se turbidus infert.
Troes ut Idomenea vident, comitemque coruscis
Ignibus adsimileis variis effulgere in armis,
Funduntur subito circum, pugna aspera surgit.
Horrisono quantus strepitu venit æthere turbo
Ventorum æstate in media, arenteisque per agros,
Perque vias denso consurgit pulvere nimbus.
Tali ductores hinc, atque hinc impete certant
Se ferro petere: hastarum seges ærea totis
Horret agris, atque ab galeis rutilantibus, atque
Grandibus ab clypeis, thoracibus atque coruscis

V. 284. *Nulli etenim*. Ajax fortissimus Achivorum Achillem juxta, immo in stataria pugna Achilli par, a quo tamen, sicut & a Diomede membrorum agilitate, & insiliendi alacritate vincebatur, de quo adhuc infra.

Sole repercusso perstringit lumina fulgor.
Saxeus ille foret quisquis spectare sereno
Auderet vultu stragem, miserumque laborem.
Saturni tamen hos gnati discordibus ambo
Urgebant animis, claro namque Hectori honorem
Jupiter, Iliacisque lubens hunc destinat armis.
Non quod Grajugenum penitus delere maniplos
Ille velit, Thetidis sed enim, gnatique superbi
Indulgens precibus: Grajos Neptunus in arma
Dura ciet Trojam exosus, fratremque potentem.
Stirps eadem, genitorque idem Saturnus utrique;
Jupiter at natu major, multumque sagaci
Consilio, atque opibus præstans, rerumque repertis.
Non ideo in Teucros coram, numenque professus
Neptunus sævit: funemque tetendit uterque
Hinc nexum, atque illinc, pugnæ, cædisque cruentæ,
Ingentem, validumque, virum qui robora solvit,
Genuaque multorum. Tunc quanquam ineunte senecta
Jam gravior, Cretum in Teucros Rex insilit hasta,
Othryoneumque petit, nuper qui in bella Cabeso
Venerat ab pingui, Priamique a stirpe petebat
Cassandram uxorem nullis sponsalibus, ipse
Pulsurum sese Sigeo ab litore Grajos
Pollicitus. Gnatam contra roseo ore decoram
Annuerat juveni Priamus, Phrygibusque ferebat,
Et socero auxilium; magnis at passibus ipsum
Primores inter gradientem, cuspide acuta
Deucalides ferit: haud ictum de corpore thorax
Depulit æratus, stomachumque hastile sub imum
Figitur, insonuitque cadens, cui talibus heros
Insultat dictis: Mortaleis te super omneis,
Othryoneu, extulerim, Priamo si maxima Regi

V. 315. *Numenque professus*. Id est non palam, & se cædis authorem præseferens cujus contrarium Virgilius:
Alma parens confessa Deam.

Præstiteris promissa: senex tibi tradere gnatam
Nolle potis? Danaum Reges quoque, si modo Trojam
Nobiscum erueris, gnatam trademus Atridæ
Præstantem reliquas inter, dotaliaque ultra
Dona tibi: propera, ad naveis ut fœdere pacto
Hæc rata constiterint, tumido sic ore loquutus
Correptum pede per turbam, volvitque, rotatque.
Idomeneum contra Othryonei venit Asius ultor
Ante rotas pedes, aurigæ quem pone frementeis,
Spiranteisque tenent bijuges. Rex tela parantem
Occupat, & mentum subter jugulo ingerit hastam.
Ille cadit quercus velut ingens, altave pinus,
Populus aut bicolor densis quam in saltibus olim
In ratis exsciderint costam fulgente bipenni
Certantes juvenes, campo sic ante jacebat
Exporrectus equos, multoque cruore madentem
Dentibus infrendens palma prensabat arenam.
Aurigam Antilochus subita formidine inertem,
Flectere nec bijuges memorem petit, ærea tranat
Tegmina, & in mediam descendit fraxinus alvum.
Axe ruit nitido spirans, celeresque jugaleis
Nestorides agit ab Teucris ad litora Grajum.
Hyrtacidæ sed enim casu concussus acerbo
Deiphobus volat, & magno cum turbine ferrum
Idomeneum contra librans jacit: ille micantem
Protendens clypeum taurorum e tergore septem
Fulvoque ære gravem, ingenti se protegit orbe.
Irrita nec tamen hasta manu stridentibus auris
Hypsenorem procul Hippasidem precordia subter
Pectore percussit medio, vitamque resolvit.
Deiphobus jactans: Stygias nec inultus ad undas
Hyrtacide, ibis, ait. Plutonis ad invia regna
Namque aderit comes Hippasides. Sic fatus Achivum,
Antiochi in primis animum, mentemque momordit.
Tum densas ruit in turmas, corpusque jacentis
Orbe tegit clypei, donec tentoria ad alta

Mecisteus Echij soboles; & fortis Alastor
Exanimum gemitu, lacrimisque tulere profusis.
Interea furit Jdomeneus in utrumque paratus,
Sternere seu quemquam ductorum, aut ipsemet agris
Insonuisse cadens, tristemque ivisse sub Orcum.
Æsyetæ senis hinc sobolem petit ære corusco
Alcathoum Anchisæ generum, nam maxima Regi
Gnatarum Archisæ conjux erat Hippodamia.
Præ reliquis matri illa quidem dilecta, patrique,
Artibus, & cultu, formaque insignis honesta.
Idomenei ferro hunc domuit Neptunus acuto,
Obtexitque oculos tenebris. Stetit ille columnæ,
Arboris aut ritu alticomæ, ceu vincula plantas,
Vincirentque manus spatiis immotus iisdem.
Insilit Idomeneus, & crateis pectoris hasta,
Thoracisque ingens septum tela aspera contra
Perfregit medium, resonant tinnitibus æra.
Ille cadit, magnumque arma insonuere cadenti,
Transfixum sed enim cor palpitat, & quatit hastam
Vitaque cum gemitu in tenueis dispergitur auras.
Gnossius exultat ductor, sicque ore profatur:
An non, Deiphobe, hinc potius jactarier ausim?
Una etenim pro anima, qua tu jactaris adempta
Tres Orcum petiere duces, quin tu mihi contra
Ipse veni disces quantus Jove natus ab alto
Hic adsum. Minoa quidem Rex ipse Deorum,
Deucaliona tamen Minos, me maximus idem
Deucalion genuit Cretæ regna ampla tenentem,
Quem tibi perniciem, ac Priamo, Teucrisque superbis
Sigeum in litus longæ advexere carinæ.
Hæc Rex; Deiphobus dubio sed pectore versat
Magnorum an quemquam ductorum accerseret, agmen
Extremum repetens, ferro aut decernere solus
Auderet, visum at satius procul inde repostum

Tendere ad Æneam. Veteres hic corde sub alto
In Priamum versatque iras, volvitque, fovetque
Quod sese eximiumque armis, opibusque potentem
Trojugenas inter nullo dignatur honore.
Tum sic Deiphobus: Siqua est tibi cura tuorum
Dux Anchisiade, nunc hasta, & viribus usus.
Alcathous jacet, Idomenei cuspide cæsus,
Qui te olim puerum tectis innutriit altis.
Sic fatur, movitque animum, simul evolat hostem
Magnanimum contra infrendens, nec Gnossius heros
Obriguitve puer veluti, fugitve ruentem;
Sed stetit adversum, densis ceu saltibus olim
Trux aper instantemque canum, turbamque virorum
Intrepidus manet expectans, & inhorruit armos.
Ardescunt oculi flammis, acuitque recurvos
Ore fremens denteis venientum in tela paratus,
Ac medias ruere in turbas, sic restitit heros
Pugnacem Æneam contra, sociosque vocabat
Ascalaphum spectans, Aphareaque, Deipyrumque,
Merionemque, atque Antilochum Mavortis alumnos:
Huc, socii, huc conferte manum, ac succurrite soli.
Æneas Anchisiades venit obvius armis
Dardanios inter præstans, & flore juventæ,
(Optima quæ bello laus est) vegetusque, valensque.
O mihi si par his animis contingeret ætas!
Confestim decus eximium ferremve, daremve.
Sic inquit, parentque duces, steteruntque propinqui
Una omnes, humerisque nitentia scuta reclinant.
At parte ex alia Paridem, sociumque per agros
Deiphobum vocat Æneas, & Agenora magnum.
Agmina pone ruunt, bibituræ ut Sole sub alto

V. 404. *Veteres hic corde sub alto*. Hinc est quod aliqui existimant, Æneam odio in Priamum patriæ fuisse proditorem, & Græcos in urbem introduxisse, quapropter ab ipsis liber abire permissus sit, sicut & Antenor, de quo infra.

A pastu reduces tendunt ad stagna capellæ:
Dux gregis ipse aries præit, exultatque tuendo
Pastor, non secus Æneæ turmasque, virosque
Spectanti tacitum pertentant gaudia pectus.
De Alchathoo at gemini longis hastilibus ardent
Concertare duces: gradientum pectora circum
Thoraces resonant nitidi, stant viribus æquis
Præstantes hinc inde viri, par nobile bello
Æneas, atque Idomeneus, seseque vicissim
Ferro ardent petere, & mortem pro laude pacisci.
Æneæ primum stridens volat hasta per auras,
At modico Idomeneus flexu frustratur euntem.
Illa volans longe telluri immergitur altæ.
Œnomaum Idomeneus ventrem percussit ad imum,
Perque cavum rumpit thoracem: & viscera cuspis
Intima rimatur, jacet ille, & sanguine largo
Permixtam palma prensat moribundus arenam.
Idomeneus ferrum gelido de corpore traxit;
Non tamen arma humeris trahere est potis, undique telis
Urgebatur enim, nec jam vestigia cursu
Firma pedum satis, ut rapido vel longius hastam
Emissam petere, hostilem aut vitare volantem
In pugna posset, stabili in certamine ductor
Propterea melior, rapidis quàm fidere plantis.
Illum autem lentis gradientem passibus, hasta
Deiphobus petit, illa virum diversa fefellit,
Ascalaphum tamen ingenti transverberat ictu
Marte satum, flavaque trementem extendit arena.
Nec gnatum cecidisse pater de vertice Olympi
Audierat, Jovis imperiis ubi magna Deorum
Turba procul Phrygio ab campo, pugnaque sedebat.

V. 454. *Nec jam vestigia*. Maturior quippe jam Idomeneus, & senectuti, quam juventæ affinior. Stabile autem certamen hic dictum, quod stataria Pugna dicebatur a Latinis ubi collato utrinque pede decertatur.

Interea Aſcalaphum propter pugna aſpera ſurgit.
Deiphobus galeam capiti detraxerat æream,
Meriones telo cædit ſtridente lacertum,
Demiſitque manu galeam, pulſa ære ſonoro
Inſonuit tellus; at curſu concitus heros
Meriones traxitque haſtam, retroque receſſit.
Deiphobum ſtrepitu, triſtique ab cæde Polytes
Complexum rapit effuſis hinc inde lacertis,
Perventum donec bijuges qua auriga comanteis
Conflictu procul horriſono, curruſque tenebat
Ære renidenteis varios, qui ad mœnia ferrent
Mœrentem, & multo turpantem ſanguine ſedeis.
Crudeſcit Mavors, ingens ferit æthera clamor.
Æneas Apharea Caletoridem ferit haſta
Ad jugulum, caput adverſa de parte pependit,
Tum galea excuſſa, & clypeus, tenebroſaque circum
Mors affuſa oculos: vertentem terga Thoonem
Antilochus premit inſiliens, venamque recidit.
Perpetuum quæ per dorſum ab cervice recurrit.
Hanc penitus ferro ſecuit, jacuitque ſupinus
Ad ſocios geminas tendens in pulvere palmas.
Neſtorides humeris fulgentia detrahit arma
Huc circumſpectans, atque illuc, undique Teucri
Miſſilibus clypeum ingentem pulſantque, petuntque
Neſtoream ſed enim ſobolem Neptunia ſervat
Incolumem cura ab furiis, teliſque minantum.
Ille manus qua ſæpe virum denſiſſima ſuetus
Propterea ruere in martem, nec longa quieſcit
Haſta manu, huc illuc ſed enim jactata recurſat,
Et prope, vel procul ardebat turbare phalanges.
Cominus aſt Adamas meditanti talia, ferrum
Aſiades clypeum ad medium magno impete librat.
Glaucicomus vireis jaculo Neptunus ademit.

V. 498. *Glaucicomus*. Ita dictus Neptunus ab colore marinæ aquæ ſubviridi, qui & Venetus color, & Thalaſſinus dici ſolet.

Pars velut usta sudes clypei de umbone pependit,
Pars avulsa procul sonuit, turbamque suorum
Asiades trepidus petit; illum proximus urget
Meriones telum intorquens, atque inguina supra,
Qua gravior plaga est miseris mortalibus, hastam
Incutit. In terram lapsu ferrum ille sequutus
Palpitat horrendum, quantum de montibus altis
Contortis taurus vinclis immugit, agrestum
Quem manus invitum trahit, atque immane furentem.
Non secus (haud tamen ille diu) spiratque, tremitque
Asiades Adamas, donec de corpore telum
Meriones trahit, atque oculos nox dura recludit.
Deipyrum petit hinc Helenus prope tempus, & ense
Threicio, ingenti galeam perrumpit ahenam.
Illa excussa cadit, pedibusque hinc inde volutam
Pugnantum quisquam juvenum ab tellure levavit.
Illius at longo clauduntur lumina somno.
Infremit hæc procul adspectans Menelaus Atrides,
Ingeminansque minas, longumque hastile coruscans
Priamidem contra graditur, nec segnior ille
Protinus incurvosque arcus, telumque tedendit.
Convenere pares, hasta hic bonus, ille sagitta,
Atque Helenus prior ad pectus percussit Atridæ
Loricam intextam squammis; fatalis arundo
Ære repulsa procul resilit, ceu forte per agros
Agricola in plana fruges quum ventilat area,
Desiliunt cicera, & nigrarum grana fabarum
Impulsuque virum, ac ventorum turbine longe,
Haud secus Atridæ nitido ab thorace repulsum
Desiliit telum inde procul; Menelaus ad auras
Deinde hastam jacit, atque manum transverberat ictu
Qua teretes arcus Helenus, nervumque tenebat,
Affixitque arcum dextræ: jaculo ille refixo,
Suspensamque manum quatiens se proripit inde;
Telum olli infixum propter devulsit Agenor,
Et circumposita ligavit vulnera lana.

Stant circum famuli, & vittas, succosque ministrant.
Atridem hinc contra sese Pisander agebat,
Abs te quem lætho celeri, Menelae, domandum
Numina ducebant, & inevitabile fatum.
Ut prope constiterant, Atridæ fraxinus auras
Verberat aversa incassum; Pisander Attidæ
Percussit clypeum ingentem; sed ferrea cuspis
Deficit, atque alto cedit lassata metallo.
Confractumque hastile cadit, neque segnior heros,
Nam sperata animos dederat victoria magnos,
Sub clypeo parat æratam, pulchramque bipennem,
Cui longum ex olea lignum, sciteque politum
Inseritur manui, galeæque extrema comantis,
Atridæ & summam concussit vertice cristam.
Vagina at, magnum Menelaus liberat ensem,
Et nasum super extremum, mediaque ruentem
Fronte ferit, crepuere ossa, immistique cruore
In terram cecidere oculi, tum corpore toto
Lapsum, atque exanimem lævo pede calcat Atrides,
Exuit atque armis, tumidoque hæc gutture jactat:
Sic demum Argolicis ratibus, castrisque relictis,
Ibitis hinc, pugnæ finis cui nulla, nec ullus
Fœderis infracti metus est, aut ulla Deorum
Relligio, genus invisum, tectum hospitis ausi,
Sanctaque connubia, & thalamos violare pudicos,
Haud veriti ultriceisque iras, fulmenque Tonantis,
Laomedontiadæ Priami, qui regna, lareisque
Propterea ruet in cineres: nunc urere flammis
Argolicam classem, & Danaum vastare paratis
Murosque, & gentem; sed non laus inclyta Teucros
Illa manet: scelera infandas vos morte luetis.
Jupiter omnipotens hominum genus, & genus omne
Cœlicolum qui consilio, ac virtute potenti
Eveheris super, huic, pater, indulgesque, favesque
Perjuro generi? At reliquis mortalibus omnium
Est rerum modus; est limes præfixus amori,

Digitized by Google

Et somno quandoque animus satiatur, & escis
Dulcibus, aut molli cantu blandisve choreis,
Est melior quorum, & satiari grata cupido.
Troibus at pugnæ, & belli insatiabilis ardor.
Sic ait, & famulis conspersa cruore recenti
Arma viri portanda dabat, primisque maniplis
Miscetur rursum. Auratis hic obvius armis
Forte Pylæmeneo Harpalion satus æquore venit,
Quem secum pater haud iterum sua regna, lareisque
Visurum patrios, Trojana in bella ferebat.
Cominus hic medium clypeum percussit Atridæ;
Tegmina sed validas fregerunt ærea vireis.
Ille gradum retro actutum, fidasque suorum
In turmas tulit huc trepida, atque huc lumina volvens;
Meriones volucri vertentem terga sagitta
Percussit clunem ad dextrum: delapsaque cuspis
Osse sub extremo adversas penetravit in oras,
Vesicam propter: tum corpore labitur ægro,
Charorumque manus inter, ceu vermis arena
Volvitur in densa moriens, & sanguine largo
Tingit humum. Curru impositum dein mœnia versus
Paphlagones gemitu ingenti, lacrimisque ferebant.
It genitor juxta, & fletu simul irrigat ora.
Nec juvenem quisquam sociorum ulciscier audet;
At sortem infandam miseri indignatus amici
Priamides Paris, exceptum namque ædibus altis
Junxerat hospitio, telum contorsit ab arcu.
Forte aderat procul Euchenor, Polyidia proles,
Strenuus, ac dives, cui patria tecta Corinthi,
Haud fati ille quidem ignarus, sortisque futuræ.
Namque senex genitor Phœbo charissimus augur

V. 593. *It genitor juxta*. Nodus intricatissimus, in quo dissolvendo frustra Homeri Scholiastes insudarunt. Nam Harpalionis hujus pater Pylemeneus ductor Paphlagonum supra lib. 5. v. 498. Menelai ferro occidisse memoratur. Ergo bonus hic dormitavit Homerus.

Sæpe illum aut patriis moriturum sedibus olim
Correptum morbo, aut pugnantem Pergama circum
Trojugenum dextra cecinit, ferroque domandum.
Propterea studio ingenti simul ille ruinam
Vitabat Grajum, & tristis contagia febris.
Olli autem qua maxillæ committitur auris,
Cuspis it, atque animam gelido de corpore solvit.
Actutum dura clauduntur lumina nocte.
Sic velut ignis edax, sævit Mars ferreus agris.
Ignarus rerum interea, cladisque suorum
Priamides procul inde Jovi dilectus agebat,
Perstabatque Hector, Danaum qua mœnia primum
Ruperat, & nitido fulgenteis ære catervas.
Et Troes muros repulissent forte sub altos,
Taleis Grajugenis animos dabat æquoris alti
Rector ope, & tantis urgebat vocibus alas
Ajacis propter naveis, & Protesilai
Litus ad extremum, qua murus humillimus exstat,
Maximi ubi ardescitque virum, & conflictus equorum,
Illic Bœoti, & Locri, Phtiique, & Epei,
Jaones & longis accincti vestibus acri
Certabant studio ab ratibus depellere Teucros:
Nec tamen inde procul, flammæ crepitantis ad instar
Vertere Priamidem poterant. Prima agmina agebant
Cecropide, præerat Petei de stirpe Menestheus,
Una ingens Phydas graditur, Stichiusque, Biasque.
Amphion, Draciusque truceis per gramina Epeos,
Phylidesque Meges ducunt, Phtiasque catervas,
Robora lecta, Medonque, Meneptolemusque regebant.
Ajacisque Medon frater patre natus Oileo
Concessis non ille thoris, Phylacemque colebat
Ab patria procul urbe novercæ Eriopidis ira,
Cui fratrem juvenis ferro obtruncaverat olim.
Alter Phylacidæ Iphicli de sanguine cretus.
Hi Phtias armati acies longo ordine ducunt,
Obsistuntque rateis juxta, nec gnatus Oileo

Ajax Ajace ab magno divellitur unquam.
Atque boves veluti per culta novalia bini
Viribus obnixi paribus compactile aratrum
Cum stridore trahunt multo, tum cornibus imis
Sudor it, oblongumque jugum vix distinet ambôs,
Jugeraque ingenti proscindunt pinguia sulco,
Haud secus Ajaces conjuncto robore pugnant.
At Telamoniadem socii comitantur in armis,
Qui fessum, & clypei sudantem pondere magno
Objectu laterum, ac dexra quandoque levabant;
Non & Oiliadi tamen acri in Marte sodales
Adstabant Locri, stabili consistere pugna
Haud illi soliti, nec enim galeasve comanteis;
Fraxineàmque hastam, aut clypeos gestare rotundos
Mos in bella viris, sed nervo arcuque sonanti
Pennatisque hostilem aciem turbare sagittis
Duntaxat soliti: ergo alii fulgentibus armis
Troibus obstabant primi, pugnamque ciebant.
Pone latent Locri, & telorum grandine densa
Conturbant, urgentque Phryges, tum Pergama cursu
Mirati Grajorum animos, murosque petissent,
Hic nisi Polydamas: Nunquamne audire monenteis
Priamide, patiere? Deum tibi munere magno
Viresque, atque ingens concessum in prælia robur.
Consilione etiam, & prudenti excellere mente
Ipse voles? Non uni hominum simul omnia Divi
Concessere unquam. Est aliis Mavortia virtus,
Ars cytharæ, cantusque alii, mollisque choreae
Consilium est alii, mensque indita pectore prudens,
Quo donum utilius nullum mortalibus æquo
Ab Jove concessum: regna ille, urbeisque disertis
Sæpe regit dictis, augetque, auctasque tuetur.
Ergo lubens quæ visa mihi haud temnenda profabor:
Cingeris ecce unus belli flagrante corona;
At murum quicumque intra irrupere tuorum,
Secessere alii campis, alii æquora propter

Digitized by Google

Palantes, pauci numero obluctantur iniquo.
Tu gressus retro proceres huc coge frequenteis,
Auditis, quid opus facto ut decernere possis,
Seu ferro, & flamma curvas invadere puppeis
Auspicibus Diis, incolumes seu tendere in urbem.
Namque hesterna equidem vereor, ne debita Graii
Troibus exsolvant: pugnæ insatiabilis altas
Vir manet ad naveis, nullo quem pellere nisu
Hinc nos posse reor. Dixit, nec maximus Hector
Suadentem sprevit, telluremque axe relicto
Cum saltu petit actutum, sicque ore profatur:
Pantho gnate, ducum primorum huc robora coge.
Ipse illac pugnæ interero, rursumque revertar,
Quum dederim mandata viris. Sic fatus abivit
Aerio adsimilis monti, densasque suorum
Per turmas volat, & sociorum transilit alas
Vociferans. Olli accelerant, & jussa facessunt,
Conveniuntque ad Panthoidem. Deinde advolat heros,
Deiphobumque Priamidem, atque Helenum, atque Adamanta
Asiadem, Hyrtacidemque vocans prima agmina cursat.
Horum autem quosdam Cocyti cruda sub undas
Abstulerant fata, aut Trojæ jam tecta tenebant
Grajugenum dextra domitos, plagaque dolenteis.
Forte Helenæ vir pulchricomæ Paris inde maniplos
Ad lævam urgebat dictis, pugnamque ciebat,
Quem dux intuitus verbis castigat amaris:
Infelix, forma tantum spectande decora,
Quo tibi Rexve Helenus Priami de sanguine natus,
Deiphobusque, Adamasque ingens, atque Asius heros
Hyrtacides, atque Othryoneus? Nunc culmine ab alto
Troja ruit, meritisque lues scelera impia pœnis.
Sic Hector, Paris hæc contra: Nil tale merentem
Corripis, atque alias potui succumbere culpæ;
Nec tamen imbellem prorsus me lucis in oras
Alma parens fudit, nuncque ex quo in prælia duxti

Teucrorum, sociasque acies, non destiti Achivos
Sustentare manu, ac densis turbare sagittis.
Quos quæris proceres sors abstulit aspera Martis
Deiphobusque, Helenusque urbem, percussus uterque
Atque altam petiere arcem: fata ultima Divum
Depulit ipse pater: Tu, qua lubet, æquore toto
Ire jube, promptisque animis, lætique sequemur.
Nec, reor, in me virtutem tute ipse requiras.
Quantum, inquam, vires aderunt, nam tendere nulli
Fas ultra, audaci quanquam, Martisque perito.
Sic fatus magni tetigit præcordia fratris,
Quaque ardet Mavors pugnæ se immiscuit acri
Cebrionem circum, atque insignem Polydamanta,
Phalcemque, Orthæumque, paremque Deo Polypætem
Palmynque, Ascaniumque, Morin genus Hypotionis
Qui Ascania ex pingui nuper socia arma ferentes
Trojam adventarant: juvenes tunc Jupiter atram
Impulit in pugnam cædeis, atque arma frementeis.
Ibantque ut rapidus ventorum ex æthere turbo.
Quem tonitru pater horrisono dedit ire per agros,
Immanique procul fervent maria alta tumultu,
Ac tumidi spumante salo per cærula fluctus
Albescunt, aliique alios ad litora trudunt.
Sic Teucrum confertæ acies longo ordine campis
Procedunt, aliasque aliæ rutilo ære micantes
Ductores circum lectos urgentque, premuntque.
Priamides præit, ac densis de pellibus Hector
Anteferens clypeum graditur, membra ardua Marti,
Oraque persimilis, fulgens cava tempora circum
Quassatur galea alta, pedemque huc tentat, & illuc
Per densas Grajorum acies inferre comantum.
Protectus magno clypei septemplicis orbe,
Quem longe antevolans Ajax sic voce lacessit:
O bone, quid Grajum cursans procul agmina terres?
Huc propera, haud etenim belli ignarosque, rudeisque
Invenies: Jovis ira acies affligit Achivas;

Sed non quæ tibi cumque animus promiserat audax,
Ille dabit, Grajum aut cernes flagrare carinas.
Longe etenim prius Argolicis Troja eruta dextris,
Atqua eversa cadet, tibi jam postrema minatur
Illa dies, quando geminas ad sidera palmas
Extolles, Patremque Jovem, Divosque precatus
Accipitre ut rapido, & rapidis velocius Euris
Te bijuges referant Trojana in tecta comantes.
Talia jactanti dextrorsum apparuit æthra
Altivolans aquila: Argivum plebs omine tanto
Arrectis clamant animis, sicque incipit Hector:
Ajax, quid frustra hæc jactas verba irrita ventis?
Sic etenim Jovis æthereo de semine cretum
Me Juno in pulchras fudisset luminis auras,
Et Pallas colerer veluti, aut Thymbræus Apollo,
Lux isthæc feret ut generi mala plurima Grajum,
In primisque tibi, si me exspectare ruentem
Sustineas, validamque hastam, quæ cuspide dura
Pectora perrumpat, canibus data præda, ferisque
Ut jaceas naveis ferro prostratus ad altas.
Sic fatus præit, immenso clamore sequuntur
Pone Phrygum turmæ, Grajum simul agmina toto
Inclamant campo, Teucrosque adversa ruenteis
Intrepidi exspectant, saxosaque litora longe,
Idæumque jugum, & cœlum circumtonat ingens.

LIBER DECIMUSQUARTUS

ARGUMENTUM.

Agamemnon secum assumptis vulneratis ducibus, ac Nestore in prælium exit Neptuno auxiliante. Juno per fraudem cesto a Venere accepto in sui amorem rapit, & Somno inducto sopit Jovem. Interea Neptuno opitulante magna fit Trojanorum cædes. Aiax Telamonius saxo Hectorem percutit. Intereunt Archilochus, atque Acamas. Ajax etiam Oiliades strenuissime ad naves pugnat.

NEstoris interea pervenit clamor ad aureis
Ut Lænea procul libabat pocula Bacho.
Tum comiti: Quid rerum? inquit, magis undique murmur
Pugnantum augescit juvenum: Tu hic dulce Lyæum
Interea bibe, dum succos Hecameda salubreis
Pulchra parat, nigrum ac tepida tabum abluit unda:
Exploratum ibo speculam festinus ad altam.
Sic fatus gnati clypeum Thrasymedis ahenum
Corripuit senior, tulerat namque ille paternum,
Corripit & ferro præfixum hastile corusco.
Limine vix gressum extulerat, simul agmina cernit
Grajugenum trepidare fuga, premere undique Teucros,
Et murum cecidisse altum: stetit anxius heros,
Ventorumque velut quondam impendente procella
Nigrescit pelagus primum, & tacita æstuat nuda,
Nondum certus agit demissus ab æthere flatus,
Necdum huc, necdum illuc tumidum devolvitur æquor,

V. 14. *Ventorumque velut*. Maris sensim intumescentis comparatione usus est Virgilius in 7, quem locum inter eos numerat Macrobius, ubi Virgilius Græci Vatis majestatem non est assequutus.

Talis solicito volvebat pectore Nestor
Grajorumne aciem peteret, vel gentis Atridem
Ductorem, hæc tandem placuit sententia menti.
Interea per agros cæduntque caduntque vicissim,
Conflictuque sonant arma, & nitida æra fatiscunt.
Nelidæ occurrere duces quot vulnere tetro
Languebant domiti, Atrides, & fortis Ulysses,
Et Tydeo satus: ad cani nam litora ponti
Subductæ steterant puppes, primasque locarant
Planitie in prima, has murus complectitur igens.
Non etenim cunctas alveo satis ille capaci
Exciperet sinus; at turmæ arctabantur Achivum.
Hinc scalæ in morem, qua promontoria longo
In maria alta jugo excurrunt per litora curva
Ante alias aliæ stabant pugnamque cruentam
Inde duces magno perculsi corda dolore
Visuri adproperant; conspecto at Nestore primum
Obstupuere animis magnus dein fatur Atrides:
Nelide, decus Argivum, quid Marte relicto,
Huc ades? ah, satis ah vereor ne Dardanus Hector
Concilio quæ olim dederat promissa frequenti
Impleat, Argolicasque rateis, ipsosque minatus
Perdere Grajugenas flamma, ferroque subactos.
Hæc quondam, neque se rediturum in tecta priusquam
Perficeret cœpta. O hominum pater atque Deorum!
O Dij immortales! tantumne offendere Grajos
Aut volui, aut potui, ut facto simul agmine cuncti
In caput hoc foveant animis frendentibus iras,
Pelidesque velut pugnam, Martemque recusent?
Hæc Rex, cui Nestor: Sane hæc non falsa vereris.
Nec Jovis ira quidem gravius molirier unquam
In Danaos posset: murus jacet, omnis Achivum
Spesque, salusque, rateis quo nos munimine tutas
Rebamur quondam; at circum Mars ferreus ardet.
Nec facile agnoscas quanam magis agmina parte
Turbenturque. cadantque: adeo toto æquore Graii

Digitized by Google

Sternuntur miseri, & cœlum ferit undique clamor.
At nos consilio saltem (nam prælia adire
Non me authore licet mulctatis vulnere acerbo)
Conemur cladem, ac tristem vitare ruinam.
Talia Nelides, Atreo cui talia natus:
Nestor quandoquidem naveis pugnatur ad altas,
Nec vallum, aut murus quicquam, vel profuit ingens
Fossa repellendis Phrygibus, ratibusque tuendis,
Sic placuisse Jovi summo, Divisque putandum est,
Indecores procul ut pereant ad Pergama Graii.
Noram etenim quum nostra lubens cœpta ille fovebat;
Priamidæ Pater, ac Teucrum nunc arma secundat,
Ac velut injectis animos, dextrasque catenis
Grajugenum ligat: ergo animo his parete lubenti:
Quæ primæ steterant subductæ ad litora puppes
In mare trudamus rursum, atque has ferrea morsu
Anchora constringat stabili, nox humida donec
Ingruerit, nocti si fors concesserit Hector.
Dein naveis reliquas pelagus ducemus in altum.
Nam fugisse malum haud vitio mihi verterit ullus
Nocte etiam tacita, & cladem vitasse minantem,
Quam cecidisse reor satius. Sic infit Atrides,
Quem torvum intuitus prudens adfatur Ulysses:
Hæcne duces inter non te pudet ore profari?
O gentem ignavam, atque alias dignissime turmas,
Non Grajum regere, ab primis queis Jupiter annis
Prælia conficere, horrendisque senescere in armis,
Pugnanteisque dedit lætho cecidisse decoro.
Ergo urbem antiquam Priami, & sudata per annos
Bella novem obscura linques in sæcula fama?
Chare sile, neu te jactantem talia Grajum
Audierit quisquam, quæ non bene sanus ab ore

V.59. *Quandoquidem.* Agamemnon belli pertæsus eamdem semper sententiam proponit in patriam regrediendi, quo hominis indolem magis opum, quam gloriæ cupidum ac solicitum indicat Homerus.

Magnorum de stirpe ducum Rex fuderit alter,
Cui populi totidem, lectæque ad signa cohortes.
Quis ferat ut pugna in media, armorumque tumultu
In pelagus puppes ducantur litore ab alto?
Scilicet hoc Teucri, magnusque optaverit Hector
Ut sperata suis victoria cederet armis.
Et mala Grajugenum premerent extrema cohorteis.
Namque animi Danaum subductis navibus ultro
Languescant pugnam exosi, Trojamque necesse est.
Sic tua florenteis perdet sententia turbas.
Nec plura his, placido Atrides tunc pectore fatur:
Nequicquam immeritum dictis perstringis amaris,
O Laertiade, nec enim deducere Grajos
Litore ab Iliaco invitos, voluive coactos.
Consulat, o quisquam his melius! meliora libenter
Ipse sequar, juvenisve fiet, seniorve disertus.
Hic tum Tydides: Coram, quem quæritis, inquit,
Consiliator adest, liceat modo recta profari,
Nec mihi quod natu minimus, tumidusque juventa
Objiciat quisquam, clara nam stirpe parentum
Mi genus ab Tydeo est, magna quem ad mœnia Thebes
Terra tegit. Porthei gnatorum maximus OEneus,
Pleuronemque alii, & petream Calydona tenebant
Agrius, atque Melas fratres: de sanguine Adrasti
OEnidæ Tydeo conjux fuit, ille quietam
Vitam Argis, quondam variis erroribus actus,
(Sic superum genitor, sic Dij voluistis) agebat,
Dives opum, Cererisque viro sata pinguia plura,
Atque armenta boum, pecudesque, atque ordine longo
Plantatum nemus arboribus: ille inclytus hasta
Argivos inter, quæ vos notissima fama

V. 104. *Nec mihi quod natu minimus*. Supra enim Nestor ipsum veluti adhuc juvenem, nec consilio adhibendo aptum suggillaverat. Quapropter non suo se, sed magnorum, quos memorat parentum, sensu, atque ore loquuturum spondet.

Non latuisse reor. Tydeo genitore sub auras
Æthereas veni, nostra ergo haud temnite dicta,
Sensaque, magnorumque animos agnoscite avorum.
Vulneribus tardi quamquam properemus in agros,
Ab telisque procul semoti hortemur Achivum
Pertæsasque acies belli, & formidine inerteis.
Dixerat hæc, parentque omnes, præit altus Atrides
Obvius atque olli, crineis, rugosaque cano
Ora seni similis dextram Neptunus amicam
Corripit exultans, altaque hæc voce profatur:
Ille quidem gestitque animo, & sibi plaudit Achilles
Grajorum stragem cernens, miserumque laborem.
Demens, sic utinam pereat, careatque sepulchro
Sublatus fato indecori. Te numina nondum
Deseruisse puta, lectissima nomina Teucrum
Pulvereis sternentur agris, turmasque videbis
Effuso ab ratibus cursu contendere in urbem.
Tantum effatus abit rapido velocior Euro
Vociferans novies quantum, deciesve virorum
Millia clamarent crudo in certamine Martis.
Tantam Neptunus misit de pectore vocem,
Instauratque animos, bellique inspirat amorem.
Hunc vero accendentem acies, pugnasque cientem
Litus ad Iliacum cœli de culmine summo
Prospicit, exultatque tuens pulcherrima Juno.
Inde Jovem procul adversa de parte sedentem
Vertice in excelso, irriguæque in rupibus Idæ.
Invisumque sibi blandis Dea fallere dictis
Solicitat, versatque dolos, & singula volvit.
Idæum tandem statuit conscendere montem
Ornatu insignis vario, si forte decoræ
Illecebris formæ captum inflammaret amore,
Dein molleis oculis immitteret undique somnos.
Id meditans, Teucrisque artem Dea nacta nocendi
Evolat in thalamum, struxit quem Mulciber olli,
Ingenteisque foreis aptavit postibus aureis.

Addidit arcanam, quam nulla aperire Deorum
Vis, aut ars posset, clavem, foribusqe reclusis,
Ambrosia primum perfudit lactea membra,
Dein suavi, nitido, ac beneolenti tingit olivo.
At fundente Dea Jovis in penetralibus altis
Per cœlos, totasque ivit fragrantia terras.
Deinde comas fulvo undanteis discriminat auro,
Cincinnosque manu divino ab vertice pulchris
Aggerat ordinibus, peploque inducitur artus
Ambrosio, Pallas mira quod neverat arte
Floribus intextum variis, rerumque figuris,
Plurimaque aurato connectit fibula morsu.
Tum zonam, centena ambit quam fimbria circum
Cingitur, & gemmis onerat pendentibus aureis.
Dein tegmen capiti niveum, pulchrumque recensque
Sideris in morem, aut Phœbæi luminis instar
Induit, & nitidis nectit talaria plantis.
Hinc thalamo egreditur gaudens, Veneremque vocatam
Diis procul ab reliquis dictis compellat amicis:
Num mihi, chara, velis animo parere lubenti?
An renues, veterem servans in corde dolorem,
Quod Danaos ego, tu Troas, curasque, fovesque?
At Jove gnata Venus: tuus, o Regina, quid optes,
Explorare labor, me jussa capessere fas est.
Quantum, inquam, vires aderunt. Saturnia contra
Hæc Juno: Desiderium, Dea pulchra, & amorem,
Quo tu hominum subigis, magnorum & pectora Divum
Da mihi, vado etenim extremas telluris in oras
Oceanumque Deum patrem, visuraque Thetyn,
Me qui olim cura ingenti in penetralibus altis
Susceptam Rhea ab pulchra fovere volentes,
Saturnum quando genitorem Jupiter exlex

V. 175. *Tuus, o Regina, quid optes*. Verba Eoli ad eandem Junonem apud Maronem in primo Æneidos.

Digitized by Google

Telluremque infra ejecit, pelagusque profundum.
Illorum sed enim dudum discordia menteis
Separat, inque odium commercia vertit amantum.
Hos ego si possem dictis inflectere blandis,
Communemque thorum positis inducere rixis
Chara ollis equidem fuerim, venerandaque semper.
Hanc rursum blanda adloquitur Dea nata Dione:
Nulli fas hominum, aut Divum tua temnere jussa.
Tu conjux Jovis, atque soror, Saturnia proles.
Hæc ait, & niveo actutum de pectore zonam
Solvit acu pictam, variam, cunctisque refertam
Illecebris; amor hic inerat, flagransque cupido,
Et risus, mollesque joci, mellitaque amantum
Colloquia, & quæ prudentum blandissima serpens
Subruit, atque animos submittit Suada severos.
Tradidit hanc Divæ, pulchroque hæc addidit ore:
Accipe, & hanc variam præcinge ad pectora zonam.
Quæ petis, hic congesta latent namque omnia, nec te
Auxilium Veneris quondam implorasse pigebit.
Dixerat ista Venus, subrisitque improba Juno,
Subridensque sinu in roseo data munera condit.
Alma Venus Jovis æthereas contendit in ædeis.
At Juno alticomi summo de vertice Olympi
Pieriam super, Æmathiæque uberrima regna,
Et Thracum volat æternis juga cana pruinis,
Arvaque, nec molli vestigia signat arena.
Linquit Athon deinde, & tumidi super æquoris undam
Lemnum adit, atque urbem, & felicia regna Thoantis.
Hic consanguineum Læthi Dea pulchra Soporem
Adgreditur supplex, roseoque hæc ore profatur:
Somne hominũ domitor, cunctorumque inclyte Divum,

V. 199. *Subruit atque animos. Nihil enim est quod æque ex arce virilem animum dejiciat, quam blandimenta fœminæ*, ut ait August.
V. 204. *Subrisitque improba Juno*. At non hic sicut apud Virgilium, *dolis risit Cytheræa repertis*.

Nnnc mihi, nunc, si quando alias mea jussa sequutus,
Affer opem, nec tanti abolescet gratia facti.
Victus amore gravi postquam, nostroque jacebit
Jupiter infusus gremio, Tu, affundere circum,
Sopitoque oculos, placidusque illabere membris.
Dona dabo, solium eximium, æternumque, rigensque
Fulvo auro, mihi Vulcanus quod tradidit olim
Arte laboratum magna, scamnumque locandis
Adjiciam exoptata inter convivia plantis.
Hæc Dea, turbato adfatur quam pectore Somnus:
O conjux Jovis, atque soror, numenque verendum,
Magnorum quemcumque alium sopire Deorum
Diva jube, torrentis erunt vel rauca fluenta
Oceani, genus unde Deum, non ipse potentem
Saturno genitum tamen unquam injussus adibo.
Expertus loquor, Iliaco nam ab litore quondam
Pergama post eversa redux Tirinthius agros
Quum peteret patrios, precibus me, Diva, coactum
Hortatuque tuo blandum immisisse soporem,
Ac domuisse Jovem memini; sed turbine magno
Interea pontumque ipsa, & cœlum omne ciebas
Flatibus excitis ventorum, adversaque longe
Litora, jactatusque Coum deinde adpulit altam
Omnibus ille procul charis rerum omnium egenus.
Resciit ut genitor, magna utque excanduit ira,
Stellatisque Deos deturbat sedibus omneis;
Me quærens, mihi perniciem clademque minatus,
Depulsumque alto ab cœlo misisset in undas
Me nisi nox domitrix hominum, domitrixque Deorum,
Quam fugiens adij, fusco obtexisset amictu.
Ille Deam veritus tristeis animo exuit iras.
Tantum iterum me, Diva, jubes discrimen adire?
Huic Dea respondens Saturnia talibus infit:
O bone, tantumdemne Jovem, Priamove favere,
Dardaniisve putas, gnato quantum ille favebat
Amphitruoniadæ? mitte hanc de pectore curam.

Aude, age, Pasitheam Charitum de stirpe sororum
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo,
Tu cujus dudum ingenti cruciaris amore.
Dixerat, ille autem lætatus pectora donis
Perge, ait, atque undæ Stygiæ inviolabile numen,
Infernosque Deos jura, qui Tartara subter
Saturnum cœcis vincti comitantur in antris,
Telluremque almam dextra, pontumque sinistra
Tange manu jurans, Charitum de gente daturam
Pasitheam, dudum est cujus mihi flamma medullas.
Hæc fatur, paretque illa, & quos Tartara cumque
Nigra tenent tonat ore Deos, Titania monstra.
Vix ea, procedunt nigra caligine tecti,
Atque Imbri, Lemnique agris, silvaque relicta
Perveniunt Idam ad pinguem, stabula alta ferarum,
Lectonque: hic primum liquentia marmora linquunt,
Telluremque petunt: gradientum pondere Divum
Concutiturque, gemitque nemus. Stetit illicet ore,
Adspectuque Jovis Somnus procul abjetis altæ
Contectus ramis, Idæ quæ in culmine summo
Densa comam æthereas caput adtollebat in auras.
Arboris hic latuit tectus sub fronde comanti,
Argutæ similis volucri, quam montibus altis
Chalcida Cœlicolæ; ast homines dixere cymindim.
Gargara summa petens, frondosaque culmina gressum
Adglomerat Juno: hanc procul ut conspexit euntem
Jupiter, ut subitam concepit pectore flammam,
Qualem quum primum furtivo indulsit amori,
Compellatque ultro, & blandis sermonibus infit:
Quorsum, Diva, pedes curru, bigisque relictis
Carpis iter rutilo veniens de vertice Olympi?
Illa autem; Extremas, inquit, telluris in oras,
Oceanumque Patrem Divum, Tethynque parentem
Visura adpropero, quorum discordia dudum
Invasitque animos, thalamosque, & limina turbat
Chara mihi, primos queis sum nutrita per annos,

Stant bijuges procul hinc, imis in vallibus Idæ,
Qui me telluremque ferant, atque æquora supra.
Te huc monitum veni, nec fratre, & conjuge quoquam
Ferre pedem invito aut volui, aut voluisse decebat.
Ast illuc, Divum genitor Saturnius infit,
Tendere vel posthac fas est, nunc, optima conjux,
Haud equidem vellem vultu caruisse decoro,
Amplexuque tuo, nec enim me fœmina tantum
Mortalis, Deave ingenti devinxit amore.
Nam neque me Ixionis quondam pulcherrima conjux
Pirithoum dias fudit quæ in luminis oras,
Nec Danae Acrisioniades, clarissimus unde
Perseus exortus, nec quæ Minoa tremendum
Phœnicis gnata, & durum peperit Rhadamanthum,
Nec Semele, aut pulchra Alcmene, qua matre creatus
Amphitruoniades Thebana claruit arce;
Delicium at miseris mortalibus illa Thyoneum
Progenuit Semele, Cereris nec me decor ingens,
Latonæ aut magnæ, nec tu, suavissima Juno,
Tantum illexti alias, quantis nunc ignibus intus
Ardescunt corda, & stimulis amor acribus urget.
Dixerat hæc genitor, Juno hæc cui callida contra:
Summe Deum patulo Idæi in vertice montis
Hæcne paras? Divum certe si agnoverit alter,
Nunciet ac reliquis; stellata revisere tecta
Non equidem auderem rursum, ac tua dicier uxor.
Usque adeo pudet. Est thalamus, sunt aurea tecta,
Atque thorus tibi, suntque fores in postibus altis,

V. 290. *Nec fratre, & conjuge quoquam*. Quam pulchrum in Deorum regina nuptis fœminis datur exemplum !

V. 297. *Nam neque*. De his omnibus Jovis amoribus vide Ovidium in libris Metamorphoseon, ubi omnium historiam latissime prosequitur.

V. 310. *Summe Deum*. Putidiusculum hoc, quod miror imitatum fuisse authorem Justiniani Italum Poetam, sed quæ non his longe putidiora alii suis Poematis inseruerunt, Ariostus præcipue ?

Mulciberi labor, hic animo indulsisse juvabit.
At Divum pater: adspectus hominumve, Deumve,
Ne, mihi chara, time: aurato fulgore coruscam
Circumagam nubem, quam non transcendere Phœbus
Ipse queat, mage cui lumen penetrabile nulli est.
Hæc ait, & charo circumdat brachia collo.
At viridemque herbam, frondeisque induta recenteis
Terra parens, pulchros submittit Dædala flores,
Pallentemque crocum, & ferrugineos hyacinthos,
Rorantem & lotum blandum, densumque, levaret
Mollis ut in morem strati, exciperetque cubanteis:
Tum super, & circum protenditur aurea nubes
Pulchra, ingens, & rore thoros perfundit odoro.
Sic somno pater, & dulci correptus amore
Conjugis infusus gremio per membra quietem
Carpebat placidam celsis in collibus Idæ.
Extemplo ad naveis pernicibus evolat alis
Neptunumque monet Somnus: Securus Achivis
Auxiliare, pater, nostra dum Jupiter arte,
Junonisque dolo domitus, captusque quiescit.
Dixerat, inque alias hominum procul evolat urbeis;
Exultatque animis Neptunus, & agmina cursans
Hortaturque viros, funditque has pectore voces:
O imbelles Danai, dabimusne hunc Hectori honorem,
Æternumque decus, classem ut comburat Achivum?
Spem demens hanc ille fovet, dum Phtius Achilles
Puppe sedens celsa fremit, indulgetque dolori
Non tamen Æacidæ auxilio pugnantis egemus
Conveniant modo Grajorum in certamina dextræ.
Quare agite hæc omnes, animo, & parete lubenti.
Ingenteis clypeos induti pectora circum
Quot fuerint, tecti & galeis capita alta coruscis,
Correptisque manu longis hastilibus, isthinc
Tendamus contra, præero, nec maximus ipse
Marte satus quanquam processerit obvius Hector.
Qui fortis non æqua sibi gestaverit arma

Digitized by Google

Imbelli tradat, majoremque induat ipse
Loricam, aut clypeum. Suadenti talia læti
Parent Grajugenæ, tardi quos vulnere quanquam
Neritius ductor, Tydeoque, Atreoque creati
In pugnam educunt, & fortia fortibus arma,
Imbellique dabant imbellia: deinde corusco
Ære omnes nitidi adversos rapiuntur in hosteis.
Neptunus præit, et longum rotat horridus ensem
Fulmineum, ingentem dextra, cui obsistere nulli
Fas hominum, trepidantque animi, & formidine torpent.
Trojugenas parte ex alia ferus instruit Hector.
Crudescit pugna, hinc Danaos Neptunus agebat
Glaucicomus, Teucros Priamo satus incitat heros.
Extremasque usque ad naveis, tentoriaque alta
Exundat pelagus, fluctu & premit arva sonoro.
Concurrunt fremitu ingenti, neque gurgite ab alto
Tantum impulsa Noto in terram maris unda remugit,
Nec tantum, quum flamma olim crepitante cremantur
Densa sonant nemora, aut ventorum tantus in astra
It fragor, alticomas quatiunt quum turbine quercus.
Quantus clamantum juvenum, Troumque, & Achivum
Exoritur fragor hinc, illinc, & in arma ruentum.
Ajacem prior adversum telo impetit Hector.
Hasta volat certa, ingentem sed reppulit ictum,
Qui geminus circum fulgebat pectora baltheus
Ensisque, & clypei. Frustratum infrenduit Hector
Telum ivisse manu, & retro vestigia torsit
Illum autem saxo ingenti Salaminius Ajax,
(Litore quæ toto altarum retinacula passim
Multa carinarum stabant) colla ardua propter
Percutit ad pectus. Contortum vortice magno
Turbinis in morem rapido volat impete saxum.
Ac veluti Jovis horrisono quum fulmine quercus
Per saltum ruit excisa ab radicicibus imis,
Sulphuris, & circum graveolentis flamma refulsit.
Diriguere metu adstantes: horrenda Tonantis

Ira adeo Jovis: in terram sic volvitur Hector,
Delapsumque manu telum; clypeusque sequutus,
Et galea: at super ingentem dant arma sonorem.
Adproperant Graii, & magno clamore fatigant,
Missilibusque virum crebris, sataguntque jacentem
Ad sese trahere; at nulli contingere corpus
Est licitum: steterant propter lectissima Teucrum
Robora, Polydamas, Glaucusque, & magnus Agenor,
Æneasque, & Sarpedon Jovis inclyta proles,
Nec proceres deerant reliqui, & fulgentia circum
Scuta tenent, stipantque ducem, densique resistunt
Sublatum interea manibus socii inde ferebant,
Ad currus donec ventum, bijugesque repostos
Pugnarum procul a strepitu, qui Pergama versus
Portabant celeres mœrentem, & multa dolentem.
Ut ventum ad ripam, & liquidi vada vitrea Xanthi,
Ab Jove cui genus est, terræ admovere gementem,
Et gelidam infudere manu, tum redditus ægris
Est membris vigor, atque oculos huc contulit, atque huc,
Poplite dein flexo nigrum vomit ore cruorem,
Atque iterum procumbit humi, suffusaque circum
Lumina nox operit, namque intima pectoris ictus
Torquet adhuc. Crescunt Danais viresque, animique
Priamidem procul ut pugnis, campoque relicto
Secessisse vident, longo tum Satnion Ajax
Primus Oiliades telo petit, iliaque alto
Rimatur ferro, & resupinum extendit in herbam.
Satnion Enopidem, quem Satnioentis ad undam
Et pecora, & pingueis pascenti armenta per agros
Nympha olim Regi peperit pulcherrima Nais.
Ardescit circum pugna, & miseri ultor amici
Polydamas ruit, atque hasta Prothoenora magnum
Sternit Areilyci sobolem: volat ærea cuspis,
Figitur atque humero in dextro, cadit ille supinus,
Et terram hostilem moriens premit: exilit acer
Polydamas, tumidoque minax hæc gutture jactat:

Digitized by Google

At non Panthoidæ vano stridore per auras
Telum ivisse reor; sed Achivum in corpore quemquam
Excepisse ducum tristeisque ivisse sub umbras.
Sic infit, Grajumque animos sermone momordit,
In primis Telamoniadæ, cui proximus heros
Corruerat, contraque abeuntem conjicit hastam;
Hostilem sed enim furiam, telumque fefellit
Panthoides saltu, tamen hoc Antenore natus
Excipit Archelochus, tristem cui adversa parabant
Numina perniciem, & jugulo qua se occiput infert,
Os dorsi summum, & nervum præcidit utrumque,
Avulsumque cadit caput, & trunca ora priusquam
Coporis in terram moles procumberet ægra.
Exultansque Ajax alta sic voce profatur:
Polydama, occisi Prothoenoris anne videmur
Persolvisse vicem? Nec enim tellure creatum
Hunc reor: agnosco Trojani Antenoris ora,
Ipsius & genus, aut fratrem, credamve propinquum.
Hæc ait agnoscens, Teucros dolor occupat ingens.
Atque Acamas Promachum Bæotum interficit hasta,
Dum fratrem tegit exanimem, quem calce trahebat
Deprensum Promachus, magnoque hæc gutture fundit:
O genus invisum, & nostris gens debita telis
Argivi, haud solos igitur fata aspera Teucros,
Vos etiam quandoque manent: jacet ecce, superbus;
Hac domitus dextra Promachus, nec inultus in orcum
Frater iit, charæ nam vitæ, & sanguinis ipse
Ultor eram super, optandum quo Martis alumno
Nil magis. Hæc infit, Grajumque exasperat iras,
Penelei in primis, Acamantaque turbidus æstu
Irruit adversus, nec sustentare ruentem
Ille potens fugit, Ilioneaque cuspide figit
Phorbantis sobolem, Teucris magis omnibus unum,
Quem Maja genitus dilexerat, arvaque plura,
Lanigerosque greges dederat, penitusque sub ipsum
Hasta supercilium misero, & radice resedit

Digitized by Google

Ima oculi, ac valido transverberat occiput ictu.
Ille manum expandens geminam desedit arena,
Cervicem sed enim mediam stricto ocyus ense
Peneleus ferit, & pulchra cum casside truncum
Deturbat caput, atque oculi telum orbe refixum,
Sublatumque manu monstrans sic agmina Troum
Voce vocans magna adfatur, dictisque lacessit:
O ignavi Phryges, Ilionei matrique patrique
Hæc mea ferte: fleant chari fata aspera nati
Nam neque Grajugenis iterum in patria alta reversis
Ore nitens roseo, & placido pulcherrima vultu
Sese Alegenoridæ Promacho feret obvia conjux.
Talia jactabat, trepidant formidine Teucri,
Et qua cuique via est, fugiunt, ac tuta capessunt.
Dicite nunc Musæ cœlestia tecta colentes
Quis prior Argivum exuvias, atque arma cruenta
Sustulerit, postquam Neptunus pectora Grajum,
Acceditque acies, Teucrorumque agmina vertit?
Gyrtiadem primum Telamonius Hirtion Ajax
Mysorum sternit ductorem, Mermeron inde,
Et Phalcem premit Antilochus; Morys, Hippotionque
Merionis cecidere manu; Teucer Peripheten.
Et Prothoona ferit: ferro percussus Atridæ
Descendit Stygias ingens Hyperenor in undas,
Ilia cui penitus, lacerataque viscera cuspis
Rimatur calida, ast anima indignata patentem
Per plagam erupit, tegit ater lumina somnus.
At turbam ingentem gnatus sternebat Oilei,
Quo nullus Danaum melior trepida agmina cursu
Pernici premere adversos quum Jupiter hosteis
Turbat agens, horrentque metu mortalia corda.

LIBER DECIMUSQUINTUS.

ARGUMENTUM.

Jupiter experrectus , & intuitus trepidantes , palantesque Teucros , Junonem increpat . Iridem deinde , atque Apollinem ab ipsa vocatos ad exercitum mittit , Iridem quidem ad Neptunum jubens pugna absistere ; Apollinem vero ut vires languenti reficiat Hectori . Phœbus assumpta ægide Troum aciem præcedit , viamque aperit fossa complanata , & muro everso . Vertuntur in fugam Græci , & ipsis ad naves usque compulsis , Ajax Telamonius strenue pugnat , duodecim interfectis Trojanorum , qui navibus ignem inferebant .

Jamque fuga vallū,& fossam transcenderat altam
Turba Phrygum , Danaumque manu pars magna jacebat ,
Ad currus reliqui exanimes , trepidique manebant .
Atque Jovem Juno stratis , somnoque relicto
Surgere solicitat celsis in collibus Idæ .
Paruit , & raptim exurgens , Troumque , & Achivum
Agmina conspexit, ruere hos , fugere undique Teucros,
Neptunum instaurantem acies , pugnasque cientem ,
Hectora prostratum inde procul , sensuque carentem
Circumstare duces , auras vix pectore anhelo
Captantem , nigrumque vomentem ex ore cruorem.
Ut vidit magno perculsus corda dolore
Terrigenum , Divumque pater , sic lumine torvo
Junonem intuitus verbis castigat amaris :
Obtinuisti ergo , Dea perfida , fraude , dolisque
Hectora percussum , Teucrosque avertere campis .

Digitized by Google

Artis, at ipsa, reor, pœnas, fraudisque malignæ
Prima lues, iras, vireisque experta Tonantis.
Et te, Diva quidem veterum meminisse malorum
Fas erat, incudes validas quum vertice ab alto
Immisi pedibus geminis, & nescia frangi
Aurea sublatas nectebant vincula palmas,
Aereque in vacuo, terramque, interque profundum
Pendebas cœlum, Divum indignante caterva.
Solvere nec quisquam audebat, poteratve, prehensos
Quin etiam per inane Deos ab culmine Olympi
In terras, pontumque altum indignatus agebam.
Nec tamen his satiata malis deferbuit ira
Argolicos donec Tirinthius attigit agros,
Quem tu ventorum excitis, Diva improba, nimbis,
Jactatum pelago immenso, & mala plurima passum
Usque Coon tuleras optato ab litore longe.
Hæc decuit meminisse novis quam fraudibus ante
Divorum procul ab placida statione maritum
Deciperes blanda fallacis imagine formæ.
Hæc ait, horrescit Juno, sicque incipit ore:
Audiat hæc Tellusque alma, & magni ætheris orbes
Et Stygis inferno quæ flumine labitur unda,
Dii cujus jurare timent, & fallere numen.
Dilectumque tuum caput, & commercia nostri
Immaculata thori, quo nil mihi sanctius usquam est.
Non me authore favet Danais Neptunus, & acrem
Priamidem avertit campo, Teucrosque fugavit.

V. 39. *Dii cujus*. Versus Virgilianus in 6. *Ipse Rex Jupiter*, inqnit Minucius Felix in Octavio, *per torrentes ripas, & atram voraginem jurat religiose. Destinatam enim sibi cum suis cultoribus pœnam præscius perhorrescit*. Hæc ille putans dæmones non adhuc infernis pœnis cruciari, sed cruciandos esse, qui plurium Veterum Theologorum error fuit, ut alibi demonstratur.

V. 40. *Et commercia nostri*. Honorabile enim conjugium in omnibus, & thorus immaculatus. Fides namque conjugii, etiam Paganis natura duce, divinum quid, & sacrosanctum habitum semper.

Sponte sua ad naveis cæsos miseratus Achivos
Irruit in pugnas, vadam, & quo jusseris, ipsum
Ferre gradum flectam invitum, vertamque precando.
Hæc fatur pavitans, risit pater optimus olli,
Et vultu adloquitur placido: mens una duorum
Nostrum esset, similisque animus, suavissima conjux,
Quamlibet iratus meaque, & tua vota sequatur
Armipotens frater. Nunc, si mihi vera fateris,
Vade, age, Divorumque domos, cœlumque revise,
Iridaque huc, Phœbumque voca: petat illa comantum
Grajorum Turmas, fratrique in tecta redire
Suadeat, afflictum simul Hectora Phœbus Apollo
Excitet in Danaos, vireisque, animosque ministret,
Imbellemque fugam trepidis immittat Achivis,
Pelidæ ad naveis donec spectantis, & ora
Litore cædantur toto: miseratus Achilles
Mittet in arma Menœtiadem, quem Trojus Hector
Post cladem ingentem Teucrorum ante Ilion altum
Interimet ferro, & fulgentibus exuet armis.
At Patrocli dextra prius (o fata aspera rumpat)
Sarpedon, mea progenies occumbet in agris.
Ulturus Patroclum deinde Hectora sternet Achilles.
Hinc Danais meliora fluent jam tempora, donec
Pergama Grajugenæ evertant vi, atque arte Minervæ,
Sic Parcis placitum, fatorum is vertitur ordo,
Nec flectar, Danaisve Deum auxiliarier ullum
Permittam prius Æacidæ quam vota, precesque
Perficiam æquoreæ Thetidi, cui talia quondam
Prendentique genu, ac dederam promissa roganti.
Jupiter hæc, paretque ulnas Dea candida Juno,
Rupeque ab Idæa in magnum contendit Olympum.
Atque emensa redux veluti spatia ampla viator
Percurrit secum tacita sub mente revolvens,
Huc ieram, deinde huc ieram, sic concita terras
Pervolat, & Jovis æternas pervenit in ædeis,
Conciliumque frequens Divum Saturnia Juno.

Digitized by Google

Surrexere omnes venienti, & pocula quisque
Plena dabant, Themis at roseo pulcherrima vultu
Occurrit prior, at plenum Jovis aurea conjux
Accepit cratera manu, Themis inde profatur:
Quo properas, Dea? namque metu perculsa videris.
Fare, age, num magni terret te conjugis ira?
At Juno: Neme ista roga, sat nota profecto
Ira tibi, ingeniumque mei, moresque mariti.
I præ, nunc magis, & mensis accumbe Deorum,
Hic reliquis coram magni mandata Tonantis
Edisces, nec quemquam hominum, quemquamve Deorū
Plausurum reor, etsi inter convivia fronte
Nunc sedeat placida. Hæc inquit, seditque reposta.
Infremuere Deum reliqui, ridetque frementeis
Juno procul; non læta tamen frons usque renidet,
Oraque pulchra Deæ, mediisque hæc farier infit:
Stultos, dementeisque Jovi, qui irascimur, ipsumque
Audemus verbis imbellibus, atque minaci
Flectere sermone, aut ullo compescere nisu.
Ille sedens procul insanas irasque, minasque
Conatusque Deum ridet, temnitque superbus,
Cœlicolas quoniam virtute, & robore cunctos
Extollit super, ac tumido se gutture jactat.
Ergo ferenda æquis animis, quæ asperrima cumque
Ab Jove sors tulerit. Marti charissima proles
Nunc jacet Ascalaphus fato sublatus iniquo.
Nec plura his, pronaque manu percussit utraque
Mars femora infrendens, simul hæc de pectore fundit:
Ne mihi nunc vestrum quisquam succenseat, ultum
Si gnati cædem indignam ferar agmina contra,
Telaque Grajorum, patrio mihi fulmine quanquam
Fata minarentur, terrasque, interque jacerem
Pulvereque, & nigro perfusa cadavera tabo.
Vix ea, Terroremque jubet tremulo ore, Fugamque
Jungere equos, nitida ipse humeris simul induit arma.
Atque etenim majorque alia, asperiorque fuisset

In Superum genus omne Jovis rabiesque , furorque
Ni Patris verita imperium , clademque minantem
Armipotens Pallas stellata sede relicta
Adversum staret, capitique, humerisque furentis
Ingentem traheret clypeum, galeamque comantem,
Eque manu ferro præfixum hastile corusco.
Dein sic orsa loqui : Vecors, malesane, periisti.
An frustra tibi sunt aures, cerebrumque, pudorque
Omnis abest? Audisne Jovis quæ nuntia conjux
Dicta refert? magis an velles mala plurima passus,
Afflictusque, dolensque altum vix scandere Olympum,
Ærumnasque graveis Divis inferre beatis?
Nam pater extemplo, Teucris, Danaisque relictis,
Cœlicolas contra irarum converteret æstus,
Correptosque simul sceleratos, inque nocenteis
Dejiceret cœlo. Insanum depone furorem,
Tu precor, Ascalapho aut cecidit jam fortior alter,
Aut cadet. An clara Divum de stirpe creatos
Terrigenas facile est omneis subducere læthо?
Tantum effata Deum fulgenti in sede locavit.
Tum Phœbum Juno, & celerem Thaumantida plantis
Ad sese vocat, atque alto sermone profatur:
Ocyus Idæum genitor conscendere culmen
Vos jubet, ite citi, & jussis parete volentes.
Dixit, & abscedens solio in fulgente resedit.
Adproperantque olli, atque Idæa in culmina tendunt
Fontibus irrigua egelidis, tesqua alta ferarum.
Atque Jovem procul adspectant super alta sedentem
Gargara, odorato nubes quem candida amictu
Pendebat circum. Venienteis ore sereno
Excipit æthæreus genitor, nam conjugis almæ
Paruerant jussis celeres, tum talibus infit:
Iri, age, Neptuno hæc Regi mandata referto:
Abscedat pugna, & divum stellantia templa
Vel canum petat Oceanum; si obsistere certat,
Cogitet, an mecum quanquam fortissimus, ausit

Conseruisse manus, namque & præstantior armis
Esse feror, majorque annis, nec se mihi fas est
Ferre parem, magnorum horret quem turba Deorum:
Hæc pater: Idæis ab collibus Ilion altum
Illa volans petit actutum, ceu nubibus atris
Quum nix alba cadit, percussa aut grandine densa
Tecta sonant, Boreasque fremens cava nubila toto
Depulsat cœlo, talis Dea pervolat Iris,
Neptunoque adstans pulchro sic ore loquuta est:
Neptune armipotens, Jovis adsum nuntia cœlo;
Protinus Iliacis ut agris, pugnaque relicta,
Tecta Deum, pontumve petas, tua regna, profundum.
Si renuas, semet venturum, vique minatur
Pulsurumque manu, neque Te nescire Tonantis
Virtutem, roburque putat, cui sidera parent.
Hæc Dea, cui frendens Neptunus talibus infit:
Præstantis quanquam vesana superbia fratris
Illa fuat, si me invitum compescere dextra
Conatur, tentatve pari haud contentus honore:
Tres etenim ab Rhea fratres, Saturnia proles,
Jupiter altitonans, & ego, & qui Tartara Pluto
Nigra tenet sorte imperium divisimus æqua.
Mi mare velivolum, & sævum dedit urna tridentem
Pallenteis Plutoni umbras, Acherontia regna,
Cœlivagasque Jovi nubeis, atque æthera magnum.
Omnibus alma tamen terra, & communis Olympus.
Nec Jovis adstringor jussis, sua sorte quietus,
Ille potens licet:ætherea se jactet in aula,
Nec veluti imbelli dextramque, & vincla minetur.

V. 173. *Divisimus*. Hujus sortis Clemens Alex. Aug. Lactantius. Arnobius, Tertullianus, aliique prisci Theologi meminerunt.

V. 174. *Mi mare*. Inde illud:

„ Non illi imperium pelagi, sævumque tridentem,
„ Sed mihi sorte datum „.

V. 178. *Sua*. Monosyllabum fit *u* liquescente per licentiam.

Sunt gnati, gnatæque olli, quas ore minaci
Terreat, ac dictis cogat parere trementeis.
Talia Neptunus, roseo hæc Thaumantias ore:
Ergo hæc dura Jovi referam responsa Tonanti?
An demens quicquam? facilis sententia verti
Prudentum est, ipsæque sequuntur Erynnies ultro,
Majoresque colunt natu. Nec plura loquuta est.
Ad quam Neptunus: Recte, o decus Iri Deorum
Talia commemoras. Pulchrum est quum nuntius ipse
Utile consilium novit, panditque; sed ira,
Corda tument, quum sorte parem, fatoque potitum
Consimili, sermone parat terrere superbo.
Nunc equidem cedam invitus, tu hæc pectore serva
Dicta tamen; si me invito, & Junone sorore,
Mulciberoque, & Mercurio, pulchraque Minerva
Ipse volet tectis perjuræ parcere Trojæ,
Nec mala tot passis cedat victoria Graiis,
Hoc sciat æternumque fore, insanabile nobis
Secum odium. Sic fatus abit, pontique sonantis
Marmora cana subit, desideriumque relinquit
Triste sui Danais. Phœbo tum Jupiter infit
Hectora Priamidem pete nunc jam, Phœbe, dolentem
Neptunus quando pelagi spumantia regna
Jam petiit, veritusque minas, nostrumque furorem
Atque Deis pugna illa quidem exaudita fuisset,
Conflictusque gravis, qui tristia Tartara subter
Saturno comites frendent; nostrum sed utrique
Hoc satius, quod agris Trojæ, belloque relicto
Ille abiit, nec enim exiguo perfecta labore
Res foret. Ipse manu nunc ægida tolle coruscam,
Concutiensque acies Danaum, heroasque fugato.
Ast Hector tua, Priamides sit maxima cura.
Huic tu inspira animum, roburque immitte jacenti,
Dum Danaos agitet fugienteis litus ad altum,
Depictasque rateis, sine nostræ cætera curæ,
Respirent trepidi ut Danai, Martemque retractent.

Paruit auditis, Idæaque culmina linquens
Accipiter veluti, rapido volat impete Phœbus,
Accipiter veluti, quo non violentior alter
Aera per liquidum pavidis instare columbis.
Hectora tum molli in ripa videt inde sedentem,
Nam neque ut ante jacens, animos collegerat, & jam
Cœperat adstantum sociorum agnoscere vultus,
Sudorque, & creber cessarat anhelitus olli.
Nempe virum Jovis in pugnas arcana voluntas,
Visque ciet, tali quem voce adfatur Apollo:
O Priamo sate, quid resides, & languida lentus
Membra trahis? telone doles percussus acuto?
Hector ad hæc: Quid tu ista, Deum mitissime, quæris?
Tene latet quì me sternentem ad litus Achivos
Excelsasque rateis saxo percusserit Ajax
Ad pectus, pugnaque dolentem exegerit acri?
Atque equidem mihi jam lucem affulsisse supremam
Credideram, Ditisque domos, atque invia vivis
Regna petiturum. Olli autem sic fatur Apollo;
Macte animo, Idæis talis tibi rupibus adsum
Ab Jove demissus pugna auxilator Apollo,
Cui tua jam dudum, sacrataque Pergama cordi.
Dardanios, age nunc, equites hortare, rateisque
Cursu invade cavas, præcedam, & Troibus omnem
Complanabo viam, Grajorumque agmina rumpam.
Hæc Deus, immisitque novum per membra vigorem.
Ac veluti plenis præsepibus hordea pastus
Quum sonipes vinclis fugit stabula alta solutis
Pernici secat arva fuga, campumque sonoro
Ære quatit, liquido perfundi flumine suetus
In pastusque fremens, armentaque tendit equarum,

V. 243. *Ac veluti plenis*. Comparationem hanc a Virgilio usurpatam adnotavimus, ipsisque Virgilianis versibus expressam dedimus supra lib. 6. Hic aliis verbis eandem efferre libuit, ne more Græcorum plures versus repeteremus.

Luxuriatque altis cervicibus, atque volanti
Colla per, & geminos ludit juba densa per armos.
Sic rapidus campo discursat Trojus Hector,
Hortaturque viros, divinaque jussa facessit.
Atque velut capram, aut surgentem in cornua cervum
Agricolæque, canesque agitant, illum ardua rupes
Atque nemus tegit umbrosum, nec vescier ollis
Est licitum, tum forte via si torva frementis
Apparet facies, barbatique ora leonis,
Diriguere omnes, prædaque abiere relicta,
Sic Teucros Danai fugienteis usque sequuti
Ensibus, & longis hastilibus arva tenebant,
Obstupuere tamen cernentes Hectora densas
Percurrentem acies, ferrumque, ignemque minantem
Ætolus quos deinde Thoas Andræmone natus
Adloquitur, jaculoque Thoas insignis acuto
Eminus, insignisque nitenti cominus ense.
Ore etiam melior, juvenum quod turba locatis
Captabant verbis, pictisque coloribus auras.
Hic medios inter taleis dat pectore voces:
O Dii, monstrum ingens video, sævum Hectora rursum
Prælia miscentem, merita quem morte peremptum,
Ajacisque manu domitum rebamur Achivi.
Fata virum servant, inimicaque numina Graiis,
Quorum acies stravitque olim, sternetque per agros.
Nam neque ego incolumem Divum sine numine credam
Auxilioque Jovis pugnam miscere cruentam.
Quare agite hæc omnes, animo & parete lubenti:
Turmæ equitum, peditumque rateis vertantur ad altas,
Lecta ducum manus obstemus, primamque ruentis
Conemur furiam infestis confringere telis.
Ille furens licet, Argivum penetrare per agmen

V. 265. *Juvenum quod turba*. Ad literam in Homero est, quod de verbis certarent juvenes. Ubi juvenilis eloquentiæ vitium adnotavit sapientissimus Poeta, quæ comptior plerumque, quam gravior.

Haud poterit, reor. Hæc infit, parentque jubenti
Ajaces gemini, Idomeneus, Teucerque, Megesque
Merionesque, duces lecti, densantque maniplos.
Priamidem, ac Troes contra: plebs cætera retro
Flectit iter, cursuque cavas petit inde carinas.
Adproperant Teucri, magnis queis passibus Hector
Ipse præit, densaque humeros caligine tectus
Agmen agit Phœbus dextra sævam ægida quassans
Arte laboratam, horrificam, setisque rigentem.
Vulcani donum artificis, qua Jupiter hosteis
Territat, incusoque fugat, sternitque fragore.
Conferti obsistunt Danai, tum magnus utrinque
It clamor, manibusque hinc, illinc missa per auras
Tela volant, volucresque arcu stridente sagittæ.
Et juvenum sane pugnantum in corpore pultes
Hærebant penitus, plures per inane sine ictu
Incassum sternuntur humi, sitiuntque cruorem.
Arcitenens donec Phœbus magnam Ægida dextra
Immotam tenuit, Danaum, Troumque vicissim
Plebs confusa cadit; sed postquam lumine torvo
Terque, quaterque manu horrendum quassavit, & alta
Voce Deus tonuit, Grajum conversus in agmen,
Tum vero obstupuere animis, tremor occupat artus
Olli autem quales gemini sub nocte silenti,
Sive armenta boum, vel ovilia plena leones
Incursu exterrent subito, turbantque frementes,
Pastor abest, fugit Argivum sic territa pubes
Impellente Deo, Teucrorum armisque favente.
Agmine tum rupto cædit, sternitque virum vir.
Priamidæ ferro Stichius cadit, ille Menesthei
Dilectus socius, cadit ingens Arcesilaus
Bæotum ductor fulvo procul ære micantum.
Jason Æneas interficit, atque Medonta
Olli Cecropidum parebant agmina, Spheli
Bucolidæ egregiæ soboli; sed gnatus Oileo
Patre Medon nothus, atque Ajacis frater Oilei,

Digitized by Google

Qui Phylacem procul ab patria tellure colebat,
Ob furias, memoresque novercæ Eriopidis iras,
Cui fratrem juvenis ferro obtruncaverat olim.
Mecisteum dein Polydamas, Echiumque Polytes
Ante aciem primam, Clonium prosternit Agenor,
Dejochumque Paris, latos huic hasta per armos,
Extremumque humerum subit, atque infigitur alte.
Dumque olli spoliis inhiant, pars maxima Achivum
Præcipiti delapsa fuga, vallumque, sudeisque
Per medias, fossamque altam, murumque tenebat.
Fervidus at magnis urgebat vocibus Hector.
Irruere ad naveis, nec opimæ incumbere prædæ.
Quod siquem procul ab ratibus conspexero, dextra
Hac subito cadet, ad tumulum neque justa sorores
Persolvent misero, aut fratres, verum Ilion ante
Visceribusque canes pascet, fusoque cruore.
Sic effatus equum percussit terga flagello,
Teucrorumque ciet cuneos. Clamore minaci
Olli certatim adproperant, bijugesque fatigant.
Congestam sed enim fossæ surgentis ad oras
Phœbus humum facile incedens vertitque, ruitque
Pontis ut in morem Teucris via lata pateret,
Longaque, quantum contortæ volat impetus hastæ,
Quam juvenis toto jaculatur robore quondam
Ostentans artem pariter, dextramque potentem.
Turmatim irrumpunt Troes, præit ipse coruscam
Ægida concutiens, murumque evertit Apollo,
Qualis ubi puer Oceani prope litus arenam,
Constructasque domos luteas, opera improba, ludens
Dein manibus, pedibusque ruit, vertitque repente
Haud secus Argivum ingenti sudata labore
Mœnia confundis, Phœbe, exterresque maniplos.

V. 328. *Quod siquem.* Transitus a tertia ad primam personam, cujus cum laude meminit Longinus.

Digitized by Google

Ut ventum ad naveis, cursum tenuere trementes,
Inque vicem hortantur sese, atque ad sidera palmas
Attollunt geminas, onerant atque æthera votis:
Hos inter decus Argivum Nelejus heros
In cælum elatis manibus sic voce precatur:
Summe Deum, tibi si patriis quisquam obtulit Argis
Pingue femur bovis, aut pecudem fumantibus aris
Ut charam uxorem, dulceisque reviseret agros,
Audistique preces, pater, & pia vota rogantis,
Sis memor, & capiti impendentem averte ruinam;
Nec Danaos sine Teucrorum delerier armis.
Audiit orantem genitor, lævumque sereno
Horrendum intonuit cœlo. Sensere Tonantis
Consiliũ, mentemque Phryges, properantque, ruuntque
Acrius in pugnam, qualis pelagi unda sonori
In ratis invehitur latus, urget verbere crebro
Ventorum furor, & fluctus ad sidera tollit.
Sic Teucri ad muros magno clamore ruebant,
Inductis & equis ad naveis prælia miscent.
Crudescit Mavors: ab equis fulgentibus hastis
Dardanidæ certant; Danai de puppibus altis
Obsistunt contis, plures qui forte jacebant
Ora ære inducti, pugnis navalibus apti.
At Patroclus, donec Trojani ab litore longe,
Et ratibus, muros miscebant prælia circum,
Mœrentem Eurypilum vario sermone levabat,
Atque salutiferis curabat vulnera succis.
Ut murum irrupisse Phryges, strepitumque, fugamque
Grajugenum sensit, tum vero exhorruit, atque
Percutiens manibus femora has dat pectore voces:
Chare vale, non jam tecum versarier una
Tempus, resque sinunt: nimium jam urgentur Achivi.
Sunt famuli, sociique tibi: visurus Achillem
Hinc propero, urgebo in Martem, fors numine dextro
Durum animum moveam, chari namque optima amici
Sunt monita. Hæc ait, & gressum cum voce tetendit.

Troibus interea obsistunt constanter Achivi,
Nec tamen ab ratibus longis detrudere contis
Usque valent, Danaos retro nec pellere Teucri:
Oblongamque trabem veluti secturus, amussim
Palladia movet arte faber, ductumque tuendo
Insequitur recta, ancipiti sic Marte feruntur,
Atque alias alii ad puppeis fera prælia tentant.
Ajacem sed enim contra fert se arduus Hector
Atque eandem circum navem se viribus æquis
Invaduntque, arcentque, nec altam exurere puppem
Ajacemve potest avertere Trojus heros,
Nec Jovis adductum auspiciis ab navibus Ajax
Pellere Priamidem potis: ergo Caletora contra
Clytiadem telum intorquet, flammamque ferentem
Percutit ad pectus, sonueruntque arma cadenti,
Delapsusque manu torris, sed turbidus Hector
Cognatum ut sese jactantem in pulvere cernit,
Trojanas, Lyciasque instigat vocibus alas:
O flos Trojugenum, Lyciique, & Dardana pubes,
Robore nunc opus, atque animis, namque undique iniquis
Arctamur spatiis, Clytii defendite gnatum,
Nec lapsi spoliis Danai potiantur opimis.
Fatur, & Ajacem contra ingentem jacit hastam,
Sed diversa volat, sternitque Lycophrona longe
Mastoridem, Ajacis famulum, cui tecta Cytheris;
Pinguiaque arva, viro donec fugere inde perempto
Ipsi opus. Huic aurem propter caput ære corusco
Tunditur, atque in humum de puppe revolvitur alta.
Horruit, & fratrem adloquitur sic maximus Ajax:
Mastorides jacet Hectoreo, charissime, ferro,

V. 392. *Atque eandem*. Simili licentia in *eadem* primam produxit Virgilius in 10. Versum dedimus alibi.

V. 397. *Clytiadem*. Prima producta necessitate carminis, at in Clytio brevem fecimus infra, Virgilium sequuti.

Dilectus, fidusque mihi, assiduusque sodalis.
Quo jam tela tibi, nervique, & læthifer arcus,
Munus Apollineum? Simul hæc, simul adstitit heros
Tela manu, pharetramque gerens, arcumque sonantem,
Conturbatque acies, & crebris ictibus instat.
Hic Pysenoridem transfigit cuspide Clytum
Panthoidæ aurigam eximium, qua maximus urget
Pugnantum globus, æripedes agitare frementeis
Per campos solitum: Teucris gratissimus unus
Propterea, ab misero sed fatum avertere nullus
Dardanidum potuit, cervicem allapsa sagitta
Nam venit in mediam, cerebroque infixa tepescit.
Ille ruit, pictæque manu labuntur habenæ
Et pavidi retro bijuges cessere: feruntur
Cum strepitu horrisono vacui per gramina currus:
Sensit Polydamas, & equis venit obvius ante,
Traditque Astynoo, gnato Protiaonis, illum
Multa jubens prope se ut bijuges, currumque teneret,
Dein volat, & primis se pugnatoribus infert.
Hectora tum contra Teucer Telamonius arcum,
Et telum parat, ac pugna exegisset ab acri
Ardentem heroa, ac tristem misisset in Orcum.
At non illa Jovem latuit vesana cupido,
Priamidæ cui charus honos, invisaque Teucri
Laus erat: ergo arcum curvanti abruptus utrinque
Dissiluit nervus, diversaque fertur arundo
Ære gravis, manibusque teres simul excidit arcus.
Obriguit Telamone satus, sicque ore profatur:
Consilium pugnæ, atque artem sors abstulit omnem,
Infensusve Deus, manibus qui excusserit arcum,
Intortumque recens lorum, nuperque ligatum,
Selectumque diu conanti abruperit ultro.
Huic Ajax: arcum, & celeres depone sagittas,
O frater, Deus Argivis quando invidus obstat.
Scuta humeris, longamque hastam citus arripe dextra,
Irrueque in Troas, reliquasque hortare phalanges.

Nec magna saltem sine cæde, & sanguine puppeis
Tradiderint flammis, fortes sed in arma ruamus.
Hæc ait, ille arcum tentoria ad alta relirquit,
Quadruplicemque humero clypeum suspendit ab alto,
Et galeam insignem setis, cristaque rubenti
Induitur capiti, nodosamque arripit hastam
Ære gravem, & fratri socium se adjungit in armis.
Hector ut abruptos nervos, Teucrique sagittam
Incassum per inane videt sine lege vagantem,
Divinamque agnoscit opem, atque hæc pectore fundit:
Trojugenæ, sociique cavas invadite puppeis,
Nunc o dum fortuna favet, vidi irrita Teucri
Tela volare manu, quo non felicior arcu
Grajugenum quisquam. Divum favor, irave certis
Clarescit facile indiciis, seu extollere in auras,
Deprimere aut placuit, genteisque domare superbas.
Nunc nobis favet, & robur, vimque hostibus aufert.
Irruite, o chari, & pugnantem vulnere siquem
Fata premant, moriatur: Erit non turpe profecto
Pro patria cecidisse: domus, salvique penates
Interea, & gnati, & conjux, dulcesque parentes,
Si Danai rursum Argolicas vertantur ad oras.
Dixerat, accenditque animos, Telamonius inde
Grajugenum turmas urgebat talibus Ajax:
O, pudet, Argivi, satius cadere ante fuisset.
Servatosve semel repulisse ab navibus hostem.
An vobis spes ulla fugæ? pedibusne putatis
Tendendum dulcem in patriam, si exusserit altas
Priamides puppeis? dictis non corda cientem
Cernitis, hortantemque acies, flammasque ferentem?
At non ille choros jubet instaurare; sed agmen:
Una salus nobis totis incumbere in arma
Viribus, & conferre manum: læthumque subire,
Aut vitare semel satius, quam ad litus inultos
Imbelli ab turba lento tabescere Marte.
Vix ea, crudescunt pugnæ furit Hector in armis;

Et Perimede satum Schedium transverberat hasta
Phocaicas ducentem acies, at Laodàmantem
Ductorem peditum, claroque Antenore natum
Ferro Ajax perimit, cadit & Cyllenius Otus
Panthoidæ telo, cui paret Epeja pubes,
Dilectusque comes Phylidæ. Hic turbidus ira
Polydamanta petit; sed enim subducitur hosti
Obliquum insiliens, nam prolem sternere Panthi,
Phœbe vetas, Grajumve ullo violarier ictu.
Sed medium Crœsmi pectus secat ærea cuspis,
Insonuitque cadens: humerisque arma ille trahebat
Quum subitus stetit ante Dolops Lampi optima proles
Laomedontiadæ, pugnæ, Martisque peritus,
Et clypeum medium ferrata perforat hasta.
Phylidem sed enim lorica fidelis aheno
Tegmine tutatur, Phyleus quam maximus olim
Ex Ephire tulerat vitrei Selleentis ab unda,
Hospitis Euphetis monimentum, atque aspera contra
Septum ingens tela, ac densos munimen in hosteis.
Insiluitque Meges, galeæque extrema comantis,
Nutantemque jubam capiti, conumque recidit.
Purpureusque rubet longe color, & nitet agro.
Dumque virum sperata animos victoria pascit,
Inque vicem observant sese, Menelaus Atrides
Clam Dolope addit se comitem, perque ardua terga
Telum humero infigit: penitus per pectora ferrum
Prominet ulterius tendens, pronusque recumbit.
Detracturi humeris vesteis, atque arma jacentis
Adproperant illi, at contra stetit obvius Hector,
Cognatosque alios, Hicetaonidemque propinquum
Horrendum inclamans, Hicetaonidem Melanippum,
Flexipedum qui armenta boum, nigrasque juvencas
Percotem ad pinguem Trojæ melioribus annis
Paverat; Argivum sed postquam classis ad oras
Appulit Iliacas, Trojam, Priamumque petivit,
Trojugenasque inter primo gaudebat honore.

Digitized by Google

Adfaturque Hector, verbisque instigat amaris?
Torpemus, Melanippe? tui nec te ulla nepotis
Cura movet nuper crudeli morte perempti?
Abstulerintque etiam nobis spectantibus arma?
Quin sequere: haud procul hostileis turbare maniplos
Jam satis, urgendi propius, mors inclyta donec
Pugnanteis tulerit, Priami vel regna potentis,
Urbsque eversa cadat. Taleis dat pectore voces,
Et præit, atque virum sequitur Melanippus euntem.
At Danaos contra Salaminius incitat Ajax:
O chari, servate fidem, servate pudorem,
Inque vicem vultus, atque ora veremini, Achivi,
Salvi etenim plures, quam qui interiere pudentum
Dedecus, atque ignominiam fuga parturit effrons.
Sic fatur, laudisque avidos, pronosque momordit,
Atque infixa diu sententia mentibus hæsit.
Fervet opus, muro naves stipantur aheno.
Jupiter Iliacas acies impellit, Atrides
Archilochum dictis urget Menelaus in hostem:
Archiloche, Argivum non te robustior alter,
Ocyor aut cursu, aut melior florente juventa,
Adgredere, & Teucrorum aliquem prosterne ruentem.
Sic effatus abit, laudisque inspirat amorem
Egregio juveni, in medium tum prosilit æquor
Ductores inter primos, & turbine multo
Se circum adspectans telum contorquet acutum.
Teucrorum jaculante viro cessere cohortes.
Irrita nec volat hasta manu, nam te, Melanippe,
Certa petit, mediumque abrumpit vulnere pectus
Ille ruit super ingentem dant arma fragorem.
Et quondam veluti canis ingenti oris hiatu
Lactentem ruit in cervum, quem forte cubili
Surgentem herboso venator cuspide fixit,
Sic Hicetaonidæ spolia ablaturus opima
Archilochus properat, contra tamen adstitit Hector;

Ac velut ille prius quam tela inimica sequantur,
Conscius audacis facti in nemora avia tendit
Occiso pastore lupus, fidove Molosso,
Hectora sic procul intuitus, Grajum agmina retro
Nestorides petit, insultant clamoribus altis
Priamides, Troesque viro, telisque fatigant,
Nec stetit Argivum donec pervenit ad agmen.
Turba Phrygum interea rabidorum more leonum
Ad naveis properant: vireis, animosque superbos
Quippe dabat Jovis auxilium, atque arcana voluntas,
Pectoribus domitis Grajum, namque Hectori honorem
Hunc dederat Pater, ut flammas, ignemque carinis
Injiceret tandem Argolicis, ac vota marinæ
Perficeret Thetidi: ergo oculis spectare flagranteis
Ipse rateis volet, ex illo Phrygia agmina retro
Pulsurus rursum ab ratibus, Troja eruta donec
Æternum daret Argivis nomenque, decusque.
Hectora propterea in naveis urgebat Achivas
Id meditans, pronumque satis, cædeisque frementem,
Marti nam similis furit, ut per devia montis
Sœva sonans ignis, densique in culmine saltus,
Et spumas vomit ore, micant fera lumina flammis.
Ærea pugnanti circum cava tempora cassis
Horrendum quassata sonat: favet æthere ab alto
Jupiter omnipotens, summo ac dignatur honore
Ductores inter reliquos, nam extrema trahebant
Fila viro Eumenides, pugnantique aspera Pallas
Fata minabatur Pelidæ ab robore Achillis.
Hos aditus, jamque hos aditus tentabat, Achivum
Densus ubi globus armorumque ad sidera fulgor.
Stat Danaum conferta phalanx, obnixaque contra

V. 557. *Ac velut*. Comparationem hanc adhibuit, & multo pulchiorem reddidit Virgilius in 11, ubi totam lege.

Alta velut rupes vastum quæ prodit in æquor,
Obvia ventorum furiis, expostaque ponto
Vim cunctam, atque minas perfert cœlique, marisque.
Sic Teucris Danai obsistunt: furit Hector ahena
Luce micans totus, turmasque invadit Achivas.
Qualis ubi ratis Eoliis cita flatibus altum
Verberat unda latus, spumamque ad sidera jactat,
Vela fremunt concussa, virum timor inficit ora
Pallidus, ab lætho tenui discrimine quando
Vix absunt tabulæ, Danaum sic pectora languent
Hectore pugnante, atque leo ceu turbidus, agros
Irriguos propter nactus, placidamve paludem
Corpora magna boum, subitus ruit, inscius inde
Pastor abest, pugnæque rudis prima agmina ducens,
Aut postrema simul graditur, leo pessimus agmen
Insilit in medium, & rabido vorat ore juvencam,
Aufugiunt reliquæ, Danaos sic rector Olympi
Priamidesque fugat subito terrore paventeis
Una omneis; cadit insignis tantum Periphetes
Ex illo genitus Copreo, qui nuntius olim
Amphitruoniadæ Eurysthei mandata ferebat.
Deteriore quidem præstantior ille parente,
Quo cursu melior, pugnaque, & mente sagaci
Non diteis quisquam fertur coluisse Mycenas.
Occisus sed enim ingentem dedit Hectori honorem,
Nam clypei extremas humero pendentis ad oras,
Dum conversus abit, clypei talaris ad oras
Offendit miser, in terram ceciditque supinus.

V. 588. *Alta velut rupes*. Versus Virgiliani ex 10. Æneidos, ubi Mezentii in resistendo constantiam commendat Poeta. Hic tamen vim, & majestatem Homericæ dictionis non videtur assequutus. Assequutus tamen est, & meo quidem judicio, longe superavit in 7, ubi eamdem Latini Regis constantiam exornavit. Lege sis.

V. 596. *Ab lætho*. Quod lepidissime, ut solet Juvenalis:
,, Digitis a morte remotus,
,, Quatuor, aut septem si sit latissima tæda ,,.

Horrendum insonuit capiti galea alta cadentis .
Priamides volat , & sociorum ante ora suorum
Pectora transfigit ferro : infremuere sodales
Adstantes ; sed enim trepidos timor alligat artus ,
Conscenduntque rateis turmatim , atque ante jacentum
Certant se rostris tegere , & cohibere ruenteis .
Acrius hoc instant Troes , primisque relictis
Puppibus , abscedunt Danai tentoria ad alta ,
Nec per castra viros patitur timor ire vaganteis
Aut pudor , inque vicem crebris se hortatibus urgent
Quos inter medius charorum nomina Patrum
Commemorans , juvenum accendebat pectora Nestor :
Nunc aliorum alii vultus reveremini , & ora ,
O Danai , & charam uxorem , tectumque , lareisque ;
Et gnatos animo , & dulceis revocate parenteis .
Vel jaceant , vel adhuc cœlo potiantur , & aura .
Hos per ego absenteis supplex vos deprecor , hostem
Sistite vos contra , neque retro avertite gressum .
His dictis commoti animi , nubemque removit
Cœlitus immissam divino lumine Pallas .
Clarescunt subito puppes , pugnæque cruentæ ,
In mediisque furens cristatus cernitur Hector ,
Dardanidumque acies , seu quæ post terga quiescunt,
Seu quæ de ratibus pugnant , sudantque sub armis ,
At non lentus ubi Danaum stat turba paventum
Se tenuit Telamone satus , sed fervidus altas
Per puppeis , per celsa volans tabulata recursat
Ingentemque manu contum , validumque , & ahenis
Orbibus accinctum versat , cui fraxinus ingens
Bisdenos cubitos in longum extenditur ultra .
Ac veluti doctus magnorum agitator equorum ,
Quatuor ingenteis multorum ex agmine lectos
Nectit agens procul ab campo , qua publica in urbem
Fert via : stant circum attonitæ matresque , virique
Ille sedens firmo , jamque hunc se corpore librat,
Jamque illum super alternans , illi ocyus Euris

Arva secant, sequitur densæ tum nimbus arenæ.
Haud secus huc, illucque furens tabulata per alta
Passibus insiliens magnis Telamonius heros
Cursat, obitque rateis, vocemque ad sidera tollit
Horrendum assidue inclamans: defendite naveis,
Argivi juvenes, hostemque avertite castris.
At Teucrum ante aciem primam volat igneus Hector,
Ac veluti in pratis liquidi prope fluminis undam
Ætherea delapsa plaga Jovis ales aperto
Turbat agens cœlo volucres, turbamque sonantem,
Sive grues, longo vel ovanteis gutture cicnos.
Sic pictam in puppem turbata per agmina Grajum
Priamides ruit adversum, impellitque ruentem
Jupiter ipse manu genitor, Troumque catervas
Exciet in pugnas, oriturque miserrima cædes
Corpora ahena virum credas concurrere campo.
Usque adeo invicto pugnabant robore; Achivis
Una salus nullam bello sperare salutem.
Dat furor ipse animos, & inevitabile fatum.
Trojugenæ arsurasque rateis, jamjamque putabant
Sternendas Danaum Sigea ad litora turmas.
Ergo hinc, ergo illinc cæduntque, caduntque vicissim.
Ipse ratis puppem, qua Protesilaus in oras
Venerat Iliacas iterum non regna, lareisque
Visurus patrios, dextra comprenderat Hector.
Ingens pugna diu circum: nec jam eminus arcu
Tela volant, jacula aut tenueis sparguntur in auras,
Cominus at brevibus gladiis hastisque coruscis,
Ensibus & magnis, durisque bipennibus instant.
Insignesque auro gladii, capuloque nitenti
Ex humeris lapsi juvenum, manibusque cadebant,
Armaque pulchra: fluit campo atri sanguinis unda.
Nec summæ correpta semel fastigia puppis

V. 660. *Ætherea*. Versus Virgilianus hinc decerptus in I.

Dimittens Hector, magna ciet agmina voce:
Ferte citi flammas, ignem jacite, urite naveis
Dum Jove fas dextro, felixque, & fausta refulsit
Illa dies, qua tam longos tolerata per annos
Reddantur mala Grajugenis, avibusque sinistris
Huc delata Deum sine numine classis in ipso
Litore nunc pereat, quæ tristia funera Teucris
Tot tulit heu miseris, seniorum errore, metuque,
Qui me tentantem naveis invadere ferro
Arcebant procul, atque aciem, turmasque tenebant
At bene habet, qui tunc animos terrebat inerteis
Jupiter, in naveis stimulis nunc acribus urget.
Sic ait, ingentique Phryges clamore ruebant.
Nec Telamoniades hostem subsistere contra
Jam valet, incolumem nec se credebat ab acri
Cessurum pugna, lentusque in proxima puppi
Transtra pedem retulit, longumque hastile coruscans
Trojugenas fugat instanteis, ignemque ferenteis,
Horrendumque tonans acies hortatur Achivum:
Heroes Danaum, Martis genus, hic opus armis,
Hic virtute, viri. Auxiliariane agmina retro
Creditis, aut muros vobis, vallumque relictum,
Quæ Teucrorum aciem possint cohibere ruentum?
Nullæ isthinc urbes turritis mœnibus, unde
Auxilium socia arma ferant. Ad Pergama stamus
Urbe procul patria hastatorum ante agmina Teucrum:
Claudimur hinc alto Oceano, nec fidere plantis
Est licitum ferroque salus quærenda, manuque est.
Hæc ait, & contra venienteis excipit hasta,
Jactanteisque ignem ratibus, bissenaque ferro
Audentum juvenum dederat jam corpora lætho.

V. 686. *Ferte citi*. Ad saporem Virgiliani illius.
„ Ferte citi ferrum. date tela, scandite muros „.
V. 711. *Claudimur*. Hinc illa Pallantis in I.
„ Ecce maris magno claudit nos obiice pontus.
„ Deest jam terra fugæ: pelago Trojamne petemus „?

LIBER DECIMUSSEXTUS.

ARGUMENTUM.

Patroclo deprecanti Achilles sua ipsius arma permittit capere, & Myrmidones in prælium educere. Hi vero egressi Trojanos ab navibus in urbem repellunt. Patroclus Sarpedonem Jovis filium occidit, qui funalem equum currus Achillis interfecerat Pedasum. At Patroclum prius ab Apolline territum, armisque exutum Euphorbus primum vulnerat, tandemque Hector occidit.

SIc nigram ad puppem pugnabant viribus æquis.
Patroclus interea Pelidem propter amaras
Versabat lacrimas, nigro ceu fonte perennis
Unda fluit, faturque virum miseratus Achilles:
Quid, bone, sic luges, lactentis more puellæ
Quæ madidis oculis properantem veste parentem
Detinet abrepta, inque hæret, sequiturque, premitque,
Materno donec gremio sublata quiescit?
Huic tu etenim similis planctu torqueris acerbo.
Triste mihi quicquam, turmis aut nuntius affers?
An soli auditum patriis quisquam attulit oris?
Spirat adhuc, regnatque Menœtium Actore natus.
Vivit adhuc, reor, Æacides, populosque superbos
Myrmidonum regit: ambobus charissima quorum
Vita est. An domitos fletu miseraris Achivos
Atridæ ob scelus infandum, mentemque protervam?
Eja age dic tecum ipse fleam, atque hac parte levabo.
Patroclus ast alto ducens de pectore questum:
O Peleo sate, cunctorum fortissime Grajum,
Parce, ait, Argivum sortem, & fata aspera flenti.

Namquid enim miseris reliquum ? pars maxima Regum
Vulneribus dolet acceptis, dolet ipse Agamemnon,
Et Tydei soboles, atque hasta insignis Ulysses,
Eurypilusque femur ferro trajectus acuto.
Quos circum cura assidua exercentur, Achivum
Quotquot Apollinea insignes censentur in arte.
Nescius at flecti furor, immortalis, Achilles,
Ira tua est, nec Dii talem mihi pectore mentem
Indiderint, qualem ipse foves, immittis, acerbus,
Inque malum fortis. Quonam hæc clarissima bello
Dextera ? quo invictum robur, si classis Achivum
Te spectante perit, nomenque, & gloria gentis ?
Crudelis, nec eques Peleus tibi sanguinis author,
Nec tibi Diva parens, tumidis te fluctibus horrens
Oceanus, duro aut genuerunt marmore cautes,
Indomitumque, ferumque: alme quod si ulla vereris
Jussa Deæ Jovis aut terrent oracula mentem,
Me saltem mitte in Martem, me turba sequatur
Myrmidonum, res Grajugenum vireisque jacentis
Restitutam forte: arma etiam concede roganti
Chare, tua; Iliacas falsa sub imagine turmas
Deceptas rursum ab ratibus, castrisque repellam,
Respirentque acies Danaum; Dispendia quamquam
Vix patitur pugna, exiguumque in Marte levamen.
Deffessosque Phryges solo clamore fugabit
Turba recens procul ad muros; fugumque comantem.
Talibus orabat, sibi tristia fata precatus,
Et læthum imprudens. Pelei quem filius alto
Cum gemitu adfatur: Tene hæc indigna precari,
Chare Menœtiade ? Matris non me ulla coercent
Jussa Deæ, non ulla Jovis me oracula terrent;

V. 33. *Crudelis*. Hinc illa Virgilii, laudatissima
,, Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus author,
,, Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
,, Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tygres ,,.

Sed gravis ille animum dolor, ac præcordia rodit, (des,
Quum memoro me ut honore parem contempsit Atri-
Præmiaque eripuit sceptroque, opibusque superbus.
Hic furor, hæc rabies, irarum hæc summa: puellam
Selectamqne mihi ab Danais, ferroque cruento
Quæsitam eversis hostilis mœnibus urbis,
Hanc, inquam, tenet ablatam Briseida ductor.
Nos animæ indecores partis orbamur inulti.
Sed quid ego hæc recolo, quæ non memorare sereno
Fas animo? Atque etenim sævum non ante furorem
Ponere mens fuerat, donec flagrante tumultu
In nostras jamjam ruerent Phrygia agmina puppeis;
Arma tamen mea nunc humeros accingere circum,
Myrmidonumque acres in prælia ducito turmas,
Namque rateis jam densa virum premit undique nubes.
Argivi ad litus spatiis arctantur iniquis,
Teucrorumque urbs tota recentibus ingruit armis.
Pelidæ nec enim splendentem vertice ab alto
Conspiciunt galeam: fugientes gramina fusis
Corporibus tegerent, fluerent & sanguine fossæ.
In nos tu meliori animo, Atreo gnate, fuisses.
Agmina nunc conclusa premunt, nec jam Diomedis
Fulmineum furit hasta manu, nec Regis Atridæ
Audio per campos inimico ab gutture vocem
Ordinibus mediis, homicidæque Hectoris una
Vox sonat hortantisque acies, flammasque minantis
Planaque camporum victrix clamore secundo
Teucrum turba tenet: propera, atque averte minantis
Ab ratibus flammas. reditumque in tecta parentum
Assere Grajugenis. Jussorum hæc summa meorum est:
Obsequere ut mihi Grajorum de gente reportes
Immortale decus, simul & Briseida pulchram
Abductam referant, cumulentque ingentia dona.
Trojugenas ubi repuleris, in castra reverte
Nec sine, me quanquam Divis videare secundis
Rem gerere, Iliacas acies, neve Hectora tenta.

Dedecus hinc mihi nam referes, victoria nec te
Transversum ferat, ut Teucris fugientibus instans
Myrmidonum ducas sacrata in Pergama turmas,
Ne Divum quisquam cœlo delapsus ab alto
Ingruerit, saltem nam gens charissima Phœbo est.
Ergo ubi parta salus ratibus, pete litora bigis,
Insanumque ipsos inter sine fervere Martem.
Namque utinam, o Divum genitor, Pallasque, & Apollo,
Dardanidæ pereant, carpunt quot luminis auras,
Et Danai simul, ast ambos nos numina servent,
Eversæ ut Trojæ soli potiamur honore.
Talia sese inter mutuo sermone serebant.
Nec Telamoniades ultra subsistere ductor
Jam valet, obruitur densis sic undique telis.
Nempe Jovis mens versa virum, Teucrumque domabat
Turba ruens: strepit assiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, & clavis nexa æra fatiscunt,
Lassanturque humeri clypei sub pondere magno.
Nec tamen usque valent pugnantem avertere crebris
Missilibus Troes, tum toto corpore sudor
Liquitur, & piceum (nec respirare potestas)
Flumen agit, fessos quatit æger anhelitus artus,
Atque malis mala firmantur. Nunc dicite, Musæ,
Cælicolum genus, ut ratibus primo incidit ignis?
Hector fraxineum Ajacis magno impete telum
Ense ferit, ligno qua nectitur ærea cuspis,
Ac secuit penitus, truncumqne hastile furenti
Versabat dextra incassum Salaminius heros,
Insonuitque cadens ferrum, & procul inde refulsit.
Obstupuitque Ajax animo, horrescitque tuendo
Monstra Deum, Martisque vias præcludier omneis
Ab Jove Grajugenis sensit, Teucrosque foveri.

V. 107. *Tum toto corpore sudor*. Virgiliari versus in 9, ubi Turnum multitudine hostium oppressum describit Poeta.

Ergo abit indignans, tædasque, ignemque carinis
Injiciunt subito Troes: volat abiete tota
Transtra per, atque unctos Vulcania flamma rudenteis.
Percussitque femur, sociumque adfatur Achilles.
Rumpe moras, Patrocle Argolicas jam pascitur ardens
Flamma rateis: spes nulla fugæ, spes nulla salutis.
Induere arma, ego Myrmidonum sæva agmina cogam.
Dixerat, ille ocreas primum, quas aurea morsu
Fibula connectit suris aptabat, & altis
Circumdat thoracem humeris velocis Achilli
Stellatum, varium; lateri dein subligat ensem,
Cui Capulus solido argento, clavisque rigescit.
Tum validum, ingentem clypeum, capitique coruscam
Induitur galeam crista, setisque comantem,
Atque suis aptam selegit viribus hastam.
Nam neque Pelidæ ingentem, validamque, gravemque
Aut torquere Menœtiades, aut alter Achivum
Ductorum poterat; solus torquebat Achilles.
Hanc Peleo dederat Chiron, quæ fraxinus olim
Pelio in summo æthereas surgebat in auras.
Quot mox illa viris mortem adlatura cruentam!
Jungere dein bijugos, currusque aptare sonanteis
Automedonta jubet, charum, fidumque sodalem
Æacidem juxta, quo non præstantior ullus
Aut ruere, aut hostem curru expectare ruentem.
Hinc Xantum, Baliumque pareis pernicibus Euris
Ad juga cogit equos, pregnans Harpyja Podarge
Quos Zephyro peperit cani prope gurgitis undam.

V. 147. *Quos Zephyro peperit*. Podargem a Zephyro adamatam eandem esse, ac Celæno de qua Virgil. in 3, nescio unde aliqui hauserint. Equas porro vento Occidentali seu Zephyro gravidas fieri, & equos velocissimos parere narrat Virgilius in 3. Georgicorum.

„ Ore omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,
„ Exceptantque leveis auras, & sæpe sine ullis
„ Conjugiis, vento gravidæ, (mirabile dictu 2. „

Unde etiam Plinius, & alii. Vid. Cerdam in Virg. & Eustath. hic.

Addidit insignem ac Pedasum temone sub alto,
Pelides quem capta olim Eetionis ab urbe
Duxerat; huic mortale genus, currum sed agebat
Inter cœlestum immortalia corpora equorum.
Myrmidonum interea turmas armabat Achilles
Castra obiens: tum carnivori ceu montibus altis
Ore lupi rabido tollentem cornua cervum
Occisum laniant: lavit omnibus improba teter
Ora cruor, fontemque petunt, aut stagna gregatim
Hausturi raris summo de flumine linguis
Nigranteis latices, ructantque ex ore cruorem,
Accrescuntque animi, atque alvus distenditur ingens.
Tales Myrmidonum ductores, lectaque pubes
Circumdat Patroclum, medius quos inter Achilles
Urget equos, urgetque duces, turbamque comantem.
Quinquaginta altas Trojana ad litora puppeis
Duxerat, & totidem juvenes ad transtra sedebant.
Ductores quinque his lectos præfecerat, ipse
Imperii summam, & rerum molitur habenas.
Agmina prima regit se stirpe Menestius alta
Insignem referens Sperchio pulchra parenti,
Quem genuit Polydora, sacri prope fluminis undam
Mixta Deo mulier, magni stirps inclita Pelei;
At Boro gnatum Perieride fama ferebat
Dote sub ingenti fuerat cui tradita conjux.
Dein subit Eudorus Polymela matre creatus
Philantis gnata, qua non magis apta choreis
Ulla fuit; Maja hanc genitus pulchræ arma Dianæ,
Sectantemque choros magno devinctus amore
Subripuit, prolemque dedit pugnæ arte cruenta,
Insignemque pedum cursu; sed lucis amicas
Vix puerum Ilythiia favens eduxit in oras
Echecli datur Actoridæ Polymela marito,
Immensis dotata opibus, Philasque nepotem,
Ceu gnatum senior tectis nutrivit in altis.
Tertius agmen agit Pisandrus, Martius heros

Mœmalides, quo Myrmidonum non alter in hastam
Fortius adsurgit, Patrocli sed robore dempto.
Dein senior graditur Phœnix agitator equorum,
Tandemque Alcimedon Laercei clara propago.
Utque duces inter turbam distinxerat omnem,
Talia voce refert, animosque inspirat Achilles.
Nunc, o præteritis toties jactata diebus
Myrmidones revocate animis quum sæpe querentes
Pelidem immitem, dixtis, non dulcia Divæ
Ubera, sed fellis nigrum suxisse liquorem.
Qui lectas juvenum sinat hic torpescere turmas,
Nonne domos satius, tristeis dum decoquit iras
Ille furens, patriasque iterum remeare sub oras?
Hæc quondam; at grave Martis opus cupientibus ultro
Obtulit alma dies, agite, atque irrumpite in hostem.
Sic fatur, ferventque animi, densantque phalangem.
Regificæque domus velut in parietibus altis
Ventorumque minas contra, pluviasque sonanteis,
Artis opus, mutuis inter se nexibus hærent,
Ingentes lapides, densis sic agmina Grajum
Ordinibus steterant, scutis tum scuta cohærent,
Virque viro, & galeis galeæ, cristæque rubentes
Miscentur cristis, geminique ante agmina prima (rusco
Mirmidonumque aciem Automedon, Patroclusque co-
Armantur ferro, ast alta in tentoria Achilles
Solicitus properat, pulchramque, atque arte politam
Arcam aperit, quam Diva parens lænisque refertam
Villosis ventos contra, & penetrabile frigus,
Mollibus ac tunicis, pictisque tapetibus olim
Tradiderat gnato Trojam, & maria alta petenti.
Addidit, & magnum cratera, auroque rigentem,
Cœlatum, eximium, quo non liquentia quisquam
Vina unquam biberat, nec Diis libaverat ullis,
Supremo nisi terrigenum, Divumque parenti.
Hunc heros puro detersit sulphure primum,
Ipsum deinde, manusque liquentibus abluit undis.

Implevitque mero pateram, libansque precatur
Stans septo in medio, extollensque ad sidera vultus.
Nec latuere preces gaudentem fulmine patrem:
Summe Pelasgorum rector, Dodona nivalis
Cui paret, cuique illoti vestigia Selli
Cœlitus immissos carpunt in pulvere somnos.
Pelidæ siquando alias audita precantis
Vota tibi, & claro genitor dignatus honore
Grajorum domuisti animos, hoc perfice votum
Nunc mihi, pugnarum a strepitu procul ipse manebo
Myrmidonum sed enim Trojana in prælia turmas
Fert Patroclus, charusque mihi, fidusque sodalis.
Hunc, Pater, ab cœlo victoria læta sequatur,
Invictumque inspira animum: sciat inclytus Hector
An me etiam sine pugnaceis compescere Teucros
Audeat: ab ratibus pulso clamore, metuque
Incolumis tandem nostra ad tentoria sese,
Victricemque aciem referat, victriciaque arma.
Audiit, & voti genitor succedere partem
Mente dedit, partem volucreis dispersit in auras.
Pelleret ut pugnam ab ratibus, Teucrosque fugaret
Annuit oranti; reducem ut se in castra referret,
Non dedit, inque Notos vocem vertere procellæ.
Ille ubi libavit, fuditque ea vota, repostam
Servavit pateram rursum, tentoriaque extra
Progreditur, juvat Argivum, Teucrumque tueri
Conflictum, pugnasque graveis. Olli ordine longo

V. 224. *Selli*. Sacerdotes Jovis, qui nudis semper, & illotis pedibus incedentes, & humi cubantes Numinis iram placare credebantur. Quid huic affine Virg. de Apollinis Sacerdotibus in 2.

,, Summe Deum, sancti Soractis Apollo,
,, Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
,, Pascitur, & medium freti pietate per ignem
,, Cultores multa premimus vestigia pruna ,,.

V. 238. *Audiit*. Virgiliani versus in 12, hinc deducti levi quadam mutatione.

Ibant armati Patroclumque, ducesque sequuti.
Ut ventum in Teucros facto velut agmine vespæ
Funduntur, vespæ veluti, quas rupe cavata
Degenteisque viam propter, de more puelli
Solicitant, vexantque, malum commune creantes
Stulti: præteriens illas si forte viator
Moverit imprudens, animis ingentibus alto
Erumpunt tecto, gnatosque, lareisque tuentur,
Sic tunc Myrmidones magno clamore ruebant,
Hortaturque viros Patroclus: fortissima Grajum
Pectora, Myrmidones, clari socia agmina Achillis,
Nuc priscos renovate animos, nomenque, decusque
Instaurate ducis, quo non præstantior armis
Argivos inter proceres, charique sodalis.
Pœniteatque etiam, pudeatque Agamemnona, tantum
Contempsisse virum. Taleis dat pectore voces,
Inspiratque animos, confertique agmina Teucrum
Invadunt subito: immensus ferit æthera clamor
Grajugenum, reboantque rates, & litora longe.
Trojanique Menœtiadem ut videre ruentem
Ipsumque, & famulum juxta fulgentibus armis,
Obstupuere animis, rarescuntque agmina, Achillem
Adventasse rati, ac veterem posuisse furorem.
Ergo ut cuique via est; fugiunt; sed Patroclus hastam
Conjicit in medios, qua confertissima turba,
Ad navis puppem præstantis Protesilai,
Pyræchmemque ferit, qui Pæonas agmen equestre
Duxerat ex Amydone, rigat quas Axius oras.
Perque humerum cuspis dextrum subit, ille supinus
Cum gemitu cadit: attoniti ductore perempto
Pæones hac, illac fugitant, fugientibus instat
Patroclus, ab castrisque omneis, ratibusque repellit,
Ardentemque ignem extinguit, semiustaque puppis
Ad litus jacuit. Troes clamore, tumultuque
Aufugiunt, sequitur trepidos Argiva juventus,
Perque rateis ruit in pugnas, & litora complet.

Et quondam veluti nemoroso ab culmine montis
Quum nebulæ pater humentem Saturnius umbram
Submovet, apparent speculæ, atque cacumina summa,
Et nemora alta, superque ingens aperitur Olympus,
Sic Danais iterum redit in præcordia virtus,
Nec tamen omnino cessat Mars: undique nondum
Terga dabant Troes, magna sed parte resistunt,
Cedebant sed enim paulatim ab litore retrò.
Agmine tum rupto, cædit, sternitque virum vir.
Primus Areilycum fulgenti dejicit hasta
Osse Menœtiades femoris, nervisque refractis.
Ille ruit pronus, pectusque Thoantis apertum
Perforat Atrides Menelaus, membraque solvit.
At Phileo satus Amphiclum per plana ruentem
Occupat, & cruris pars qua densissima turget
Aversi ferit, ac nervos crudo abscidit ære,
Offusæque oculis tenebræ; sed Atymnius hastam
Excipit Antilochi, trajectusque ilia ferro
Sternitur, at Maris Antilochum de fratre perempto,
Stans prope collapsum, indignans, frendensque petebat.
Nestoridarum alter sed enim Diis par Thrasymedes
Occupat ardentem, atque humero qua dextra cohæret,
Telum certus agit, nervosque abrumpit, & ossa,
Insonuitque cadens, oculos texere tenebræ.
Sic fratres gemini geminis ab fratribus umbras
Pallentis petiere Erebi, Sarpedonis ambo
Insignes jaculo comites; Amisodarus ambos
Hos genuit, qui perniciem mortalibus olim
Nutrierat fumo horrentem, flammisque Chimœram.
At Cleobulum Ajax trepidantemque, inque peditum
Cepit Oiliades vivum, & cervice retorta
Ensem adigit magnum, totusque cruore rubenti
Incaluit mucro, tegit ater lumina somnus.
Peneleusque, Lyconque pari sese impete frustra
Impetiere simul telis stridentibus, inde
Ense Lycon ruit, & conum perfringit ahenum

Digitized by Google

Cristatæ galeæ , at capulum prope frangitur ensis .
Peneleus furit, & collum , qua nectitur auris
Ense ferit, caput abscissum de pelle pependit
Adversam in partem , tenueis vita ivit in auras.
Meriones Acamanta rotas jamjamque tenentem
Adssequitur cursu,atque humerum transverberat hasta.
Ille ruit, lapsique oculos sopor æneus urget.
Idomeneus Erymanta petit, clamantis & ora
Ære quatit, cerebrum penitus, præruptaque ferro
Dissiluere ossa , & mixti cum sanguine dentes,
Suffususque oculis cruor, & fœdata vomentis,
Ora viri, naresque, oculos nigra obtegit umbra.
Talia ductores edebant funera Graji.
Quales aut agnis, hædisve imbellibus acres
Ore lupi rabido insiliunt, procul inscius inde
Pastor abest: olli erranteis , mactantque trementeis.
Nec mora, nec requies, palantes æquore toto
Difugiunt trepidi Troes virtutis avitæ
Immemores ; unum sed enim Telamonius Ajax
Hectora tendebat contra ; sed Dardanus heros
Ingenteis humeros clypeo septemplice tectus
Haud rudis armorum stabat, stridentia tela,
Et sonitum observans jaculorum, hastasque volanteis.
Atque etenim adverso fractos jam Marte dolebat
Cedere Trojugenas, stabat tamen, ac trepidanteis
Ille tuebatur socios , cœloque sereno
Ut quondam nubes frondoso ab culmine Olympi
Tollitur, excitis quum Jupiter humidus Austris
Fulgura molitur dextra, nimbosque sonoros.
Sic retro ab ratibus clamore, fugaque redibant
Præcipiti Troes, frendentemque Hectora celsis
Extraxere rotis bijuges, turbamque reliquit
Trojugenum, fossa invitos quos alta coercet.
Confractæque rotæ passim, currusque jacebant.
Attonitos Patroclus Teucros clamore fatigat,
Hortaturque suos, olli trepidante tumultu

Implevere vias omneis, campumque, virosque
Pulverulenta tegit nubes, retroque jugales
Cum fremitu ingenti ab ratibus, castrisque feruntur,
Patroclus at Teucrum qua confertissima turba
Æripedes agitabat equos: sternuntur in agris
Hinc, atque inde Phryges, rapidoque sub axe teruntur.
At fossam ingentem vigor immortalis equorum
Transiliit facile: Æacidæ quos, inclyta dona,
Dii dederant, ac Priamidem prosternere ferro
Mens erat; ast ipsum extulerant procul inde jugales
Atque procelloso tellus veluti obruta nimbo
Tota gravi jacet Autumno, largissimus imbreis
Quum fudit mores hominum indignatus iniquos,
Contemptosque Deos genitor, violataque jura,
Expulsamque foro Themidem vi, aut arte potentum.
Propterea aggeribus ruptis, gemituque sonoro
In mare purpureum ruit alto ab culmine torrens
Grandia saxa rotans, & inundant flumina campis,
Sternunturque boum sata læta, hominumque labores,
Is Trojanarum pavor est, & cursus equarum.
Patroclus ut primas perfregerat impete turmas
Compulit ad naveis rursum, neque tendere in urbem
Fas miseris, fluviumque inter, pictasque carinas,
Et murum inclusos castrorum ulciscitur ardens,
Occiditque viros. Pronoum tunc pectora nudum
Sub clypeum ferit, atque animam de corpore solvit.
Horrendumque cadens sonuit, dein Thestora frendens
Enopidem petit: hic curru in fulgente sedebat
Attonitus, cui lora manu demissa trementi
Exciderant, ruit at Patroclus, malamque corusco

V. 367. *Mores hominum*. „ Audite hoc princeps domus Jacob,
„ & judices domus Israel, qui abominamini judicium, & omnia
„ recta pervertitis, Princeps ejus in muneribus judicabat ... propter
„ hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem quasi
„ acervus lapidum erit. *Mich. c.* 3. „

Percutit ad dextram ferro, perque ærea cuspis
Ora viri, denteisque meat, tum gurgite ab alto
Piscator ceu quondam hamis, linoque prehensum
Piscem agit ingentem pelagi de rupe propinqua,
Sic sede ab celsa Enopidem detraxit hiantem
Patroclus, ille ruit pronus, lucemque relinquit.
Deinde, Eryale, tibi saxo caput impetit, atque
In parteis dirimit geminas sub casside ahena.
Labentem fuscis mors circum amplectitur alis.
Inde Erymanta, atque Amphoterũ, & prosternit Epaltem,
Tlepolemumque Damastoridem, Evippumque, Pyremque,
Ipheaque, atque Echion, atque Argeadem Polymelum.
Sarpedon sed enim cernens tot fusa per agros
Corpora trunca virum Patrocli victricibus armis
Substitit, & Lycias hortatur voce catervas:
Sistite, quo fugitis Lycii? Contra obvius ipse
Ire paro: experiar quisnam in nostra agmina tantum
Grassatur ferro. Hæc ait, & de curribus altis
Desilit in terram, saliit quoque Patroclus, atque
Vulturibus similes geminis, qui in vertice rupis
Unguibus invadunt sese, rostrisque recurvis,
Auditurque procul clangor, sic ductor uterque
Cum clamore ruit; sed enim miseratus utrumque
Jupiter, adloquitur tali cum voce sororem:
Ergo Menœtiadæ domitum Sarpedona dextra
Adspiciam genitor fatis constrictus acerbis?
Heu! mens ancipiti curarum fluctuat æstu,
Num Lycios vivum in campos, patriosque penateis
Ereptum referam pugnis, & Marte cruento.
An Patrocli cecidisse sinam sub vindice ferro.
Tum magnis veneranda oculis sic incipit uxor.
Saturno sate, quid dubio hæc, sub pectore volvis?
Mortalemne virum, devotaque membra sepulchro
Eripere est animus? Fac, non Diis grata profecto
Feceris. An solus Priameja mœnia circum

Sarpedon pugnat Superum de stirpe Deorum?
At prolem ab lætho incolumem, fatoque caduco
Quisque volet servare suam. Quod si tibi charus
Est adeo, sine nunc lætho cecidisse decoro,
Mox suavi Somno, & Morti committe ferendum
Dilectam in Lyciam: solvant ubi justa sepulto
Cognati, & chari fratres, mœstæque sorores
Ad tumulum, qui solus honos Acheronte sub imo est.
Sic infit, paretque hominum Rex, atque Deorum,
Atque oculis genitor roreis sinit ire cruentos
Dilectam ob sobolem, patrio quam ab limine longe
Mox erat horrenteis Patroclus missurus ad umbras.
Ut prope constiterant, Patroclus Thrasymedea Regis
Armigerum, & comitem ventrem percussit ad imum,
Exsolvitque animam; magnis dein viribus hastam
Sarpedon jacit, ac tenueis delapsa per auras
Cuspis equum Pedasum dextrum configit ad armum.
Ingemuit moriens, animamque efflavit anhelam,
Loraque confusa, & subito insiliere pavore
Cornipedes reliqui, atque axes crepuere, jugumque.
Temonem ad longum fulva exporrectus arena
Namque jacebat equus; gladio sed lora nitenti
Intrepidus secat Automedon; statione, situque
Tum recto steterunt bijuges, pugnamque cruentam
Instaurant animo ingenti. Sarpedonis hasta
Prima volat, Patroclique humerum super acta sinistrum
Radit iter liquidum; sed non tua cassa per auras,
Patrocle, cuspis iit, nam qua præcordia nexu
Multiplici sese adglomerant, & corda tuentur
Æs penetrat, tum ceu quercus, vel populus ingens,
Alticoma aut pinus cecidit, quam montibus altis
Navalem in costam fabri rutilante bipenni
Exsciderint, sic ille rotas, atque ante jacebat
Exporrectus equos, largoque cruore rubentem
Dentibus infrendens manibus prensabat arenam.
Qualis ubi fulvo præstantem in corpore taurum,

Armentum invadens leo corripit, ossaque crudo
Fracta sonant rictu, it cœli mugitus ad auras.
Sic Lycius ductor Patrocli victricibus armis
Indignante anima moriens gemit, atque sodalem
Nomine compellat. Glauce, huc, charissime Glauce,
Huc opus, o virtute tua, atque hoc robore dextræ
Aude aliquid, si Marte vales, Lyciasque catervas,
Selectosque hortare duces, atque agmina Teucrum,
Tuque incumbe prior, Regemque ulciscere ademptum,
Nec cedant sine Grajugenis victoribus arma.
Si te tangit honos, & nostræ gloria gentis.
Hæc ait, atque oculos tenebræ obtexere loquenti.
Advolat, & lævo Patroclus pede pectora calcat,
Avellitque hastam, atque hærentia viscera ferro.
Una eademque via cupisque, animusque sequuntur.
At currus comites vacuos, bijugesque tenebant.
Tum Glauco postrema ducis vox impulit aureis,
Ingemuitque dolens, nec opem conferre cadenti
Quippe potest Teucri tardatos vulnere dextram,
Constringitque manu plagam, Phœbumque precatur:
Arcitenens, seu tu Lyciæ, seu pinguia Trojæ
Arva tenes, namque unde potes me cumque vocantem
Exaudire, pater; volucri transfixa sagitta
Dextra, rigetque humerus sursum, neque sistitur ater
Usque cruor, non tela manus, neque sustinet ensem.
Sarpedon, Jovis ille genus, jacet inclytus armis,
Nam nec opem gnato genitor tulit: ipse medere
Tu mihi, & ingenteis membris depelle dolores,
Et vireis, animumque dato, ut de Rege perempto
Ipse ruam simul in pugnam, & Lycia agmina cogam.
Dixerat, audivitque precantem Phœbus Apollo.

V. 470. *Una eadem*. Versus Virgilianus in 1. hinc decerptus, ubi in *eadem* primam produxit Latinus Vates.

Effugit dolor extemplo, & stetit unda cruoris,
Atque novas subito rediisse in pristina vireis,
Auditasque preces sensit lætissimus heros.
Ductoresque viros obiens, Lyciosque maniplos
Excitat in Martem, Teucrum petit inde catervas
Polydamanta vocans, & Agenora Martis alumnos
Atque Anchise satum, fulgentemque Hectora ferro,
Compellatque virum, & taleis dat pectore voces:
Nullane, te Priami sociorum gnate tuorum
Cura premit, qui te propter patria urbe relicta
Pugnantes posuere animas? Dum prælia lentus
Contemplare procul cecidit fortissimus heros,
Qui Lyciæ populos lata ditione tenebat
Sarpedon Patrocli domitus victrice sub hastà:
Quin ruite, o strenui, æternumque avertite probrum;
Si occisum spoliari, atque insultare jacenti
Myrmidones patimur sociorum fata dolenteis
Ad naveis quot ferratis confecimus hastis.
Hæc ait, ac Teucrorum animos dolor occupat ingens;
Immensus, vehemens, columen, namque advena
quanquam,
Præsidiumque erat, & magnæ spes altera Trojæ,
Agmina lecta regens, magnique ipse agminis instar.
Invaduntque aciem Danaum, quos impiger urget
Voce Menœtiades alta, Ajacesque priores
Adloquitur propius, famæque accendit amorem:
Nobile par bello irruite, atque ingentibus ausis
Hoc cumulate decus: jacet is, qui primus Achivum
Perrupit muros Sarpedon maximus. O si
Ab Lyciis trahere, atque armis spoliare liceret,
Et ductorum aliquem duro prosternere ferro.

V. 507. *Magnæ*. Hemisthichium Virgilianum de Ascanio, ,, Magna spes altera Romæ ,, .

V. 508. *Magnique*. Quod Virg. de Clauso in 7. ,, Agmen agens Clausus magnique &c. ,,

Sic fatur, cupidosque satis, furiisque frementeis
Instigat dictis, firmantque utrinque phalangem
Myrmidonesque, atque Argivi, Lyciique, Phrygesque,
Prostratumque ducem circum clamoribus altis
Concurrunt, fragor armorum procul insonat ingens.
Jupiter at magna pugnanteis protegit umbra
Gratificans gnato genitor, Troesque priores
Incurrunt; cedunt, retroque feruntur Achivi,
Myrmidonum namque ex acie clarissimus heros
Fortis Agaclei soboles percussus Epigeus
Corruerat, qui Budio, regnisque relictis
Venerat ad Peleum supplex, Thetidemque decoram
Quum consanguineum mersisset funere acerbo.
At gnato comitem Trojana in bella ruenti
Æacides dedit: hunc saxo petit inclytus Hector
Ad caput, inque duas parteis secat, arma trahentem;
Exuviasque ducis Lycii: super ille cadaver
Exanimis ruit, at fato concussus amici
Infremuit Patroclus, rapidoque per agmina cursu
Prima volat, sturnos olim, turdosve sequenti
Accipitri similis, pugnantemque Sthenelaum
Sternit Ithæmeneo gnatum, cervice sub alta
Percussum saxo ingenti, nervisque recisis.
At retro quantum hasta volat contorta lacerto
Præstantis juvenis pulchro in certamine ludi,
Seu pugna in tristi, tantum Priamejus Hector,
Et reliqui cessere duces; sed terga prementem
Magnanimum Bathyclem conversa fronte repente
Interimit Glaucus, Bathyclem Chalcone creatum,
Myrmidonum quo non opibus felicior alter
Hellade in urbe fuit, transfossus pectora ferro
Corruit, ingentem strepitum super arma dedere.
Ingemuere viri sortem, & fata aspera Achivi,
Exultant Phryges, & corpus stant undique circum.
Dat dolor ipse animos Danais, contraque feruntur.
Meriones, qua maxillæ committitur auris

Digitized by Google

Laogonum primus percussit Onetore gnatum,
Idæi cui sacra Jovis commissa, verendum
Propterea Phrygibus nomen, tum membra reliquit
Spiritus, & longo clauduntur lumina somno.
Merionem contra clypei sub tegmine euntem
Advolat Æneas, telumque intorquet acutum.
Ulterius sed enim fugiens se proripit heros.
Substitit hasta tremens retro, atque infixa quiescit.
Amissum Æneas telum dolet, atque ita fatur:
Saltator, ferrum hos agileis ivisset in artus
O penitus, non fata pari deludere saltu
Fas tibi. Meriones fatur cui talia contra:
At non tu solus pugnantum extinguere robur
Cunctorum potes, Ænea, quanquam inclytus hasta:
Et mortale tibi corpus, quod cuspide dura
Si medium feriam, dabis ocyus hanc mihi laudem,
Plutonique animam Iliacis prostratus in agris.
Talia fundenti: Quid verba minacia jactas?
Indignatus ait Patroclus, non territa verbis
Trojugenum manus exuvias Sarpedonis unquam
Dimittet, ferro, & multo avertenda cruore est.
Consilium lingua; at manibus sunt bella gerenda.
Mitte loqui, o bone, propterea, atque hac utere dextra.
Sic fatus præit in pugnam, sequiturque furentem
Meriones, tum lignorum ceu montibus altis
Cæsorum fragor exoritur, longeque resultat
Tergora sic compacta boum, fulgentiaque æra
Ensibus, atque hastis resonant percussa virorum.
Nec vultum quisquam, aut Sarpedonis ora jacentis
Agnosset facile, telis namque undique tectum,
Pulvereque, & nigro squallebat sanguine corpus.

V. 556. *Spiritus*. Spiritum pro anima in præsenti sensu non semel usurpavit Virgil. *dum spiritus hos regat artus* in 4. *Spiritus intus alit* in 6, sive pro vitali aura, sive pro incorporea mente, ut apud nos accipitur.

Stant circum densæ Teucrum, Danaumque cohortes,
Quam multa in stabulis plena ad mulctralia lacte
Muscarum sese adglomerant examina circum
Æstate in calida. At summus non Jupiter unquam
Iliaco ab campo fulgentia lumina vertit.
Multa super Patroclo genitor sub pectore volvens
Prostratumne super Sarpedona Trojus Hector
Vulneret, atque humeris insignia detrahat arma,
Augeat an miseris duro sub Marte labores.
Id placuit tandem fessos ut rursus in urbem
Trojugenum lectos cuneos, ipsumque repellat
Priamidem Æacidæ famulus dilectus Achilli,
Pluribus occisis Teucrorum, primus & Hector
Correptus subita scandit formidine currus,
Inque fugam vertit sese & rapit agmina secum:
Vergere quippe Jovis non æquo examine lanceis
Sensit enim, fugit & Lycium conterrita pubes
Pectore transfosso Regem ut videre jacentem,
Robora tum juvenum multorum strata suorum
Marte sub ardenti. Confestim fulgida Graii
Arma trahunt humeris, sociis quæ in castra ferenda
Tradidit Actoridæ proles præclara Menœtj.
Jupiter at genitor Phœbo sic farier orsus:
Phœbe age, & ab tristi sublatas stragis acervo
Exuvias gnati liquidis primum ablue limphis,
Et saniem, & nigro manantia vulnera tabo
Terge manu, & super ambrosios infunde liquores,
Atque immortali charum tege corpus amictu.
Tum cursu celeri in Lyciam, patriosque penateis
Portandum Somno, & Morti committe gemellis,
Aggere composito, & lacrimis ubi turba suorum
Justa ferant, qui solus honos jam luce carentum est.
Sic ait, & charo genitori pulcher Apollo
Paruit, Idæi celsoque ab culmine montis
In campum volat Iliacum, & mandata facessit.
At Patroclus bijuges, atque Automedonta ciebat

In Teucros, Lyciosque furens. Miserandus! Achillis
Audiisset jussa, & fatum vitasset amarum.
Consilium sed enim Jovis arte potentius omni
Consiliisque hominum, qui & fortia corda pavore
Territat incusso, ut lubitum, atque in prælia Reges
Sæpe ciet ferro hostili, fatoque domandos.
Quem primum, quem postremum tu in Tartara telo
Misisti, Patrocle, in mortem quum tristia jam te
Urgebant fata? Autonoum, fortemque Pylartem,
Et Perimum Megadem, fortemque occidit Adrastum.
Epistorque cadit, cadit insignis Melanippus.
Inde Elasus perit, atque Echeclus, tum Mulius ingens.
Aufugiunt reliquis; Priamique in tecta ruissent
Myrmidones, furit infandum nam Patroclus hasta.
At non hæc nullis Danais infensus Apollo
Observans oculis sublimi in turre sedebat.
Terque altos Patroclus conatus scandere muros.
Terque immortali dextra exturbavit Apollo
Percutiens clypeum, quartumque immane furentem
Increpitat Deus, & magnum torvo intonat ore:
I procul hinc, Patrocle, haud etenim tibi vertere Troum
Magnanimorum urbem fata indulsere, nec ipsi,
Qui tibi longe armis, & robore præstat, Achilli.
Dixerat, ille Deum veritus retro inde recessit.
Hector equos Scæam ad portam, currusque tenebat
Ancipiti versans animo, num in prælia rursus
Agmen agat, num Trojugenas clamore coactos
Evocet in muros. Volventi talia Phœbus
Adstitit ora gerens juvenis, molemque, oculosque.
Fitque Asius fraterque Hecubæ, prolesque Dymantis,
Priamidæ & magno dilectus avunculus ipse,
Sangarias quique ad ripas Phrygia arva colebat.
Tunc sic adfatur: Cessas, famæ immemor, Hector?
O ego deterior quantum, te fortior essem,
Non tibi ab instanti discedere Marte liceret.
Tenta age, & in Patroclum volucres impelle jugaleis

Sternere forte virum dederit tibi dexter Apollo.
Dixerat, atque alias belli contendit in oras.
Cebrioni extemplo galeatus præcipit Hector
Cornipedes agere in pugnam, præit agmina Phœbus;
Immittitque fugam Danais, fovet Hectoris arma
Ille volat, nec palanteis dignatur Archivos
Sternere; sed Patroclum sequitur, solique minatur.
Sensit, & ab curru terram petit ille, sinistra
Longum hastile gerens, magno tum pondere saxum
Corripuit, poterat quantum comprendere dextra,
Asprum, ingens, niveum, & rapido cum turbine torquet.
Nec longe volat, incassum neque verberat auras
Namque nothum Priamo, curruque ad frœna sedente
Cebrionem ferit; at frontis durissima frangit
Ossa lapis, geminique oculorum ab sedibus orbes
Exiliere suis: pronus tum curribus altis
Urinatori similis ruit, atque ruentem
Irridet Patroclus, verbisque insultat amaris.
Papæ, quam facile in fulva urinatur arena
Tros hic, piscosum veluti se immittat in æquor.
Ille rate ab celsa tumidas securus in undas
Iverit, abque imis evulserit ostrea saxis.
Ut video, urinatores quoque Dardana profert
Terra suos. Dixit rabidi ac de more leonis,
Qui stabulo sævit, transfixus pectora donec
Ipse sua virtute perit, sic turbidus heros
Cebriona invadit; contra adstitit obvius olli
Hector, & ab curru saltum dedit ocyus arvis.
Tum quales gemini occiso de corpore cervæ
Montibus in densis frendent, pugnantque leones
Solicitante fame, ingenti sic robore sese
Patroclusque Menœtiades, & Trojus Hector
Concurrunt, caput hic, plantam tenet ille prehensam
Obnixi contra; at circum densissima pubes
Decernunt ferro, cædesque miserrima surgit.
Ceu montis nemus alticomum, silvamque profundam,

Quum Notus hinc, illinc Eurus magno impete certant
Eruere, aut fagos patulas, aut cortice pingui
Antiquas cornos: collisi murmure vasto
Franguntur rami, & strepitus procul adsonat ingens.
Talis in arma furor, nec sævis cognita Graiis,
Nec Teucris fuga. Cebrionem circumque, supraque
Defixæque hærent hastæ, pennataque tela,
Saxaque, & ingenti saxorum pondere fracta
Scuta virum, medio in nimbo, atque in vortice densi
Pulveris ipse ingens, spatioque ingente jacebat
Et currus nitidi, & magnorum oblitus equorum.
Atque diem Phœbus medio dum æquabat Olympo,
Ancipiti sub Marte Phryges, Danaique cadebant;
Quum vero Hesperias jam Sol vergebat in undas,
Succubuere Phryges, potiuntur corpore, & armis
Cebrionis Danai; at Patroclus clamore furenti
Ter ruit, & ferro in Teucros grassatur acuto,
Terque novena virum prostravit corpora lætho.
Dein quartum ruit (extremum tibi namque parabant
Fata diem, Patrocle) invadentique agmina Phœbus
Adstitit horrendus, densa caligine tectus,
Nec visus cuiquam: impacta tum tergora dextra:
Atque humeros quatit, olli oculi caligine torpent;
Excussæque jubæ capiti, calcataque equorum
Sub pedibus galea alta sonat revoluta per agros,
Sanguineque, & nigro squallebant pulvere cristæ.
Ante quidem inviolata comas, ac tempora circum
Fulserat Æacidæ divino ab vertice Achillis.
Jupiter Hectoreo capiti dedit inde ferendam,
Postremum decus heu! misero, atque in fata ruenti:
Hastaque fracta manu gravis, ingens cuspide ahena.

V: 712. *Adstitit horrendus*. Ergo fortissimus Hector Patroclum sternere non potuit nisi prius ab Euphorbo percussum, & ab Apolline exarmatum?

„ Quandoque bonus dormitat Homerus „.

Tum loro abrupto clypeus delapsus, & altis
Ex humeris thorax. Stupuit perterritus heros,
Atque per ossa tremor gelidus labefacta cucurrit:
Attonitoque humeros inter longam ingerit hastam
Panthoides pone Euphorbus, quo insignior alter
Non cursu volucri, aut jaculo, frœnisve regendis
Dardanios inter juvenes, bisdenaque Grajum
Curribus ab celsis ferro exturbaverat olim
Corpora, quum primis Martem tentaret in armis.
Ille prior Patrocli violavit vulnere membra,
Nec domuit, raptimque hastam de vulnere traxit,
Et fugiens retro ad socios secessit, inermem
Substinuit nec enim æratis ipse integer armis.
At Patroclus Phœbique ictu percussus, & hasta
Panthoidæ Euphorbi, retro conversus abibat
Insequitur prope Priamides, atque ile sub imum
Telum adigit penitus: magnum insonuere cadenti
Arma super, dolor atque ingens invasit Achivos.
Ac velut ille agrestem aprum leo turbidus urget
Exiguum propter fontem sitis arida utrumque
Solicitat, fremituque sonant nemora avia circum,
Donec anhelantem domuit leo viribus aprum.
Sic Patroclo vastanti acies ferro inclytus Hector
Eripuitque animam, tumidoque hæc addidit ore:
Patrocle, vastaturum almæ te mœnia Trojæ,
Iliacas & opes, captivaque corpora matrum
Litus in Argolicum ducturum puppibus altis
Credideras. Demens, nec enim stridente sub axe
Hectorei bijuges frustra, aut fortissimus ipse
Trojugenum nitidis sudaverit Hector in armis,

V. 727. *Euphorbus*. Hic est Euphorbus Panthi Sacerdotis filius, quem in sequenti libro Menelaus interficit. Hujus Euphorbi animam in se transmigrasse ajebat Pytagoras. Tullius hunc ab Achille, aut Ulysse interfectum scribit, memoria lapsus, quod jam alii adnotarunt.

Alitibus linquere feris, nec magnus Achilles
Profuerit tibi, qui in Teucros, pugnasque profecto
Multa rogans mandata dabat: non litus ad altum
Regredere, Argolicasque rateis, mihi chare, priusquam
Hectoreos humeros circum thoraca cruentum
Discideris. Dixit, miseroque hæc talia suasit.
Dixerat hæc, contra adloquitur quem languidus heros:
Gaude, Hector, Patroclò domito, ac te robore jacta,
Quandoquidem Jovis, ac Phœbi me numine victum,
Exutumque armis telo insectaris acuto.
His ego bis denos simileis Acherontis ad undas
Misissem facile; at Phœbus me hoc vulnere mactat,
Fataque, & Euphorbus cunctorum ex agmine Teucrum,
Tertius ipse armis frueris, spoliisque peremptum
Accipe nostra tamen: non me, turpissime, cæso,
Victor, nec longum lætabere, te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis,
Æacidæ occisus dextra, & victricibus armis.
Hæc ait, atque oculos tenebræ obtexere loquenti,
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras
Multa fremens decus amissum, floremque juventæ.
Exanimem contra adloquitur sic Trojus Hector.
Quid mihi, tu miser, impendentia fata minaris?
Cui notum an Diva Nereide natus Achilles
Hac ingentem animam moriens efflaverit hasta?
Sic fatus calido telum de vulnere traxit
Pectora calce premens læva, repulitque supinum.
Confestimque furens ferro Automedonta petebat
Pelidæ aurigam, tamen hunc procul inde jugales
Extulerant immortali de stirpe creati,
Æacidæ quondam ab Divis data munera Peleo.

V. 772. *Vitaque*. Versus Virgilianus in 12. de Turno moriente.

LIBER DECIMUS SEPTIMUS.

ARGUMENTUM.

De Patroclo interempto acris pugna committitur. Menelaus Euphorbum interimit: Hector suos hortatus induit arma Achillis, ad quem mortem Patrocli nuntiaturus Antilochus a Menelao mittitur. Ipse interea, & Meriones Patrocli cadaver sublatum, utroque Ajace propugnante; & hostes ingruentes arcente, versus naves ferunt.

UT Patroclum occubuisse videt Menelaus Atrides
Procedit primam ante aciem nitido ære refulgens,
Lactentemque velut vitulum tegit anxia mater
Multa gemens primũ Lucinæ experta laborem,
Sic Patroclum juxta, venienteis excipit, hastam
Prætendens, clypeique orbem Menelaus Atrides.
At prope Panthoides Patroclum pulcherrimus heros
Adstitit intrepidus, flavumque adfatur Atridem:
Cede loco, Atride, exuviasque relinque cruentas,
Nam neque Teucrorum, aut sociorum ex agmine quisquam
Ære Menœtiadem petiit prior: hanc, sine, laudem
Trojanos inter referam, jactemque triumphos,
Aut comitem Patroclo mittam hoc te in Tartara ferro,
Hæc Pantho satus, Atrides dein talibus infit:
Jupiter omnipotens, quantum se extollere turpe est!
At non Panthæræ hos animos, non pessima tygris,
Aut leo, vel rabido in silvis sub pectore condit
Torvus aper, quo non truculentior ulla ferarum est,

Euphorbo qualis, generique ferocia Panthi.
Atqui non domitor quondam me Hyperenor equorum
Sprevit, & impune imbelſem me voce vocavit
Grajugenis coram juvenili robore fretus.
Nam neque dilectam uxorem, dulceisque parenteis
Oblectasse reor reducem, sic vana tumentem
Te quoque prosternam: turbæ immiscere tuorum,
Si sapis, adversum nec te mihi confer in armis.
Gesta docent stultos; sapiens videt ante gerenda.
Dixerat, & juvenis contra hæc interritus infit:
At mihi de occiso, cujus te funere jactas,
Fratre lues pœnas, thalamo viduata recenti
Quem conjux, charique dolent, deflentque parentes;
Mœrorem sed enim exuerint, ubi Phrontidis ipse,
Inque manus Panthi genitoris victor ademptum
Tradidero caput hocce tuum, splendentiaque arma.
Tentandumque manu jam non certaminis expers,
Nec virtutis opus, terrorisque atque pericli.
Dixerat, & clypeum telo petit; ære reflexo
Sed cuspis resilit, validum neque perforat ictu.
Deinde ruis, Menelae, Jovem per vota precatus,
Perque viri mollem cervicem ferrea cuspis
E regione abit, horrendum sonuere cadenti
Arma super, Charitum similes tum sanguine crines,
Cincinnique auro innexi, argentoque madescunt.
Qualis ubi plantam late frondentis olivæ
Vir colit, & puris nitidus fons alluit undis,
Lætaque consurgit, placidisque adsibilat auris
Mota comam, niveo candens pulcherrima flore,
At subitus rapido insurgens cum turbine ventus
In terram jacit evulsam ab radicibus imis.
Talem Panthoidem domitum spoliabat Atrides.
Umbrosisque leo veluti nutritus in antris
Armento ex omni præstantem mole juvencam
Corripit, & pingui primum cervice refracta,

V. 19. *Euphorbo*. Hic ille est, cujus animam in se transmigrasse dicebat Pythagoras.

Viscera dein nigrumque haurit rabido ore cruorem.
Pastores procul, atque canes clamoribus instant,
Nec cuiquam irasci, propiusve accedere virtus.
Sic nullus tibi Trojugenum, Menelae, resistit,
Eriperesque arma exanimi, ni infensus Apollo
Ductoris Ciconum Mentæ mutatus in ora
Priamidem tali urgeret sermone propinquum:
Quo properas currum, bijugosque sequutus Achillis
Difficileis hominum cuiquam frœnarier, ipsum
Pelidem præter mortali haud matre creatum?
Panthoidem interea Euphorbum Menelaus Atrides
Exanimem circum Patroclum sævo ære peremit.
Hæc Deus, atque alias belli festinat in oras.
Infremuitque dolore gravi, gressumque tetendit
Priamides circumspectans, videt arma trahentem
Hinc Menelaum; Panthoidem videt inde jacentem.
Manantemque viri per lactea colla cruorem.
Tum vero ruit inclamans, Vulcania quantum
Flamma furit, latuit magnum neque clamor Atridem.
Continuo hæc secum: fugiam, exuviasque relinquam
Atque Menætiadem, nostrum qui propter honorem
Hic jacet? Argivæ at vereor convicia gentis.
Priamidem solus contra, Teucrosque ruenteis
Pugnabo? at venient unum Phrygia agmina circum,
Namque globos rapit huc omneis crista arduus Hector.
Sed quid ego hæc? Nulli invitis fas fidere Divis,
Dilectosque Jovi impune insectarier armis.
Cedamus: mihi non Danaum succenseat ullus,
Namque jubente Deo totis furit Hector in agris:
O Telamoniadæ vox si mihi nota sonaret!
Fatum etiam contra irruerem, si forte referrem
Pelidæ exanimem Patroclum, tot namque malorum

V. 73. *Hæc secum*. Similis deliberatio supra in ore Ulyssis. Ibi tamen Ulisses resistit, atque honori consulens mori vult potius quam fugere. Menelaus hic in Deos culpam rejicit, & sibi prospicit.

Hoc minimum foret, Hæc tacito sub pectore volvit.
Priamidem interea Troes, sociique sequuti
Ingruerant, ille actutum vestigia torsit.
Exanimem linquens Patroclum, retroque subinde
Vertebat sese: barbatum ut sæpe leonem.
Pastoresque, canesque abigunt latratibus altis,
Et jaculis, ille invitus stabula alta relinquit
Asper, acerba fremens, Patroclum sic linquit Atrides,
Nec stetit ad socium donec pervenerat agmen,
Vestigatque oculis Ajacem, forte labanteis
Ad lævam cuneos, turmasque ciebat Achivas
Ille furens, quibus ingentem Grynæus Apollo
Terrorem indiderat, quem cursu concitus heros
Talibus adfatur: propera huc, fortissime, Achilli
Ut saltem exanimum liceat deferre sodalem,
Nudum,inquam, namque arma tulit jam Trojus Hector.
Sic infit, movitque animum: ruit inclytus.Aiax
Primorem ante aciem, sequitur quem flavus Atrides
Exueratque armis Patroclum, corpusque trahebat
Hector, ut ex humeris meteret caput ære corusco,
Raptandumque daret canibus per plana cadaver.
Adstitit huic Ajax ingentis turris ad instar
Scuta gerens, abit in turbam retro illicet Hector,
Conscenditque rotas, sociisque in castra ferenda
Arma corusca dabat, decus immortale futura.
At Patroclo clypeum obtendens Salaminius heros
Constitit, ut quondam catulis leo pone relictis
Obvius antevolat venatorum agmina contra,
Demissoque supercilio fera lumina obumbrans,
Torvam aciem jamque huc frendens, jam dirigit illuc.
It comes huic, luctumque premit sub pectore Atrides.
At trepidum Glaucus,properantemque Hectora cernens,
Compellatque ultro, & verbis insultat amaris:
O forma, & famæ melior mendacis honore
Quam dextra, factisque, Hector, nunc mœnia Tute
Indigenæque tui ferro defendite soli,

Nec sociis Lyciorum armis jam fidite, nulla
Tot pro sanguineis queis gratia reddita pugnis.
Tune virum imbelli hac dextra prostraveris ullum,
Hospitis, & socii exuvias, atque aurea passus
Ferre Menœtiadem clari Sarpedonis arma?
Qui te, qui Priamum ptopter discrimina belli
Tot tulit; at non tu ab canibus servare jacentem
Ausus; quod si me lyciorum turba sequetur,
Ibimus in patriam: ruat alto ab culmine Troja.
Hos animos utinam gererent sub pectore Teucri,
Quales esse decet pugnanti arisque, focisque
Pro patriis, Patroclum Priami ferremus ad urbem.
Confestim Danai Sarpedonis arma vicissim
Tradiderint, corpusque viri tumulare liceret.
Namque ducis cecidit socius, quo insignior alter
Non ratibus fuit Argolicis, cuique inclyta pubes.
Sed non tu Ajacem ferro exspectare ruentem
Ausus enim, longe hostileis discernere vultus,
Non ruere adversum solitus, nam robore præstat.
Hunc torvum intuitus, respondet talibus Hector:
Tene hæc dura loqui, Glauce, atque indigna relatu?
Atque equidem te consilio præcellere cunctis
Credideram, quotquot latis Lycia educat agris
Desipis at; tu me Ajacem effugisse minantem
Argueris? nec enim pugnam, strepitumve frementum
Æripedum metui, verum arte potentius omni
Consilium Jovis, ingentum qui maxima Regum
Corda fuga domat, & subita formidine terret,
In pugnam licet excierit; verum adspice crudum
Martis opus, meque ignavum, imbellemque vocato,
Si non exanimi ab Patroclo turbata repellam
Agmina Grajugenum. Dixit, Lyciasque cohorteis,
Dardaniamque manum, adloquitur, Teucrosque
comatos.
Huc conferte pedem, juvenes, dum fortis Achillis
Nuper adempta Menœtiadæ pulchra induor arma.

Digitized by Google

Tantum effatus abit, sociosque ad mœnia missos
Assequitur cursu, & strepitu procul, atque tumultu,
Ille quidem sua Trojugenis dedit inde ferenda,
Armisque Æacidæ immortalibus induit artus,
Inclyta quæ Peleo dederant Dii dona parenti,
At gnato senior Peleus; non ille paternis
Sed tamen optatum ad senium venturus in armis.
Talia despiciens ab cœlo Jupiter alto
Quassavit caput, & tacito hæc sub pectore fatur.
Infelix! menti haud quaquam mors dura recursat
Heu nimium vicina tibi: immortalia demens
Induis arma viri, quo non præstantior alter,
Ex capite, atque humeris Patrocli detracta perempti.
Nunc tamen hoc saltem lætabere victor honore,
Nam neque te Andromache reducem de Marte cruento
Excipiet, trahet aut humeris arma inclyta Achillis.
Hæc ait, atque supercilio annuit ille nigranti.
Armaturque Hector, totus tum pectora Mavors
Irruit, insolitusque viro perque ossa, per artus
It vigor, Æacidæ visusque simillimus ipsi
Ingenti clypeo, galeaque coruscus Achillis.
Tum socios adit, atque ardens in prœlia cogit
Mesthlenque, Glaucumque, Medontaque, Thersilochumque;
Et magnum Hippothoū, præstantemque Asteropæum,
Phorcinque, & Chromium, & Disinora, & Ennomon augurem,
Hortaturque viros, acuitque his pectora dictis.
Audite, o socii, vestræ haud opis indigus ipse,
Agminis aut tanti, vos hæc in bella vocavi
Urbibus ex patriis, victuque, opibusque juvavi,
Et dictis, donisque animos ingentibus auxi,

V. 174. *Armaturque Hector*. Quasi cum armis ipsos Achillis animos, ac virtutem induisset, armaque ipsa velut ex contactu Achillæi corporis, divina virtute prædita forent, & fortitudinem supra humanam largiri viderentur.

Digitized by Google

Ut mihi Teucrorum uxores, gnatosque, lareisque
Defenderetis vim contra, & robur Achivum.
Propterea audendum, perdendaque vita sub armis,
Aut servanda semel: sævi hæc commercia Martis.
At Patrocli, pulso si quisquam Ajace, cadaver
Traxerit ad Teucros, spoliorum parte fruetur
Dimidia, exuvias mecum, & partitus honorem.
Hæc ait. In Danaos olli sublimibus hastis
Adproperant, sibi cessuros Danaumque maniplos,
Ajacemque rati. Dementes: ille jacentis
Corpore quot super horrendum demittet in orcum?
Ast Ajax: non incolumes, charissime Atride,
Ibimus hinc, ait, haud Patrocli de corpore tantum
Jam metuo (mox ille canes, pascetque volucres)
Amborum quantum capiti, namque omnia circum
Detonat arva Hector, nobis labor ultimus instat.
Perge, age Grajugenum lectissima robora coge.
Audierit siquis. Suadenti talia paret
Confestim Atrides, alta & sic voce profatur:
Argivum proceres, lautis qui accumbere mensis
Atrides propter soliti, & quos lecta sequuntur
Agmina Grajorum (Jovis autem gloria tota est,
Atque honor imperii) vos, nam mihi cernere quemque
Difficile est turba in densa, armorumque tumultu,
Vos, inquam, properate, boni Patroclique jacentis
Teucrorum ab manibus ferro defendite corpus.
Talia clamanti primum se sistit in armis
Clarus Oiliades, Cretæ tum rector opimæ
Idomeneus, atque Idomenei comes impiger, heros
Meriones Marti similis; sed nomina quisnam
Lecta ducum facili possit comprendere cantu?
Dardanidæ incumbunt primi, præit igneus Hector,
Fluminis ac veluti properantis in ostia, fluctu
Quum fremit oceanus, fulvæ miscentur arenæ,
Confliguntque undæ, & litus procul omne remugit,
Tantus in astra Phrygum consurgit clamor; Achivis

Digitized by Google

Idem animus, clypeis & tecti corpora ahenis
Circumstant Patroclum, favet his caligine densa
Jupiter omnipotens prognatum namque Menæteo,
Viventem, & famulum Æacidæ dilexerat olim,
Nec canibus prædam fieri volet ille peremptum,
Inspiratque animos Danais: pepulere paventeis
Dardanidum sed enim turmæ, trepidique relicto
Corpore terga dabant: sed non & sternere quemquam
Trojugenis licuit, Patroclum tamen inde ferebant,
Quum subito Argivi conversa fronte resistunt.
Urget enim Telamone satus, quo præter Achillem
Non quisquam Danaum mole, aut præstantior armis.
Primoresque inter Teucris sese obvius effert
Quantus aper turbamque canum, turbamque virorum
Dissipat huc, illuc saltu conversus in alto.
Fracta sonant virgulta, strepit nemus omne tumultu.
Sic Teucrorum Ajax vertitque, ruitque maniplos,
Qui Patroclum jamjam Trojana in tecta ferendum
Crediderant, laudemque sibi, famamque daturum.
Namque pedem loro innexum per plana trahebat
Hippothous Lethi proles generosa Pelasgi.
Teucris gratificans; sed non fata ultima Teucri
Ab misero pepulere, volat nam fraxinus ingens
Ajacis contorta manu, & malas per ahenas
Fulgentis galeæ cerebrum perrumpit in altum,
Permixtumque cruore trahit, tum frigore membra
Solvuntur, dextraque pedem languente remittit
Ingentis Patrocli, atque super ruit ille cadaver
Larissa procul ab pingui florente juventa
Ajacis telo domitus. Contra insilit Hector,
Ajacemque petit; sed flexu corporis heros
Subtrahitur, Schediumque procul transverberat hasta
Iphitidem, Panope fuerant cui sceptra, domusque
Phocaicosque inter dextra præstabat, & armis.
Huic jugulum venit in medium, perque ærea cuspis
Summum humerum transit,resonantque immane cadenti

Arma super, deinde Hippothoum Phorcina tuentem
Phœnopidem medium ad ventrem petit efferus Ajax,
Perrupitque cavum thoracem, & viscera ferrum
Rimatur calidum, telluremque ille prehensam
Semianimis premit; ast Hector, Troesque recedunt:
Incumbunt Danai, & magno clamore per agros
Hippothoum, Phorcinque trahunt, spoliisque fruuntur.
Iliacosque etiam muros, & tecta petissent
Trojugenæ, ac decus Argivi immortale tulissent
Fata Deum præter virtute, & robore dextræ,
Æneam nisi Graiugenis infensus Apollo
In pugnam exciret Periphanti corpore, & armis
Præconi Epitidæ similis, qui munere tali
Functus apud Patrem longos jam vixerat annos,
Consilio bonus, hunc simulans sic fatur Apollo:
Tun' Diis invitis Priami servaveris urbem
Dux Anchisiade, multo ceu milite freti
Roboreque, & virtute alij fera prœlia miscent?
At Teucris potius nunc Jupiter annuit æquus,
Quam Danais, fugitis, sed enim formidine inertes.
Dixerat, agnoscitque Deum perterritus heros,
Hectoraque adfatur: Non te pudet, optime Teucrum
Vosque, o Trojugenum proceres, sociique potentes,
Vi domitos Danaum retro contendere in urbem?
Atqui Trojugenis (mihi sic testatus Apollo est)
Jupiter ipse favet, dextro Jove in arma ruamus.
Nec saltem exanimem Patroclum sine cæde quieti
Ad naveis tulerint. Tali ciet agmina voce,
Intrepidusque præit: conversa fronte resistunt
Dardanidum turmæ. Æneæ Liocritus hasta
Gnatus Arisbantis cecidit: miseratus amicum
Prosilit, & telum Lycomedes torquet acutum,
Hippasidemque volans Apisaona percutit hepar
Ad medium, subterque adigit præcordia ferrum.
Pæoniisque procul campis, tectoque paterno
Languescit moriens, taurum minor Asteropæo

Ardenti in pugna; at casum indignatus amici
Grajugenum turmas frendens petit Asteropæus,
Nec penetrare datur, clypeis namque undique septi,
Qui stabant Patroclum circum, densantur Achivi,
Prætenduntque hastas, retro neque cedere quemquam,
Ante aliosve sinit procurrere longius Ajax
Multa jubens, nigroque madescunt sanguine campi.
Atque alios alii super Argivique, Phrygesque
Pugnabant; tamen haud plures cecidere, vicissim
Namque tuebantur sese, furit undique Mavors.
Flammæ instar, nec Solem ipsum, Lunamve putares
Pugnarum experteis penitus, caligine densa
Namque Menœtiadem circum tegit undique nubes.
At reliqui claroque die, cœloque sereno
Certabant Phryges, ac Danai, nec ab æquore toto,
Montibus aut altis ardentem nubila Solem
Lenibant, segnesque viri sese eminus hastis,
Missilibusque petunt, medio sed turbine belli
Pulvereoque alii versantur vortice Achivi,
Antilochum præter, magnum & Thrasymedea fratres,
Fata Menœtiadæ queis nondum audita; sed ipsum
Vivere, Dardaniosque putant vastare maniplos,
Stragemque intuiti sociorum prælia miscent.
Namque viros genitor crebris hortatibus urget
Puppibus ab celsis. Patroclum pars maxima circum
Pugnarum ingenti premitur sub mole, diemque
Per solidum genua, atque pedes, atque ora, manusque
Sanguineque, & largo juvenum sudore madebant.
Atque bovis magni ut saturam pinguedine pellem
Quum circum positi distendunt viribus æquis
Inde viri, atque hinc, sudat adeps, & liquitur humor,
Sic Troes, Danaique trahunt, retrahuntque cadaver
Exiguo in spatio, Teucri nam mœnia versus,
Adque cavas Danai certant perducere puppeis.
Atrox pugna diu, neque segneis ferreus ipse
Argueret Mavors, bellis aut aspera Pallas.

Tale virum Patroclo super, & certamen equorum
Jupiter excierat. Nec Peleo gnatus Achilles
Audierat quicquam, nam longe ab navibus illi
Mœnia pugnabant circum, Patroclumque putabat
Teucrorum agminibus pulsis sua jussa sequutum
Inde reversurum, sine se nec Pergama credit
Expugnanda duci, neque secum, sic Dea namque
Sæpe dolens gnato genitrix prædixerat olim;
Sed non Diva parens dilecti funus amici
Scire virum, aut tantum voluit perferre dolorem.
Interea certantque hastis, perimuntque, caduntque
Sorte pari, atque aliquis socios adfatur Achivos:
O pudeat, juvenes, naveis repedare sub altas,
Pugnanteis sed enim subter nigra terra dehiscat.
Id satius, quam Troiugenis hanc cedere laudem
Ereptum ut Patrocli ducant in tecta cadaver.
At contra Troum & quisquam: moriamur, amici,
Hic omnes licet, ab pugna discedite nunquam.
Sic dictis acuuntque animos, Martemque fatigant.
Ferreus at strepitus cœli se attollit in auras.
Hinc procul Æacidæ biiuges in parte reposta.
Amissum aurigam flebant cruda Hectoris hasta.
Jamque minis Diore satus, jam flectere blandis
Tentabat precibus frustra, teretique flagello.
Illi nec retro ad naveis, & littora cursu
Tendere, nec ruere in pugnam; sed more columnæ,
Antiquum propter tumulum quæ mole sua stat,
Sic pronum caput immoti, ac defixa tenebant
Lumina guttisque humectabant grandibus ora,
Fædatæque jubæ amborum. Miseratus ab alto est
Jupiter adspectans, tacitusque hæc mente revolvit.

V. 352. *Amissum aurigam flebant*. Similis fletus equorum apud Maronem in 12. „ Positis insignibus Æthon
„ It lacrimans guttisque humectat grandibus ora.

Ah! cur vos senii experteis, fatique caduci
Peleo tradidimus mortali e semine nato?
Scilicet ut mala vos hominum, durique labores
Afflictent miseros, nam quot sub Sole moventur,
Respirantque auras, non ærumnosior ulla
Stirps viget; at curru non hoc, nec vectus in istis
Hector equis sacras Trojæ conscenderit arceis.
Non patiar: satis est olli quod victor Achillis
Exuviis ovat; at vobis per membra vigorem
Immittam, ut pugna incolumem Automedonta feratis
Argivum ad puppeis, decus hoc namque Hectoris armis
Fata parant, rursum ut Danaos ad littora trudat,
Depictasque rateis, pelagi dum Phœbus in undas
Flectat equos, terrisque atra nox incubet umbra.
Sic fatur, roburque animis inspirat equorum.
Excussaque juba actutum, Danaumque volabant,
Dardanidumque acies inter: furit æquore toto
Automedon, ruit in densos ceu vultur olores,
Invaditque datis, iterumque refertur habenis;
At non ille viros ferro sternebat acuto,
Nam neque solus equos poterat cohibere comanteis,
Atque hastam torquere manu: tandem obvius agris
Astitit Amonidæ Laercei clara propago:
Alcimedon, verbisque virum compellat amicis:
Incassum furis, Automedon, tibi numina sensum
Abstulerint. Solusne Phrygum penetrare phalangas
Audes? namque tibi comes est occisus: Achillis
Arma ferens humeris exultat Dardanus Hector.
Huic contra Automèdon ades, o quo nullus Achivum
Flectere cornipedum immortalia corpora equorum
Doctior, excepto Patroclo, dum carperet auras.
Nunc fato jacet: at biiugum moderare frementum
Fræna manu, terram ipse petam, Martemque ciebo.
Hæc ait, Alcimedon saltu conscendit in axem,
Loraque molitur dextra, tum curribus altis
Desilit Automedon, cernensque hos ire per agros

Adſtantem Æneam adfatur sic Trojus Hector:
Inclyte Teucrorum ductor, velocis Achilli
Nuper equos vidi ignavis cessisse magistris,
Captandosque reor, mecum si invaseris ipse,
Nam neque nos ausint olli expectare ruenteis.
Paruit Æneas, humerosque ingentibus ambo
Tergoribus tecti taurorum, atque ære corusci
Adproperant, comites queis se per gramina jungunt
Aretus, Chromiusque viros prosternere ferro,
Capturosque rati biiuges cervice comanteis.
Dementes, nec enim fuso sine sanguine retro
Cessuri fuerant. Sensit fortissimus heros
Automedon, patremque Jovem per vota precatus
Restitit haud solito perfusus robore membra.
Tum fidum adfatur comitem: Me pone jugales
In dorsum inspirent sinito, charissime Grajum.
Priamides nec enim prius hinc abscesserit Hector,
Quam curru, auricomis & equis potiatur Achillis,
Turbatisque globis Danaum, nobisque peremptis,
Ipse vel occiderit. Dixit, clamatque per agros
Ajacemque vocans, atque Atridem Menelaum
Exanimem Patroclum ducibus committite lectis,
Qui telis obeant circum, Teucrosque repellant.
Nos vivos fato eripite, o clarissima Achivum
Nomina, namque hac Æneas, & maximus Hector
Priamides ruit adversum; sed robur in armis,
Pugnarumque viceis moderatur Jupiter: ipse
Nunc jaculor, Jovis & Superum sint cætera curæ.
Sic ait, atque emissa manu simul evolat hasta
Ingentem Areti in clypeum, perque incita cuspis
Terga boum, perque æra meat, ventremque sub altum
Figitur, ac tremulo prærumpit viscera motu.
Tum ceu quum validus juvenis fulgente bipenni
Agrestis jugulum bovis inter cornua retro
Tendinibus secat abruptis, resilitque repente,
Et cadit exanimis, cecidit sic ille supinus,

Hinc telo Automedonta petit fortissimus Hector ;
Ulterius sed enim saliens vitavit acerbum
Ille ictum, retro tellure infixa profunde
Hasta diu tremit. ereptis jamque ensibus ambo
Irruerent; verum magnis clamoribus acti
Ajaces gemini adveniunt: cessere coacti
Ductores veriti Danaum Priamejus Hector,
Duxque Anchisiades, Chromiusque, & funere acerbo
Prostratum Aretum linquunt, quem fervidus armis
Exuit Automedon, tumidoque hæc gutture jactat,
De Patroclo occiso mærorem hac parte levavi.
Nobiliorem utinam adversum fortuna tulisset.
Dixerat, exuviasque ferens, atque arma cruenta
Conscendit currum fœdatus sanguine dextram,
Atque pedes, leo ceu taurum depastus in agro.
At Patroclum circum fervet tristissima pugna.
Namque animos Danaum cælo delapsa Minerva
Ab Jove missa ciet, Grajum quippe arma secundat
Conversus pater ; abque altis ceu nubibus Iris
Apparens quondam misero seu tristia bella
Terrigenum generi, aut hiemem portendit aquosam,
Languescunt pecudes, cessantque opera, atque labores
Florentum juvenum, tali Dea tristis amictu
Grajorum ingreditur turmas, primumque propinquum
Atridem adloquitur, vultum, vocisque sonorem
Phœnicis referens: Neque te, Menelae, pudebit
Præstantis Patrocli lanianda relinquere membra
Trojanis canibus? Quin tu pugnamque capesse,
Atque hortare tuos. Contra sic fatur Atrides:
O Phœnix, longæve pater, mihi cœsia Pallas,
Si robur daret, ac telorum averteret ictus,
In Teucros ruerem solus, Patroclumque tuerer,
Namque virum eximium dolui, doleoque peremptum,
At flammæ similis furit Hector, & agmina vertit
Quippe suis decus hoc voluit dare Jupiter armis,
Talia voce refert. Gaudet Jove nata Minerva

Digitized by Google

Ante Deos quod se reliquos in vota vocasset,
Indidit insuetumque humeris, genibusque vigorem,
Muscarumque animos, quæ primum, ac sæpe repulsæ
Acrius hoc instant, cruor est dulcissimus illis
Namque hominum, tali perfusus robore Atrides
Ad Patroclum properat, telumque intorquet acutum.
Forte Podes Teucros inter satus Eetione
Dives erat, promptusque manu, charissimus unus
Priamidæ; venit hasta viro, & qua baltheus auro
Resplendet, cohibet fugientem, hæretque profunde.
Insonuitque cadens, lapsumque ex agmine Teucrum
Atrides trahit ad Danaos; verum Hectora Phœbus
Excitat in pugnam vocem mentitus, & ora
Phænopis Asiadæ, quem Trojus Hector Abydo
Devectum ab patria, hospitibus magis omnibus unum
Dilexit, simulansque virum sic fatur Apollo:
Tene ullus Danaum jam formidaverit, Hector?
Atridemne fugis Menelaum? at frigida quondam
Dextra viro: nunc victor abit, gnatum Eetionis
Hinc referens charumque tibi, fidumque sodalem.
Hæc fatur, juvenisque animum nigra obtegit umbra,
Et primum ruit ante agmen nitido ære coruscus.
Jupiter at densis tegit altam nubibus Idam,
Ægidaque horrificam quassans immane per auras
Fulgure cum subito intonuit Teucrum arma secundans,
Immittitque fugam Danais, primusque per arva
Peneleus fugit: huic humerum namque hasta per altum
Panthoidæ volat acta manu, summamque recidit
Osse super pellem. Leitum dein percutit ardens
Hector Alectrionis sobolem dextramque ruentis
Ære ferit, trepidus campis, pugnaque relicta
Evolat attonitos oculos hinc, inde revolvens.
Ægra manus nec enim validam jam sustinet hastam.
Hectoris Idomeneus thoracem pectora juxta
Impetit, exclamant Troes; sed fraxinus ingens
Frangitur. Idomenea petit contra efferus Hector

Deucalidem curru stantem; sed devia cuspis
Merionis procul armigerum de curribus altis
Cœranon exturbat, Lyctus qui ad litora puppeis
Linquens ipse virum fuerat pedes usque sequutus,
Trojugenasque etiam magno cumulasset honore
Merione extincto, celeres nisi flecteret ipse
Cæranus æripedes, comiti sic ille salutem
Fata sibi peperit, malam namque inter & aurem
Hasta subit, denteisque omnes, linguamque revulsam
Exspuit ille cadens, pictasque effundit habenas.
Meriones rapit has subito, sicque ore profatur:
Idomeneu, Graium ad naveis age verbere bigas.
Ab Danais namque ad Teucros victoria transit.
Sic infit, paretque heros, biiugesque fatigat.
Namque animo timor inciderat; conversaque fata
Pugnarumque vicem flavus cognovit Atrides,
Cognorunt gemini Ajaces, tum talibus heros
Adfatur Telamoniades: Jam Jupiter armis
Dardanidum favet, o socii, notissima cuique
Eloquor: ignavi, aut fortis vix ulla sine ictu
Tela volant, tenueisque regit pater ipse per auras;
Irrita nostra cadunt, agite, atque huc vertite mentem,
Ut Patroclum ab Teucris Argivum in castra feramus,
Dilectosque ipsi reduces solemur amicos,
Namque oculos in nos conversi ingentibus ipsi
Jactantur curis, nec jam subsistere Teucros
Posse putant contra, bellique hic mole premendos.
Pelidæ o quisquam charum cecidisse sodalem
Nuntiet, haud etenim Danaum narraverit ullus.
At circum obductos nebula currusque, virosque
Cernere non licet. O genitor Divumque, hominumque,
Redde diem saltem miseris, cœloque sereno
Perde, Pater, lubet Argolicam si perdere gentem.
Sic infit, gemitusque Jovem tetigere precantis.
Illicet emota Phæbus caligine fulsit,
Atque acies, campique procul, currusque patescunt,

Tum Telamoniades : agros circumspice , Atride;
Nestoridem Antilochum si sorte inveneris : ille
Pelidem ad magnum properet , charumque sodalem
Nuntiet extinctum . Dixit , paretque jubenti
Atrides, torvusque velut stabula alta relinquens
Discedit leo , quem vigiles sub nocte silenti
Pastoresque , canesque frementem avertere certant.
Ille ruit stimulante fame , & sese undique vertit
Incassum tamen , audaci nam spicula torquent
Crebra manu , ardenteisque oculorum in lumina fasceis.
Tum frendens abit instantis jam luce diei .
Haud secus ab Patroclo invitus discedit Atrides,
Namque timet ne se prædam formidine adacti
Trojugenis linquant Danai , sociosque precatur :
Meriones , vosque Ajaces , nunc volvite quisque
Mite Menætiadæ ingenium , moresque serenos
Omnibus ille etenim blandus , facilisque patebat
Dum vixit , nunc fata tenent , orcique tenebræ.
Tantum effatus abit prospectans undique circum ,
Armiger ut Jovis , alituum cui nullus acuto
Certarit visu : non illum nube sub alta
Pendentem lepus arbusta inter densa recumbens
Fugerit, actutumque ruit , rapidoque volatu
Sublimem rostro , pedibusque eviscerat uncis .
Sic , Menelae , tibi jamque huc volvuntur , & illuc
Lumina Nestoridem quærenti . Ast ille catervas
Pugnarum ad lævam Martem hortabatur in acrem ,
Quem prope consistens adfatur talibus heros :
Huc ades , Antiloche , o nimium non vera fuissent ,
Quæ tibi cumque fero , Teucrum victoria tota est ,
Exitium miseris Danais , Patroclus jacet , ingens
Præsidium quondam , mœror nunc omnibus idem .
Hæc tu Pelidæ defer festinus ad aureis ,
Exanimis socij nudum si forte cadaver
Ad naveis tulerit , namque arma habet inclytus Hector.
Dixerat hæc , magnumque gemens obmutuit heros ,

Suffusæque oculis lacrimæ , & vox faucibus hæsit,
Adproperat tamen Atridæ mandata sequutus ,
Armaque Laodoco tradit servanda sodali ,
Qui prope fumanteis biiuges , currusque tenebat.
Ille quidem lacrimans altas petit inde carinas ,
Nuntius heu tibi quam mæstus venturus , Achilleu ?
At non se Pyliis cupientibus addit Atrides
Pro Antilocho in pugnas comitem ; sed protinus inde
Ajaces redit ad geminos , sociumque jacentem ,
Auxiliaturumque suis Thrasymedea mittit .
Tum sic Ajacem adloquitur : Jam litora versus
Antilochus volat, atque alta in tentoria Achillis ;
At non Priamidæ quanquam infensissimus ille ,
Arva petet , reor , ac Teucris se opponet inermis .
Quam nos cumque viam interea meditemur , & artem ,
Ut Patroclum trahere ad naveis possimus , & ipsi
Teucrorum evasisse manus , clademque minantem .
Hæc ait Atrides , contra hæc Telamonius Ajax
Recta quidem, Menelae mones, clarissime Achivum ,
Propterea tu , & Meriones raptum inde cadaver
Ferte citi : Teucrum turmas , atque Hectora contra
Instanteis nos a tergo pugnabimus ambo,
Nomen idem quibus, atque animus, discrimina quique
Tot tulimus simul ante pares , Martisque labores .
Dixerat, atque vlnis subito complexus uterque
Sublimem attollit Patroclum : retro agmina Troum
Conclamant trepida, ereptum ut videre cadaver ,
Percussumque in aprum veluti rabido ore Molossi
Insiliunt juvenum venantum ante agmina prima,
Instantque , & crebris trepidum latratibus urgent :
Ast ubi convertit sese , atque infrenduit horrens ,
Aufugiunt, alioque alius volat ocyor agris ,
Sic Teucri Danaos turmatim pone sequuti
Ensibus , & longis hastilibus usque premebant .
Ast ubi jam geminus frontem converterat Ajax ,
Pallebant subito, nec contra obsistere quisquam

Trojugenum audebat. Patrocli sic corpus Achivi
Portabant naveisque cavas, & litora versus.
Crebrescit pugna interea, & Vulcania quantum
Flamma furit, totasque domos, aurataque templa
Corripit improvisa, Notisque frementibus aucta,
Haud secus Argivos abeunteis æquore toto
Insequiturque virum, & properantum nimbus equorum.
Olli autem muli veluti, qui robore magno
Ingentemve trabem celso de monte recisam,
Aut lignum navale trahunt per scabra viarum,
Contenduntque labore, gravi, & fluit undique sudor,
Tales sublato properabant corpore Graii.
Pone Ajax geminus graditur, Teucrosque repellit,
Silvosus veluti toto exporrectus in agro
Clivus aquas prohibet, fluviosque immane sonanteis
Vorticibus tumidis alias detorquet in oras
Ictum omnem contra, & rapidas immobilis undas.
Sic Teucrorum acies Ajax arcebat uterque.
Instant usque tamen, primique per arva ruebant
Æneas Anchisiades, & maximus Hector.
Atque leves sturni, & volucrum ceu turba minorum
Cum clangore volant magno, fugiuntque pavenles
Conspectum procul accipitrem, sic nimbus Achivum
Priamidem, Æneamque fugit clamoribus altis.
Armaque pulchra viris fossam circumque, supraque
Plura cadunt trepidis, nec adhuc pugna horrida cessat.

LIBER DUODEVIGESIMUS.

ARGUMENTUM.

Achilles cognito Patrocli interitu, eum luget gravissime, Thetis mater ipsum invisit, solaturque, & arma se a Vulcano allaturam pollicetur. Interea ut a prælio abstineat, jubet. Progressus tamen ad fossam Junonis monitu, apparet hostibus inermis, eosque voce territos in fugam vertit. Ita demum Patrocli cadaver ad Achillis tentorium perducitur. Thetis interim arma a Vulcano impetrat miro artificio elaborata.

Sic velut ignis edax toto furit æquore Mavors:
Interea ad magnû Antilochus festinat Achillem,
Invenitque virum depictas ante carinas,
Mœstaque volventem heu nimium jam vera sodali
Dilecto super, & tacito sic corde gementem.
Heu quianam naveis Argivum turba comantum
Cum clamore petit toto conterrita campo?
Ah vereor, nimium ah vereor, ne numina quicquam
Sæva parent, genitrix nam, me vivente, canebat
Myrmidonum egregium ductorem Troja circum
Mænia casurum ferro: jacet ille profecto.
Heu Patroclus jacet: infelix, sæpe, hoste repulso
Regredere, ajebam, ad naveis, neve Hectora tenta.
Talia dum secum mœsto sub corde volutat,
Adstitit Antilochus, lacrimisquæ hæc fatur obortis:

V. 6. *Quianam*. Hac interrogandi particula usus haud semel Virgilius, ut in 2. „ Quianam sententia vobis versa retro?

Nuntius heu tibi, Pelide, mæstissimus adsum.
O fatis in nos miseros non tanta licerent.
Patroclus occubuit, nudo de corpore circum
Pugnatur, namque arma sibi tulit efferus Hector.
Hæc fatur, nubesque virum tegit atra doloris,
Sublatosque manu cineres effudit utraque
Cæsariem super auricomam, vultusque decoros.
Oraque, & ambrosij fædantur pulvere amictus.
Ipse ingens spatio fusus ingente jacebat
Avellens pulchros divino ab vertice crineis.
Tum luctu excitæ famulæ, quas ipsemet armis
Ceperat Æacides, Patroclusque, immane dolentes
Plangebant niveis contusæ pectora palmis,
Circum affusæ omnes, plangit quoque Nestore natus,
Antilochus lævam, dextramque amplexus Achillis,
Solicitusque idem jugulum ne turbidus ira
Scinderet, amenti similis nam torva fremebat.
At flentem senis ab tecto, thalamoque parentis
Audiit alma Thetis vitrei de gurgitis imo,
Ingemuitque altum. Nereides illicet omnes
Turbatæ accelerant quotquot liquentia ponti
Arva colunt, Glauceque Thaliaque, Cymodoceque:
Nicæe, Spioque, & candida Lymnoria,
Atque Thoe, atque Halie nitidis pulcherrima ocellis.
Dotoque, Prothoque, Pherusaque, Dinameneque,
Dorisque, & Panope suavissima Neptunine,
Cymothoeque, atque Amphithoe Nereides ambæ,
Apseudesque, & Nemertes, Actæaque virgo,
Dexameneque, atque Amphinome, atque insignis Jæra,
Et Melita, & Clymene, nandoque celerrima Agave,
Callianiraque tum partus experta laborem.

V. 35. *Nereides illicet omnes*. Nympharum recensionem similem habes apud Maronem Georgicor. 4, apud Hesiodum in Theogonia, apud Sannazarium in 3. de partu Virginis, apud Catullum in Nupt. quos imitati sumus Alexandr. lib. 2.

Atque Janira comas pulcherrima, & Orithya,
Atque Janassa soror, formosaque Callianassa,
Et Galatea procis asperrima, blandaque Mæris,
Et flavas Amathia comas innexa coralis.
Quotque aliæ maris ima tenent; totasque per ædeis
Cursantque attonitis similes, & pectora plangunt.
Quas inter Thetis has fudit roseo ore querelas:
Audite, o chare Nereides, aspera quantum
Fata mihi ingeminant tristi sub corde dolores.
Hei miseræ, heu matri miseræ, fortissima proles
Cui tot nata malis, nam vix in luminis auras
Edidi, & innumeris nutrivi sedula curis.
Jamque velut planta adsurgebat fronde comanti,
Planta velut pulchra irriguis quæ innascitur hortis,
Quum bello insignem, & præstantem robore dextræ
Rostratis ratibus Trojana in prælia misi,
Eheu! non iterum Peleia in tecta reversum
Amplexura sinu. Quin donec vescitur aura
Crebra dolet, nec mater opem conferre dolenti
Ipsa potest; vadam sed enim, mœstumque revisam,
Quidve dolet norim ad puppeis ab Marte repostus.
Dixerat, & cum voce thoros, antrumque relinquit,
Et Divam lacrimis Nymphæ comitantur euntem.
Unda locum diducta dabat, jamque arva tenebant
Troja, Myrmidonum stabant qua ad litora puppes.
Ordine tum longo clari in tentoria Achillis
Adproperant, mæstoque parens, ac dira gementi
Adstitit, & lacrimis oculos suffusa decoros
Demulcetque caput, verbisque volucribus infit:
Quid fles, gnate? quis hic animum dolor urget acerbus?
Fare, age; namque Jovem, fueras quæ cumque precatus,
Perfecisse reor dudum, auxiliumque coactos
Implorare tuum trusisse ad litora Achivos.
Ille gemens: Equidem tibi non perfecta negabo,
Quæ memoras, o chara parens; verum inde voluptas
Quænam parta mihi, quum vita charior ipsa

Occiderit Patroclus ? Patroclus fidissimus unus
Graiugenum mihi Priamidæ jacet Hectoris hasta.
Aureaque arma sibi , ab Divis data munera Peleo,
Quum te Mortalis primum junxere hymenæis
Hector habet . Pelagi tenuisses marmora semper
Æquoreas inter Divas , Peleoque parenti
Fæmina nupsisset mortalis , non tibi luctus
Hic foret , æternusque dolor de funere gnati,
Quem non tu reducem Pelei in penetralibus altis
Excipies complexa sinu . Nec vivere dulce est
Jam mihi , nec jucunda hominum commercia donec
Hac indignam animam moriens efflaverit hasta
Hector , & extincti Patrocli det sanguine pænas .
Hæc ille ; at Thetis ingenti correpta dolore :
Heu ! nimium vicina tibi jam fata minantur ,
Gnate, ait, hic animum furor, o, si invaserit ægrum.
Te quoniam post extinctum manet Hectora fatum .
Hæc Dea, cui gemitum gnatus de pectore fundens.
Confestim moriar, quando mihi fata negarunt
Auxilium misero, & morienti afferre sodali.
Ille quidem procul ab patria, tectisque paternis
Occidit, & charum frustra imploravit Achillem.
At me quandoquidem reducem patria alta videre
Fata vetant, nec opem Patroclo conferre cadenti,
Nec sociis potui quos tot ferro abstulit Hector,
Quid sedeam jam pondus iners, & inutile terris
Æternum ad naveis , longe quum robore præstem
Graiugenas inter reliquos, namque ore diserto,
Consilioque gravi forsan me vicerit alter.
O Diis, atque hominum generi malesuada periret
Ira gravis , rixa atque omnis: quæ pectora sæpe
Prudentum insano cogit servire furori ,
Dulcius inque animos mellis stilante liquore
Insinuat sensim sese, atque increscit eundo
Ceu fumus, mentem ut misero mihi nuper Atridæ
Eripuit scelus. Hæc autem transacta sinamus

Inviti licet, & fatis parere coacti.
Hectora nunc quæsitum ibo: dabis improbe pœnas
Dilecti occisor capitis. Saturnius inde
Quum volet, ac Divum reliqui mihi fata paranto.
Namque nec ipse Jovis gnatus charissimus olim
Effugit mortem infandam Tirinthius heros
Junonis domitus furiis; sic ipse jacebo
Quum me fata prement; fruar hoc sed vivus honore.
Iliadumque aliquam cinctarum ad pectora matrum
Ambabus roseasque genas, oculosque decoros
Tergentem manibus crebra in suspiria cogam,
Pelidemque diu ab pugna cessasse cruenta
Noverit: hunc oro sine me furere ipsa furorem,
Indecorem neque chara velis torpescere gnatum.
Sic ait, atque pedem Thetis hæc argentea contra:
Vera canis: pulchrum est miseris afferre salutem,
Haud equidem inficior; verum fulgentia Teucri
Arma tenent, humerisque gerens Priameius Hector
Gestit ovans; non ille diu tamen usque superbus
Gestiet, atque extrema viro nent fila sorores.
At non tu Martem indomitum, & fera prælia tenta
Ipsa redux donec, simul ac Sol fulserit ortus,
Vulcano ab Rege immortalia, splendidaque arma
Attulero. Hæc gnato. Nymphas dein voce sorores
Adloquitur tali: liquidi vos æquoris antra
Hinc petite, atque audita seni narrate parenti.
Sidereas festina domos ego visere pergam,
Mulciberumque Patrem, charo ut pulcherrima gnato,
Arma feram, nostra audierit si vota libenter.
Dixerat & fluctus Divæ subiere marinos,
Stellanteisque Deum sedeis, & culmen Olympi
Illa petit. Magno interea clamore per agros,
Graiugenas retro ad litus, pictasque carinas
Dardanidumque acies, homicidaque verterat Hector;
Nec Patroclum procul ab telis, turmaque ruente
Fas portare viris, celeri namque agmina cursu

Ingruerant, peditumque globus, currusque sonantes,
Et flammæ similis rapidæ Priameius Hector.
Terque pedem exanimum dextra comprenderat, alta
Voce vocans socios, ter magno robore contra
Ajaces gemini telis repulere furentem.
Fervidus ille tamen jamque huc, jamque irruit illuc,
Statque iterum, & magnis instigat vocibus alas.
Nec penitus tamen abscedit, vireisque remittit.
Occisoque velut nequaquam ab corpore possunt
Pastores vigiles frendentem arcere leonem,
Urget enim rabida ora fames, sic Hectora Graii,
Nec gemini Ajaces poterant duo fulmina belli
Pellere turbantemque acies, ac dira frementem,
Traxissetque etiam, ac decus immortale tulisset;
At pedibus celerem nitidis Thaumantida Juno
Clam Jove; Cælicolumque aliis Saturnia misit
Pelidem ad Regem bello ut se accingeret acri.
Illa volans stetit hunc propter, sicque ore profatur:
O Peleo sate, terrigenum fortissime, surge,
Auxiliator ades Patroclo, quem propter Achivi
Turbantnr pugna ingenti, pereuntque vicissim
Ante rateis: Teucri ut portent ad mœnia corpus;
Ad naveis Danai: in primis furit arduus Hector
Quippe viri caput ab molli cervice revulsum
Tollere conatur, duroque in stipite fixum
Matribus Iliacis spectandum ferre per urbem.
Teucrorumne canes charum lacerare cadaver
Atque indigna pati, lacrimas dum fundis inaneis,
Ipse sines? Surge, & charum defende sodalem.
Hæc Dea, tum Peleo gnatus: Quisnam ille Deorum,
Iri decus cœli, ad miserum te misit Achillem?
Olli hæc purpureo fatur Thaumantias ore:
Juno Jovis soror, & conjux, nec Jupiter ipse,
Nec me Cœlicolum quisquam cognovit euntem.
Irida tum pulchram adfatur Pelejus heros:

Qui vero adgrediar pugnas ? Olli arma tulere,
Armarique parens vetuit me Diva priusquam
Vulcano ab Rege immortalia ; ſplendidaque arma
Ipsa redux ferat : alterius quænam ulla profecto
Apta mihi induerem ? clypeum nisi forte coruscum
Ajacis Telamoniadæ ; verum ille sub armis
Sudat adhuc circum Patroclum, Teucrisque resistit.
Talia Pelides, Iris cui talibus infit :
Novimus & nos ut Patroclum fulgentibus Hector
Armis exuerit, vel sic tamen ipse profectus
Sta ad fossam, & Teucris venientibus offer Achillem :
Te forsan veriti ab ratibus, campoque recedant,
Respirentque acies Danaum, dispendia quanquam
Vix patitur pugna, exiguumque in Marte levamen ;
Tantum effata volat roseo Thaumantias arcu,
Extemplo Æacides, surgit cui pectora circum,
Ingenteisque humeros magna tegit ægide Pallas,
Divinumque viri caput, & cava tempora nubes
Aurea præcingit, rutilo cui flammeus igne
Surgit apex, pelagoque jacens velut insula longe
Collucet flammis, nigro tum vortice in auras
Fumus abit, subitus quum mœnibus ingruit hostis,
Pugnaturque diem totum, dein Sole cadente
Litora per curva, atque altis de turribus ignes
Crebra micant, procul æthereas it splendor ad auras ;
Si forte auxilium vicina classis ab ora
Attulerit miseris, cristato ab vertice Achillis
Tantum ardens magnum consurgit in æthera fulgor.
Restitit ut fossam cursu pervenit ad altam
Murum intra, neque se turbis permiscet Achivis
Jussa Deæ veritus Matris, tum voce per agros
Intonat horrenda, intonuit simul aspera Pallas.
Hinc torpere Phryges, toto ac turbarier agro.
Horrida nam quantum clangens sonat ære canoro
Buccina quum trepidos vocat in certamina civeis
Hoste ruente super, tantum vox ærea magni

Insonat Æacidæ; at vocem ut sensere cohortes
Æratam, ingentem subito obriguere pavore,
Turbaque cornipedum retro volat incita equorum
Pendentis præsaga mali, neque flectere currus
Aurigæ poterant trepida formidine inertes
Pelidæ ut super ardentem cava tempora flammam
Conspexere procul, fovet hanc nam cæsia Pallas.
Terque altam ad fossam torvum inclamavit Achilles,
Terque Phrygum turbatæ acies, Lyciæque catervæ,
Et bissena virum lectissima robora Teucrum
Dum properant, seseque urgent trepidante tumultu
Inter equos, interque rotas, turbamque, suismet
Procubuere hastis. Patrocli sic corpus Achivi
Extractum procul ab telis in castra tulerunt.
Exanimumque locant feretro: mœstissima circum
Turba virum stabat, primus quos inter Achilles
Hærebat, largoque simul fletu ora rigabat
Palenteisque genas, & hianteis sanguine plagas
Adspectans socij exanimis, læthoque rigentis,
Quem peditum miser, atque equitum comitante caterva
Miserat in pugnam, accepit non inde reversum.
At Phœbum Oceani invitum se immergere limphis
Alma jubet regina Deum Saturnia Juno.
Ille cadit, simul & fessis certamina Graiis,
Armorumque furor cessat, Martisque labores.
Dardanidæ interea pugnæ ab discrimine longe
Solvebant bijuges raptim de curribus altis,
Atque incoenati in cœtum coiere frequentes.
Stantesque, ac trepidi (nec enim considere quemquam
Formido patitur, postquam conspectus Achilles
Intermissa diu aggredier certamina Martis.)
Conveniunt, tum Polydamas Panthi inclyta proles,
Præteriti nam docta viro, & præsaga futuri
Mens erat, æquævusque idem, charusque sodalis

V. 259. *Æquævusque idem*. Sic & Mimantem æquævum Paridi

Priamidæ, quos nocte eadem fudere parentes.
Lingua alter melior, dextra præstantior alter,
Hic inquam mediis prudens sic voce profatur:
Rem satis ambiguam excutite, atque evolvite, Teucri:
Hortor ego petere hinc muros, nec lucis Eoæ
Exspectare ortum naveis prope, nam procul urbe
Absumus. Ille quidem dum Regi infensus Atridæ
Abstinuit ferro, non usque timendus Achivum
Aut furor, aut numerus, gaudebamque ipse sub armis
Grajorum ad puppeis vigilem perducere noctem
Scilicet arsuras sperans: nunc robur Achillis
Extimeo, novi ingenium, moresque furentis.
Non ille ab muris procul, & qua cetera Graium,
Turbaque Teucrorum ancipiti se Marte lacessunt,
Stare volet; sed de tectis certare paternis,
Conjugibusque Phryges coget. Parete volentes
Propterea, celsasque arceis, murosque petamus.
Hæc moneo: nunc blanda quies, obscuraque pugnas
Umbra vetat; nos hic clari sub luminis ortum
Armatus veniens si offenderit, ora furentis
Et faciem invisam nimium agnoscetis Achillis.
Pergameasque arceis repetet quicumque libenter,
Cui fuga contigerit. Quot campis corpora Teucrum,
Vulturibus, canibusque avidis data præda jacebunt!
Dij meliora piis. Nostris accedite dictis,
O socii, ingressique urbem, cœtuque coacto,
Tecta quidem ingentes ærato cardine portæ,

---

fecit Virgilius: *Paridisque Mimanta Æqualem, comitemque, una quem nocte Theano. In lucem genitari Amyco dedit & face prægnans Cisseis Regina Parin creat.* Ita ille in 1, ubi duo notanda, primum quod Theano Amyci uxorem fecerit, quum Antenoris uxor, & Minervæ Sacerdos sit apud Homerum, nisi forte nomen utcumque a Virgilio fictum dicas cum Ruæo, & aliis, quod non placet. Secundum, quod Hecubam Cisseidem vocaverit, sive Cissis Thraciæ Regis filiam, quum Homerus Theano quidem Cisseidem haud semel sive Cissim filiam, Hecubam, vero nunquam ita appellaverit, sed Dymantis Phrygis filiam fuisse dixerit, ut dictum alibi.

Compactæque trabes, turresque, & mœnia circum
Alta tuebuntur, Phœbi tum luce refusa
Stabimus armati ad muros, turreisque præaltas.
Durius huic fuerit castris procul, atque carinis
Prælia miscere, & muris invadere tectos,
Incassumque diu totis agitaverit agris
Fumenteis bijugos cursu: defessus abibit
Hinc tandem retro ad naveis, neque mœnia ferro
Tentabit, reor, ille canum priùs ora cruore,
Paverit atque adipe. Hæc fatur, quem turbidus ira
Priamides torvum intuitus sic increpat Hector:
Polydama, murumne velis intrare reversos
Trojugenas? Neque te pudet hæc ingrata profari?
Nonne satis clausæ latuistis mœnibus urbis,
Gens ignava? Equidem Priami senis inclyta regna,
Atque urbem immensis opibus clarissima quondam
Audieram, periere tamen dudum optima quæque
Mœoniam in pinguem, Phrygiasque avecta per oras,
Pestem hanc Dardaniis postquam Deus intulit agris.
Nunc mihi quum Pater ad naveis detrudere Grajos,
Et clausisse mari dederit, quid talia demens
Trojugenis coram jactas? tua dicta sequetur
Dardanidum nemo, haud patiar: me audite jubentem,
O Socii, civesque mei, nunc corpora læti
Procurate, viri, excubiasque agitate frequenteis.
Quod siquem de opibus nimis importuna repostis
Cura tentet, patriæ, agminibusque impendat alendis,
Hoc satius, quam prædam avidis hæc linquere Graiis
Luce oriente rateis, ferroque petamus Achivos.
Venerit Æacides. Veniat: sors durior ipsum
Forte manet, nec enim fugiam, contra obvius ibo,
Et laudem ingentem referet, referamve perempto.
Communis Mars, & sperantem vincere vincit.
Hæc ait, occlamant Troes, namque effera menteis
Turbabat Pallas juvenem ut vesana loquentem
Audirent potius quam Phantoidæ inclyta dicta,

Digitized by Google

Indulgentque epulis raptim. Plangoribus altis
Interea Patroclum circum plebs luget Ahivum.
In mediis luctum ingentem exorditur Achilles,
Mortiferasque manus geminas super ille jacentis
Corde tenens gemit, & lacrimis rigat ora profusis.
Ut leo cui saltu catulos venator in alto
Abstulit: ablatos sera sub nocte reversus
Ille dolens fremit horrendum, colleisque supinos,
Convalleisque cavas cursat, vestigia siqua
Ulla viri inveniat: cæcum dolor, iraque raptat.
Myrmidones inter luget sic mæstus Achilles.
Et non ista tibi dederam promissa Menœti,
Quondam, ait, in patria quum te complexus Opunte,
Regressurum iterum prædaque, & honoribus auctum,
Ajebam gnatum perituræ ab litore Trojæ.
At non terrigenum vota omnia perficit æquus
Jupiter. Iliacis utrumque occumbere campis
Fata volunt, neque me genitor, neque Diva creatrix
Excipiet reducem, atque eadem mox terra tenebit.
Nunc, tua quandoquidem video jam fata superstes,
Chare comes, cineri solvam non justa priusquam
Interfectoris caput, & rapta Hectoris arma
Huc tulero, bis sexque virum cervice revulsa
Trojugenum tristeis perfundam sanguine flammas.
Interea mihi apud naveis sic, chare, jaceto.
Te circum Iliades, & passis mœsta capillis
Dardanidum turba hic flebit noctemque, diemque,
Quas ambo dextra, & longis quæsivimus hastis,
Agminibus fusis, vastatisque urbibus olim.
Sic ait, & sociis magnum circumdare flamma
Actutum tripodem jubet, & purgare cadaver.
Certatim infundunt latices, & ahenea flammis
Vasa locant, vis turgentis furit intus aquai.
Frigentis tum membra lavant, oleoque nitenti
Singula, dein plagas ungento unxere novenni,
Halanti, nitido, suavi, lectoque reponunt,

Fit gemitus, tenuique tegunt velamine corpus;
Et pallam adjiciunt niveam super: hæret Achilles
Dilecto capiti, at circum gens fida suorum
Stant vigiles, crebrisque replent plangoribus auras.
Jupiter irata adloquitur tum voce sororem.
En tandem perfecta tibi flagrantia vota,
Excito in pugna Æacide, o pulcherrima conjux.
Ex te nimirum genitos miseraris Achivos.
At Dea: quid me tu dictis perstringis amaris?
Virne viri meritas sumet pro crimine pænas,
Mentis inops quanquam, & mortali e semine cretus,
Atque ego, quæ Divum incedo regina, Jovisque
Et soror, & conjux, coeli cui numina parent
Tot mala promeritis poteram non reddere Teucris?
Talia cælicolæ alterno sermone serebant
Interea Thetis in pulchras pervenerat ædeis,
Æternas, immortaleis, stellisqe micanteis,
Mulciber ipse olim eximia quas struxerat arte.
Hunc validam circum incudem, folleisque tumenteis
Sudantem reperit, tripodes namque ære rigenti
Bis denos tecti ingentis decora alta futuros
Arte laborabat multa, & submiserat aureas
Cuique rotas, ut sponte sua per plana moveri
Atria, & in propria potuissent sede locari.
Jamque informati stabant, aureisque polibat
Ingenteis, clavosque, atque hæc dum mente sagaci
Lemnius adproperat, Thetis improvisa repente
Adstitit. Huic Charis ipsa Dei pulcherrima conjux
Obvia procedit, blandò sicque ore profatur:
Ten' video? haud etenim Vulcania limina adisti

V. 370. *Atque ego*. Versus Virgilianus hinc, & aliis ex locis Homericis decerptus.

V. 374. *Interea Thetis*. Hinc mutuatus est Virgilius Veneris profectionem ad Vulcanum, hujus officinam, & laudatissimum Æneæ clypeum in 8, quem alii Latinorum deinceps imitati.

Unquam alias, dilecta mihi: quidnam anxia poscis?
Ingredere, & mensam hospitio, ac dignare penateis.
Hæc ait, atque interna Deam in penetralia ducit.
Aurataque in sede locat, scamnumque locandis
Admovit pedibus, claudum ac festina maritum
Voce vocans, ades huc, inquit, te nam indiga poscit
Alma Thetis. Cui Vulcanus mihi nulla Dearum
Suspicienda magis, cœli quæ ab limine pulsum
Consilium imprudens propter, matrisque timorem
Tentantis claudum adspectu celare paterno,
Servavit complexa sinu. Thetis hæc pia quondam,
Oceanoque sata Eurynome, vitreisque sub antris,
(Hinc, atque hinc spumante salo fremebunda sonabat
Unda fluens) torqueis, & pulchra monilia flavo
Fingebam, armillasque auro, dum Phæbus olympum
Percurrit novies, Divosque, hominesque latebam,
Eurynomen præter, Thetidemque: huic debita possem
Pro tantis utinam persolvere præmia curis.
Excipe tu dapibus, positis fabrilibus armis
Mox adero. Hæc fatur, vastoque ab stipite surgens
Incudis validæ haud paribus se passibus effert.
Adproperant famulæ limphas, atque ora, manusque,
Cervices validas, hirsutaque pectora tergit,
Induit ac tunicam, & crasso extra limina sceptro
Prodiit accepto: ancillæ comitantur euntem
Fictæ auro vivis similes, queis pectore mens est
Docta operum, Divum munus, visque indita, voxque.
Inque hærent lateri, vestigiaque ægra trahentem
Sustentant. Solio tandem consedit eburno,
Adfaturque Deam: Quidnam te insueta coegit
Tecta diu, nostrasque Thetis contendere in ædeis?
Eloquere, o mihi cunctarum veneranda Dearum.

V. 414. *Fictæ auro*. Statuas a Vulcano elaboratas innuit, quæ miro artificio movebantur *αὐτόματα* Græci vocant, & quibus Dii vocem, ac mentem indiderint, ut statuæ Pygmalioneæ Venus.

Quidquid in arte mea possum pete: jussa libenter
Exequar. Hæc Deus, hæc lacrimis Dea fatur obortis:
Heu non cunctarum infelicior ulla Dearum
Me fuerit, Vulcane pater, nam ex omnibus unam
Æquoreas inter Divas me credere Peleo,
Mortalisque viri amplexus, thalamosque subire
Jupiter invitam voluit: dudum ille senecta
Confectus jacet; at nostri crevere dolores,
Namque ex me genitum, curisque ingentibus altum
Præstantem heroes inter, belloque potentem
Ceu palmam, aut pulchro surgentem caudice florem,
Hunc, inquam, Danais Trojana petentibus arva
Adjeci comitem, non heu! Peleja rursus
Tecta revisurum; at curis oppressus amaris
Interea mœret, neque possum ferre dolenti
Auxilium genitrix; pulchram nam deinde puellam
Præmia parta manu rapuit Briseida Atrides.
Ille furens pugna abstinuit; sed Dardanus Hector
Ad puppeis, pelagusque actos conclusit Achivos.
Pelidæ auxilium Proceres, Rexque ipse Agamemnon
Orabat simul accumulans ingentia dona.
Restitit immotus precibus, donisque superbus.
At Patroclum magna Dolopum comitante caterva
In pugnam properare jubet, suaque arma sodali
Donat habere humeris. Scææque ad limina portæ
Trojugenas repulit, Priamique in tecta ruisset.
At furias ausus que viri indignatus Apollo
Post cladem immensam sociorum funere acerbo
Sustulit, & magno ingentem dedit Hectori honorem
Propterea supplex nunc ad tua limina veni.
Arma rogo genitrix gnato, sua namque sodalis
Perdidit infelix: gnati miserere dolentis.
Hæc Dea: Vulcanus, pone hanc de pectore curam,
Diva, inquit, lætho incolumem servare minanti
Sic utinam possem, gnato ut pulcherrima possum
Arma dare, haud hominum cuiquam concessa precanti

Digitized by Google

Dixerat, internasque iterum contendit in ædeis.
Adproperant famuli, & bis denis follibus auras
Excipiunt, redduntque leveis, nunc murmure vasto,
Nunc leni, fluit æs rivis, aurique metallum,
Argentumque grave, & fabrilia corripit arma.
Ingentem informat clypeum, validumque, gravemque
Dædaleum, quinos intexens orbibus orbeis.
Extimus, ac triplex totum quem candidus ambit
Circulus, atque extra pendent argentea lora.
Hic mare, terramque ingentem, cœlumque profundum
Finxerat Ignipotens, & magni lumina solis,
Lunamque, & toto fulgentia sidera cælo,
Pleiadas, Hiadasque atque auripedem Menalippem;
Atque Ursàm, lenti torpentia plaustra Bootes,
Quæ circum observans convertitur Oriona
Nec vitreis unquam Oceani submergitur undis.
Fecerat & geminas turritis mœnibus urbeis.
Hic epulas inter juveni nova nupta marito
Traditur: ab thalamo tædis fulgentibus ibant
Saltantes juvenes, Hymenæum voce vocantes,
Et cythara, & molleis biforis dat tibia cantus.
At matres in vestibulis, innuptaque turba

V. 462. *Ingentem informat clypeum*. Hinc ortum Æneæ scutum a Vulcano factum Æneid. 8. Sed Æneæ clypeus adscititiis Historiæ Romanæ ornamentis longe petitis insignitus est. At Homerus naturæ observator, ac Mystes, non nisi naturalia adhibet ornamenta. Hic & Nuptiarum solennia, & litigantium jurgias, & belli astutias, & pastoralis vitæ oblectamenta, ac pericula, & messorum, aratorum, bubulcorum, vinitorum denique gratissimos labores, & quidquid in cœlis, terrisque adspectu, ac recordatione jucundum est ac volupe ingeniosissimus Poeta commscuit.

V. 471. *Oriona*. De Orione varia sunt Mythologorum placita. Vide Eustath. hic, & Virgilii interpretes, quum alibi, tum in 1. Æneidos.

V. 472. *Nec vitreis unquam*. Iis nimirum qui Septentrionalem plagam incolunt; contra vero iis, qui Australem. Unde de Lusitanis Indicum mare navigantibus pulcherrime Camoens

„ Vimos as Ursas a pesar de Juno
„ Banharense nas agoas de Neptuno „.

Mirantur tacitæ. Interea clamoribus altis
Miscerique forum, populosque coire frequenteis
Cernere erat, namque inde viri, atque hinc ore diserto
Testibus inductis certant: de cive perempto
Nam mulctam impositam dudum hic solvisse canebat.
Creditor acceptam negat, acclamabat utrique
Turba favens, jamque huc vulgus, jam fluctuat illuc.
Præcones sedantque animos, turbamque coercent.
At circo in medio patres in sedibus altis
Stabant, & manibus præconum sceptra tenebant,
Alterni & gravibus dirimebant jurgia dictis.
Optima dicturo in mediis stant bina talenta.
Urbem aliam geminæ dira obsidione premebant
Hinc, atque hinc acies, ferroque evertere certant.
Irruere aut subito, & prædam partirier omnem,
Congestas & opes: pueri, innuptæque puellæ,
Imbellesque senes, trepidæque ad mœnia matres
Stant vigiles; olli insidias, ferrumque parabant.
Mars in bella viris præit, & Tritonia Pallas
Ficti auro, auratis insignes vestibus ambo,
Diisque pari forma, & vasta se mole ferebant.
Pone armis populi, membrisque minoribus ibant.
Ut ventum ad fluvium, & tacitæ loca commoda fraudi
Qua potare greges soliti, tecti ære corusco
Considunt: gemini ante alios speculantur ab alto
Flexipedes siquando boves, pecudesque viderent.
Jamque aderant per prata; duoque armenta sequuntur
Pastores, dulcique levant longa otia cantu.
Olli ex insidiis subito clamore ruebant,
Lanigerosque greges, pingui ac cervice juvencos
Improvisi abigunt cæsis pastoribus ante.
Exemplo hostileis pervenit clamor ad aureis.

V. 480. *Miscerique forum*. In foro, portisve urbium, publicisque locis judicia fieri, & sententias ferri solitas constat ex pluribus Sacræ Scripturæ locis.

Arripiunt turbati arma, incœptumque relinquunt
Concilium, poscunt & equos, curruſque volanteis,
Proceduntque acies, concurritur, undique cædes,
Vulneraque, & sanguis, medioque in vortice Terror
Cernitur, & ſcissa frendens Discordia palla,
Et Fatum exitiale, virumque hinc vulnere cæsum
Straverat, hic alium vivum capit, inde per agros
Hunc trahit exanimem, sanieque, & sanguine nigro
Ora madent, crudæque manus, vestesque fluentes,
Vivorumque hominum ritu verſantur in armis,
Atque virum exuviasque trahunt, & corpora utrinque.
Finxerat & pinguis spatiosa novalia campi:
Plurimus hinc, atque hinc terram findebat arator.
Ut ventum ad metam pateram spumantis Jachi
Cuique dabant, lætique Deo se ad jugera rursus
Convertunt, terramque gravi rimantur aratro.
Findier at tetro veras sub vomere glebas,
Et vero credas terras nigrescere sulco.
At parte ex alia Cereris sata culta videres,
Messorumque manum, & curva sub falce maniplos
Hinc recta cadere, hinc lento sub vimine cogi.
Tresque ligatores instabant pone sequentes.
Adproperant circum pueri, culmosque ministrant.
Sceptra tenens Rex inde silet, gaudetque tuendo.
Ast alii instaurant epulas, quercuque sub alta
Exta boum verubus torrent infixa colurnis.
Interea cœnam agricolis, albasque farinas,
Alliaque uxores miscent, & rustica farra.
Parte alia pingueis vestibat vinea colleis.
Aurea, per palos, furcasque innexa bicorneis
Argento solidas, cyanique hanc fossa coercet,
Stanneus & circum vallus, viaque una patebat,

V. 525. *Deo*. Pro Bacho antonomasticus, ut ibi
„ Munera, lætitiamque Dei.

Uvaque purpureis pendebat densa racemis.
Certatim & molles pueri, blandæque puellæ
Dulcia textilibus portabant munera qualis.
In mediis cytharam plectro pulsabat eburno
Crinitus juvenis, mulcebatque æthera cantu.
Ast alii ingenti librabant corpora saltu
Ad numerum, lætique canebant carmina Bacho.
Fecerat atque armenta boum capita alta ferentum
Formosasque auro ex fulvo, stannoque juvencas.
Altisque a stabulis in pascua læta ruebant,
Qua viridi fluvius prætexit arundine ripas,
Vorticibusque secat rapidis, at quatuor aurei
Pastores, & fida novem comitatur eunteis
Turba canum: verum ecce duo de monte leones
Improvisi adsunt, taurumque ex agmine primo
Corripiunt pulchrum, ingentem: mugitibus altis
Insonat omne nemus, sequitur juvenumque, canumque
Fida cohors; olli luctantem, & torva gementem
Dilacerant, nigrumque cruorem, & viscera lambunt.
Pastores frusta adproperant, urgentque Molossos,
Hique instant, fugiuntque iterum, cursantque recursantque,
Et sævit procul æthereas latratus in auras.
Addidit & latis pinguissima pascua campis,

V. 547. *Mulcebatque æthera cantu*. Homerus materiam sive argumentum cantus assignavit, quem ad litteram sequutus Cunichius pulchre transtulit.

,, In mediis cytharam pulsat puer, atque decorum
,, Voce Linum molli simul accinit ,,.

Linus autem dicebatur Cantiuncula quædam in festis ruralibus usitata, cujus item meminit Pausanias lib. 9. sicut nunc rustici nostri Marsilium, aut Paridem, & Viennam. Igitur sive Linus fuerit historia Lini Apollinis filii, sive fuerint versus a Lino antiquissimo Poeta compositi, quum sit posita species pro genere, ad rem nihil refert. Generatim ergo dictum est : mulcebatque æthera cantu, & Crux illa investigandi quid Linus fuerit Homeri, aut belli Trojani tempore cani solitus Grammaticis, & insulsis Scholiatoribus reservata.

Atque hircos, niveas & oveis, simasque capellas,
Pastorumque casas humileis, & ovilia tecta.
Inde choros quales Ariadnæ Dædalus ædeis
Extulerat Gnosso in magna, qua mille viarum
Flexibus ambiguis vestigia falleret error.
Implicitique manus juvenes, mollesque puellæ
Mille ineunt cursusque vagos, totidemque recursus;
Linea virginibus tenui subtegmine vestis.
Candentes tunicæ pueris, oleoque nitentes.
Cingulaque ex humeris pendent argentea cuique,
Aureus & gladius, variis at floribus illæ,
Et viridi auratos cingebant fronde capillos.
Inque vicem effugiunt sese, seseque sequuntur,
Nectuntque alternos doctis ambagibus orbeis,
Ut quondam Figulus jamque hinc, jamque inde rotarum
Tentat agens orbem: stabant longo ordine circum
Attónitæ studio ingenti matresque, virique.
Vertice tum prono, inversisque ad sidera plantis
Prosiliunt gemini juvenes, campoque feruntur.
Extremam sed enim clypei fulgentis ad oram
Vim magnam Oceani, & spumanteis addidit undas.
Dein galeam efformat nitidam, flammasque vomentem.
Surgentem & cristam capiti, & thoraca coruscum
Sideris in morem, lentoque ocreas argento.
Omnia tum Thetidi tradit, volat illa per auras
Accipitri similis, magnumque relinquit Olympum
Arma ferens gnato Vulcani dona parentis.

V. 568. *Quales Ariadnæ*. Hanc comparationem ad ludos puerorum Trojanorum explicandos adhibuit Virgilius in 5.

LIBER UNDEVIGESIMUS

ARGUMENTUM.

Armis acceptis Achilles Græcorum cœtum cogit, iræ renuntiat, donaque sibi ab Agamemnone promissa accipit. Cæteris Vlyssis hortatu cibum capientibus ipse abstinens armatur, exercitumque in prælium educit. Alter equorum ei interitum vaticinatur, quem increpat, & in hostem ruit.

IAmque caput pelago attollens, lucemque serenam.
Puniceis invecta rotis Aurora rubebat,
Divaque Pelidæ ad puppem pervenerat altam,
Affusſique Menœtiadæ, atque infanda gementem
Hunc reperit magna medium stipante caterva
Mœrentum comitum Thetis improvisa repentè
Adstitit, & blandis demulcet pectora dictis:
Quid juvat, o gnate, assiduo tabescere luctu?
Hunc ſinito, invitus quanquam; sic numina Divum,
Sic Parcæ voluere, mea nunc accipe cura
Perfecta arma tibi Vulcania, splendida, nulli
Terrigenum concessa unquam. Sic fatur, & arma
Deponit gnato coram: insonuere metalla
Horrendum pulsa, at socii obstupuere paventes.
Arripiuntque fugam trepidi, neque tollere vultus
Audebant contra; stetit imperterritus heros,
Atque animum major subiit furor: ignea torvis
Lumina fulgebant flammis, gaudetque tuendo.
Interea, atque oculos tacitus per singula volvit
Dein tali adfatur dilectam voce parentem:
Humanæ non artis opus, dignumque profecto,

Parque Deo, dilecta parens: armabor in acreis
Jam pugnas equidem; sed enim me cura remordet
Ne exanimum corpus, ferroque inflicta recenti
Vulnera putrescant. Pelei sic filius inquit,
Quem contra Thetis hæc niveis pulcherrima plantis;
Exue, gnate, metum, pone hanc de pectore curam,
Ipsa adero, nec membra modis violarier ullis
Permittam, aut sanie, & nigro putrescere tabo.
Quin solidum quamvis fuerint inhumata per annum
Incorrupta dabo, atque etiam servanda per ævum.
Molliaque, & nihil humanis debentia curis.
Tu propera, & ducibus Danaum, cœtuque coacto
Atridem magnum adloquere, atque in fœdera junge,
Irasque, & veteres animo depone furores,
Irrueque in pugnam immortalibus asper in armis.
Dixit, & insolito perfudit robore membra.
Perque cavas nareis Patroclo, perque ora jacenti
Purpureum nectar, succosque instillat odoros
Ambrosiæ, foret ut tabo inviolabile corpus.
Interea magnus cursabat litora Achilles
Horrendum inclamans, proceresque ciebat Achivos:
Ut vocem sensere procul, subito omnis in unum
Turba coit, quique ad naveis subsistere custos,
Quique gubernator solitus, dapiumque magistri;
Et queis cura penum instruere, in certamina rursus
Intermissa diu rueret quum sævus Achilles.
Ergo omneis idem ardor agit, quin vulnere tardi
Tydides etiam, & fortis festinat Ulysses,
Nixus uterque hasta, pugnaque insignis uterque:
Ordinibusque sedent primis; at magnus Atrides
Ductorum ex numero sese postremus agebat
Vulnus habens, nam pugnantem percusserat olim
Ære Coon Antenorides, ferroque corusco.
Utque omnes aderant Danai, progressus Achilles
Constitit in mediis, fuditque has pectore voces:
Maxime Grajugenum, venisse in fœdera dudum

Amborum intererat, postquam exitialis utrique
Incidit ira animo pulchram Briseida propter.
Illa utinam infensæ telis confixa Dianæ
Occubuisset apud naveis, Lyrnessia quando
Vastabam regna, & campos populabar opimos,
Non tot Grajugenæ Teucrorum ultricibus armis
Arva momordissent domiti. Exultaveris Hector,
Tuque, Phrygesque tui; at Danaos reor omne per ævum
Nostrarum memores irarum, odiique futuros.
Mittamus tamen hæc, veterum meminisse malorùm
Quandoquidem mala jam prohibent graviora coactos.
Indultum satis est odiis, non ira perennis
Pelidem decet, æterno jam fœdere dextræ,
Conveniantque animi, propera, atque in prœlia turmas,
Argivosque hortare duces, armabor & ipse
Experiarque utrum totam plebs Dardana noctem
Assideat vigil ad naveis; at poplite flexo
Trojugenum quisquam solvet Diis vota libenter,
Si Martem incolumis nostramque effugerit hastam.
Talia Pelides, Danai plausere frequentes,
Quod tandem positis firmarent fœdera rixis.
Deinde sedens ipso ab solio sic fatur Atrides,
(Nam neque progressus medio stetit æquore ductor,)
Audite heroes Danaum, gens inclyta bello,
Murmure nec quoquam me interpellate loquentem,
Durum etenim licet audaci, licet ore diserto.
At populi ingentis circum stipante corona
Quis dictis præbere aurem? quis dicere voce
Audeat ærata quanquam? Tete alloquar unum
Propterea, Æacide, vos nostram accipite mentem;
Argivum lecti proceres, linguisque favete:
Sæpe etenim hanc nobis Danai cecinere querelam;
Sed non causa mali fuerat culpandus Atrides;
Jupiter at, fatumque adversum, & tristis Erynnis,
Hanc mihi quæ lævam posuere in pectore mentem,
Ut pulchram invito auferrem Briseida Achilli.

Sed quid ego facerem ? Sæva omnia perficit Ate,
Monstrum informe, Jovis proles, cui mille nocendi
Notæ artes, vixque in terris vestigia signans
Per capita alta virum volitat, tristesque volantem
Iræque, insidiæque Deam, fraudesque sequuntur.
Quin Patrem quandoque Jovem, cui æterna potestas
Divum est, atque hominum, Junonis conjugis arte
Deceptum implicuit, nam quum jam lucis in oras
Thebana venturus erat Tirinthius urbe,
Formosam & primi Alcmenam subiere dolores,
Concilio in magno Superum sic Jupiter orsus:
Audite, o quotquot cœli templa alta tenetis
Diique, Deæque omnes, quæ sit sententia menti:
Hac sub luce virum æthereas educet in oras
Alma puerperiis quæ præsidet Ilithia,
Qui populos lata circum ditione tenebit,
Cunctorum de stirpe hominum, qui ex sangine nostro
Progeniem duxere suam. Sic Rector Olympi,
Callida cui Juno fraudem meditata, dolosque,
Quid nunquam eventura canens mendacia jactas?
Eja age, jura, inquit, stygii per flumina fratris
Imperio clarum, atque opibus, sceptroque futurum
Hac quemcumque die genitrix effuderit alvo
Saturni genus, atque tua de stirpe creatum.
Hæc soror, ignarusque doli, fraudisque latentis
Juravit subito, heu! curis torquendus amaris.
Illicetætherei stellato ab culmine Olympi
Quippe volans Juno Argolicam contendit in urbem,
Qua puerum Stheneli septem jam mensibus uxor
Gestabat gravida: hunc nono non mense peracto
Ante diem Juno Phæbœum cernere lumen
Compulit, Alcmenæ partus jamjamque propinquus,

V. 94. *Perficit Ate*. Monstrum ex Jove natum, fraudum ac dolorum perniciosissimorum artifex. Vid. Eustath. in hunc locum.

Omnisque interea cessat dolor : at Dea fratri
Nuntia ventura adproperat, sicque incipit ore :
Audi hæc, summe Deum genitor, qui fulmina torques,
Editus in lucem est, populos qui clarus Achivos,
Imperio premet, ac celsis dominabitur Argis,
Eurystheus Stheneli proles, huic sanguinis author
Perseus, inde tuum genus est, nec dedecet ipsum
Tantus honos. Dea sic fatur, vehemensque Tonantem
Invasit dolor, artificem tum criminis Aten
Vertice ab auricomo rapit, attollitque prehensam,
Horrendumque tonans jurat, non culmen Olympi,
Nec Divum in sedeis rediturum, & sidera monstrum,
Dixit, suspensamque manu, circumque rotatam
Dejicit ab coelo, illa hominum petit incita sedeis.
Hinc furor, assiduusque Jovem torquebat amaror,
Rege sub Eurystheo duros quum mille labores
Perferret gnatus. Moesto sic corde gemebam,
Frendebamque dolens, naveis quando Hector ad altas
Agmina vastabat ferro, flammamque parabat.
Verum age, praecipitem quando malus abstulit error,
Placabo offensum, accumulemque ingentia dona.
Tuque exurge virum fortissime, & agmina coge,
Dona dabo, tibi quae hesternus promisit Ulysses.
Aut mage, si lubet, exspecta, in certamina quanquam
Festinans, picta donec de puppe ministri
Munera lecta ferant hominum gratissima cuique.
Rex ea, quem tali sermone adfatur Achilles :
Inclyte Graiorum ductor, clarissime Atride,
Munera non equidem curo: seu tradere, ut aequum est,
Seu retinere, tuum manet, in dura arma vocamur
Hinc subito, neque nos crudae subducere pugnae,

V. 140. *Amaror*. Verbum antiquum ab Lucretio, & Virgilio usurpatum in Georgic ibi.
,, Tristia tentantum sensu torquebit amaror.
ubi Gellius nonnullos reprehendit legentes sensu torquebit amaro.

Cunctarive decet, properandum est, restat Achillem
Pugnantem ut videant, perdentemque agmina ferro,
Et virtute duces simili mirentur Achivos.
Talia jactanti prudens haec fatur Ulysses:
At non tu, frendens quamquam, atque invictus, Achilles,
Impastos Trojana feras in moenia Graios.
Nam neque pugna brevis fuerit, bellator utrinque
Quum Deus ingruerit, menteisque afflaverit ardor
Martius, effusoque rubescant sanguine campi.
Corpora sed curare jube potuque, ciboque
Ad naveis prius, hoc robur mortalibus aegris,
Instauratque animos, nec enim ad Solem usque cadentem,
Et solidum pugnare diem fortissimis unquam
Terrigenum possit, languent nam corpora sensim,
Destituuntque animum, potusque innata cupido,
Atque fames subit, & genua aegrescentia torpent;
At contra satur in densos ruit impiger hosteis,
Decertatque diem totum, neque membra labascunt;
Languescitve animus. Populos coetu ire soluto
Propterea, dapibusque jube indulgere paratis.
Concilium interea in medium Rex magnus Atrides
Dona ferat, videant Danai, tuque ipse tuendo
Oblectes animum: simul, ut promiserat olim,
Rex juret non se amplexus petiisse puellae,
Aut violasse thorum, veterem tu pone dolorem,
Regificas interque epulas, & pocula laeta
Foedera firmentur, ne quid tibi desit honoris.
Æquior inde aliis eris haec expertus, Atride,
Nec Rege indignum reputo, si laeseris ultro,
Offensum placere animum, donisque mereri.
Hæc ait, Atrides effatur talibus heros:
Recta quidem, Laertiade, & gratissima nobis
Singula dixisti: jurabo, & (Jupiter o me
Sospitet) haud falsum jurabo. Vos sed Achivum

Hic lecti proceres, Pelideque ipse, manete;
Ab ratibus donec ducantur munera nostris,
Riteque confectis ineamus foedera sacris.
Tu, Laertiade, lectos ex agmine Graium
Coge viros atque ab nostris huc puppibus affer
Munera promissa, & praestanteis ore puellas,
Atque aprum Patrique Jovi, Phaeboque sacrandum
Taltybius paret actutum. Sic fatur Atrides,
At Peleo satus: hæc, Danaum clarissime ductor,
Procuranda alias, posito quum Marte quiescant
Tantisper Danai, nostroque in pectore tantus
Mitescat furor: exanimes nunc aere cruento
Ecce jacent socij, Hectoreis quos Jupiter armis
Abstulit: Argivas urgete in prandia turmas.
Per me equidem impasti, jejunique arma capessant
Protinus; occiduas & quum Sol viseret undas
In coenam hortarer dextris victricibus ultos
Duram ignominiam, & charorum funera acerba.
Ante quidem non ipse dapeis, non pocula labris
Admoveam, infelix tentoria ad alta sodalis
Dum jacet exanimis telo confossus acuto,
Conversusque in vestibulum, moestissima circum
Myrmidonum quem turba gemit, defletque peremptum.
Pocula nec mihi sunt, aut grata obsonia curae;
Sed sanguis, caedesque virum, gemitusque cadentum.
Dixerat haec, Laertiades cui talibus infit:
O Peleo sate, cunctorum fortissime Graium,
Marte quidem, & magno longe mihi robore praestas;
At me fecit enim rerum experientia doctum,
Prudentemque magis, nam te provectior annis.
Propterea nostris facilem da hortatibus aurem.
Pugnarum, caedisque statim fastidia menteis,
Et satias subit: in terram falx aerea Martis

V. 223. *Et satias subit*. Satias positum pro satietas, quod carmini incommodum. Exemplum habes apud Lucretium.

Quippe parum messis; stipulae sed fundit nanis
Immensam segetem, postquam inclinaverit aureas
Æthereus lanceis genitor, pugnae arbiter aequus.
At non ventre quidem mors est lugenda cadentum.
Omnibus innumeri sternuntur namque diebus.
Quando ergo ab lacrimis reliqui, luctuque quiescent?
Occisis volo ut extremi solvantur honores;
Sed patienti animo, sed certo limite luctus.
Una dies lacrimis satis est: Martique cruento,
Qui super, & pugnae fuerint, meminisse necesse est
Potus, atque cibi, induti ut fulgentibus armis
Acrius irruere, atque hosteis invadere ferro
Possimus. Ferte haec, Danai, neque jussa suorum
Quisque ducum expectans naveis cunctetur ad altas,
Nam magni steterint olli nova jussa; sed omnes
Egressi simul Iliacos properemus in hosteis.
Haec ait, & comites gnatos sibi Nestoris ambos,
Phylidemque Megeta, Thoantemque, & Melanippum
Et Criontiadem Lycomedea, Merionemque
Seligit, atque alta in tentoria pergit Atridae.
Tunc dicto citius fulgenteis aere corusco
Ingenteis tripodas septem, pulchrosque lebetas
Bis denos, & cornipedum duodena comantum
Corpora promissa, & septem roseo ore puellas,
Octavamque ipsam pulchram Briseida ducunt.
Ipse praeit Laertiades, appensaque portat
Dena talenta auri; sed caetera dona ferebant
Argivum juvenes reliqui, Danaumque frequentum
Concilio coram exponunt, tum surgit Atrides,
Talthibiusque aderat Regi, vocemque canoram, &
Ora Deo similis, manibusque tenebat ad aram
Setigerae faetum suis: huic Rex tempora primum
Summa notat cultro, magni quem semper ab ensis
Vagina appensum simileis gestabat in usus,
Primitiaque Jovis sacravit rite parenti.
Turba sedet circum tacita, auscultatque loquentem.

Ille autem cum voce manus ad sidera tendens
Conspectu in medio procerum sic ore precatur:
Esto, Deum genitor, testis magne, optime, summe,
Tuque parens Tellus, Solque, & quae Tartara Divae
Nigra tenent, ubi falsa luunt periuria sontes:
Non ego pulchricomae amplexus Briseidis unquam
Quaesivi, injecive manum, intactamque puellam
Restituo, tradoque mea in tentoria qualem
Accepi quondam; quod si mendacia testor,
Numina me tot saeva premant justissima poenis,
Perjuros quotquot torquent tellure sub ima.
Dixerat, atque suis jugulum saevo abscidit aere,
Taltybiusque manu valida per inane rotatum
Piscibus in predam aequoreas projecit in undas.
Argivosque inter medius sic fatur Achilles:
Jupiter omnipotens, o quot mortalibus infers
Ærumnas, pater! haud etenim Briseida pulchram
Ab ratibus me invito unquam abduxisset Atrides,
Movissetque animum dictis; sed Jupiter armis
Teucrorum domitos voluit tot sternere Graios.
Nunc epulas properate, viri, Martemque parate.
Talia Pelides fatur, coetumque resolvit.
Quisque suas celer ad naveis dispergitur inde,
Donaque Mirmidones tentoria ad alta ferebant.
Magnanimi Æacidae, pictisque sedilibus omneis
Veste locant nitida, insigneisque decore puellas.
At famuli aeripedes plena ad praesepia ducunt.
Tum pulchrae similis Veneri Briseis, ut aere
Confossum Patroclum vidit, lectoque jacentem
Corruit, inque haerens lacrimis rigat ora profusis
Passa comam, laniansque genas, & pectus honestum,
Cervicemque manu roseam, atque haec talia fletu
Interrupta dabat: Vivum te in puppe reliqui
Hinc digressa, Menoetiade charissime, nunc heu
Exanimem adspicio, & lacerum crudeliter artus.
Ut mala me connexa malis urgentque, premuntque!

Namque virum, cui me chari junxere parentes
Vidi equidem crudo trajectum pectora ferro
Ante urbem patriam, charaque ex matre creatos,
Tergeminos fratres, quos sors tulit aspera belli
Tu tamen ingenteis miserae lenire dolores
Tèntabas, patris quondam quum regna Mynetis
Verteret, atque virum laetho daret asper Achilles,
Pollicitus thalamumque ducis, primosque hymenaeos,
Regnaque Mirmidonum, & laetae convivia gentis.
Propterea te flere jubat, semperque juvabit,
Optime Grajugenum, fuerit dum vita superstes.
Talia fundebat lacrimans, planctumque sequutae
Ingemuere aliae, Patrocli non fata puellae.
Quaeque suas sed enim volvens sub pectore curas.
Pelidem interea proceres ad prandia certant
Cogere, nec dictis, precibus neque mobilis ullis:
Ast ego, siqua meae tangit vos cura salutis,
Deprecor, obtestorque, dapeis ne, aut pocula nobis
Consulite, aut memorate, viri, dolor intimus urget,
Sustineam Nerei donec Sol regna revisat.
Haec ait, abscedunt propria in tentoria quisque
Atridas praeter geminos, Laerteque natum.
Restitit & Nestor, Phaenixque agitator equorum,
Et Cretae Idmoneus rector, varioque levabant
Moerentem sermone animum; nec laetior inde
Martem ardet, caedeisque virum, fusumque cruorem.
Suspiratque memor crebro, adfaturque jacentem:
Saepe mihi quondam ad puppem, miserande sodalis,
Solicitus, properansque dapeis apponere mensis
Et potum solitus, si quando in praelia Graium
Irrueret festina cohors Phrygia agmina contra.
At nunc ipse jaces: expers potusque, cibique
Ille tuus dolet interea, & tristatur Achilles.
Nam mihi non gravius quicquam, non durius unquam
Contigerit, non si Pelei genitoris acerbum
Audirem fatum, qui charae prolis amore

Digitized by Google

Nunc Phtia in patria lachrimas effundit inaneis;
Tyndaridem invisam propter, dum Pergama circum
Bella gero in Priamum natalibus exul ab oris.
Non si fata Neoptolemum mihi saeva tulissent,
Qui Scirum ad pinguem tectis adolescit in altis,
Si modo spirat adhuc, & coeli pascitur aura.
Nam casurum equidem Phrygio me in litore solum
Credideram demens, & te super inde futurum,
Qui patrias iterum in sedeis, Phtiamque reversus
Ab Scyro aveheres multo cum remige gnatum,
Et rerum ignaro monstrares singula Tute,
Arvaque, servosque; & famulas, gazamque repostam,
Nam Peleum interiisse reor, tristive senecta
Vix vitam trahere invisam, semperque paventem
Vulneret occisi gnati ne nuntius aureis.
Talia flens memorat, Danai adgemuere, parentum
Quisque memor, charaeque domus, patriaeque relictae,
Lugenteisque Deum genitor miseratus ab alto est,
Palladaque adstantem adloquitur sic ore sereno;
Tantane te chari ceperunt taedia Achillis,
Armipotens? fortemque virum sic deseris usque?
Namque ante ille rateis luget miserandus Achivas
Occisum comitem reliqui per castra paratis
Indulgent epulis proceres; potusque, cibique
Immemor ille gemit, propera, atque in pectora nectar,
Ambrosiamque infunde viro, ne in bella ruentem
Dura fames premat, & potus malesuada cupido.
Hæc ait, optantemque ultro dicto impulit, harpae
Tum similis patulasque alas, vocemque canoram
Desilit ab coelo. Jamque in certamina turmae
Armantur Danaum, nectarque in pectora Pallas,
Ambrosium & succum moerenti instillat Achilli,
Ne importuna fames languenteis occupet artus.
Dein patris aeternas iterum contendit in aedeis.
Grajugenae interea ratibus funduntur ab altis,
Ab Jove ceu quondam in terras nivis acta per auras

Digitized by Google

Densa cadunt glomera, & Boreae vis maxima saevit.
Sic crebrae ab ratibus galeae, cristaeque comantes,
Thoracesque cavi, clypeique umbone corusci,
Fraxineaeque hastæ totis densantur in agris.
Nubilaque, & cœlum immensum, tellusque renidet
Alma procul, pulsuque pedum tremefacta remugit.
Ipse inter medios rutilis accingitur armis
Pelides, frendentque gravi cum murmure dentes.
Ardescuntque oculi flammis, praecordiaque intus
Ira agitat, mixtusque dolor, tum dona parentis
Vulcani suris ocreas primum aptat ahenas,
Plurima quas mordens argentea fibula nectit.
Pectora dein circum squammis auroque rigentem
Loricam, & clavis distinctum accingitur ensem
Fulmineumque, gravemque humeris, dein corripit orbem
Ingentis clypei rutilo procul aere micantem,
Plena velut Luna, aut deserto in culmine montis
Qualis flamma rubet findentibus aequora nautis
Nocte intempesta; ast olli jactante procella
Ab charis procul accelerant, pontoque feruntur,
Talis ab Æacidae clypeo petit aethera fulgor.
Hinc galeam capiti flammantem, & sideris instar
Fulgentem induitur, super aurea crista tremendum,
Vulcani artificis labor, alto ab vertice nutat.
Crebraque vertebat sese, ac tentabat in armis,
Congruerentne sibi, membris satis apta movendis.
Alarumque instar magnarum in proelia Regem
Ferre videbantur, totoque attollere campo.
Deinde hastam rapit ingentem, validamque gravemque,
Quam non ductorum quisquam torqueret Achivum
Pelidem praeter mortali haud matre creatum.

V. 383. *Plena velut Luna*. Hanc similitudinem præ oculis habuisse credo Virgilium in 3, quum de Cyclopis oculo:
„ Argolici clypeo, aut Phœbææ lampadis instar „.

Hanc Peleo Chiron dederat, quae fraxinus olim
Pelias alticomo surgebat vertice ad auras.
Quot mox illa viris mortem allatura cruentam!
Automedon bijugos properans, atque Alcymus una
Curribus aptabant, & lora jugalia circum
Aurea tendebant, froenabantque ora lupatis.
Ipse manu scuticam, & pictas moderatur habenas
Automedon; dein cristatus conscendit Achilles,
Sol veluti, in pulcris collucens aureus armis,
Et bijuges torva adloquitur sic voce paternos:
O Balie, & Xanthe, auricomae stirps magna Podarges
Videritis salvum aurigam qua ex Marte cruento
Arte, viaque iterum tentoria ad alta feratis,
Nec Patroclum veluti stratum me linquite campo.
Huic tunc Xanthus equus(namque olli in pectore vocem
Indiderat Juno) tali sermone profatur;
Formosumque caput, demissaque tota loquenti
Circumfusa juba in terram ab cervice pependit.
Te nunc incolumem, Pelide, in castra feremus;
Sed tibi jam postrema dies atra imminet umbra;
Nec nos causa mali; sed tristia fata, Deusque.
Nam neque segnitiem ob nostram Phryges arma tulerunt.
Ex humeris Patroclo: fortissimus ille Deorum
Prostravit primam ante aciem, Latonia proles.
At nos non madidis praeverterit ocyor alis
Insignis Zephyrus, quo non velocius ullum
Ventorum genus: Iliàcis quin te quoque campis
Fata manent paria, & Divum inviolabilis ordo.
Vix ea, quum vocem Eumenides pressere loquentis.
Talia cui contra vomit indignatus Achilles:
Xante, quid insolita fatum mihi voce minaris?

V. 412. *Huic tunc Xanthus equus*. Qui equum loquentem apud Homerum rident, curnon Celæno volucrem vaticinantem rident in 3. Æneidos?

Haud etenim te sancta decent oracula vatem.
Atque mihi procul ab charo genitore cadendum
Novi equidem; sed non Phrygias turbare catervas
Cessabo interea, & sceleratam sternere gentem.
Haec ait, horrendumque tonans per plana citatos
Urget equos, campoque volans se immittit aperto.

LIBER VIGESIMUS.

ARGUMENTUM.

Jovis jussu Dii Græcis, Trojanisque, ut cuique libitum, auxiliantur. Æneam ex congressu Achillis servat Neptunus nebula tectum. Achilles, quum alios, tum Priami filium Polydorum interficit, deinde in Hectorem ruit, qui tamen favente Apolline ipsi subducitur, Trojanos reliquos, pluribus occisis, fugat.

SIc te, gnate Dea, circum toto horrida campo
Agmina funduntur, properantque in prœlia Grajum,
Inde ruunt Teucrorum acies de colle propinquo
Interea Themidem rector jubet ætheris alti
Sideram in sedem immortaleis cogere Divos.
Illa volans, cœlumque ingens, terrasque peragrat.
Undique conveniunt superi, parentque vocanti,
Diique, Deæque omnes fluviorum, & numina ponti
Oceanum præter, nemorum quæque ardua Nymphæ,
Fonteis, quæque tenent liquidos, herbosaque prata.
Considunt tectis, & picta sedilia complent,
Plurima quæ magna genitori Mulciber arte
Fecerat auratis inter distincta columnis.
Venerat & Jovis imperiis excitus ab undis
Neptunus, mediisque sedens sic farier orsus;

Digitized by Google

Jupitar eccurnam Superos in tecta vocasti?
Teucrorumne iterum, ac Danaum de rebus agendum?
Ferme equidem video truculentum fervere Martem.
Olli tum genitor, nutu qui nubila cogit.
Nosti, frater, ait, nec opus jam dicere plura,
Nam vertenda licet, miserorque, & Pergama curo.
Ipse sedens procul ætherei de culmine Olympi
Armaque, pugnarumque viceis, stragemque serenus
Conspiciam, vos in medias contendite turbas.
Auxilium dare Trojugenis, Danaisve comatis
Nil veto, suaderem potius, namque illicet unus
Agmina tota Phrygum insiliens turbarit Achilles.
Scilicet adspectum non substinuere furentis
Ad naveis nuper; rabido nunc ille dolore
Percitus, armatusque altas conscenderit arceis,
Verterit & Priami fatis nolentibus urbem.
Hæc ait, atque odiis Divi exarsere cruentis.
Illicet in pugnas animis discordibus inde
Adproperant. Juno ad naveis contendit Achivas,
Undarumque potens Neptunus, & effera Pallas.
Mercuriusque, & Vulcanus; prudentibus ille
Consiliis bonus, at dextra præstantior alter
Ægra trahens quanquam invalidis vestigia plantis,
Mars Teucris favet, & crineis intonsus Apollo,
Et Charitum Cytherea comes, jaculisque Diana,
Insignisque arcu, & genetrix Latona Dianæ,
Et Xanthus pater. Ac turmis dum numina longe
Magna aberant, animis pubes Argiva tumebat
Pelidem adspectans præeuntem, armisque furentem;
Teucrorum contra gelidos tremor occupat artus,
Ut faciem ducis invisam, splendentiaque arma

V. 26. *Suaderem potius*. Putidiusculum hoc, & quæ sequitur Divorum hinc Græcis, hinc Trojanis faventium discordia. Hæc tamen non hominis, sed falsæ religionis vitio tribuenda. Putidiora adhuc, & quæ vix legi possunt, quæ in sequenti libro habentur, ut notavimus.

Conspexere procul; sed postquam gramine toto
Miscuerat se turba Deum mortalibus armis,
Tum vero exoritur pugnæ insatiabilis ardor.
Jamque super muro, atque altæ de margine fossæ,
Litore jam super horrisono Tritonia Pallas
Æratam intendit vocem; Mars ferreus atro
Hinc nimbo similis turris nunc culmine ab alto;
Nunc rapidum propter Simoenta, per ardua cursans
Culmina, colleisque, ingenti clamore catervas
Dardanidum ciet in pugnam: furit undique ferri
Perniciosus amor, sitis atque infanda cruoris.
Tum Superum pater horrendum tonat æthere ab alto;
At terram immensam, montanaque culmina subtus
Neptunus quatit, abque imis radicibus Ida,
Verticibusque tremit, Teucrorumque ardua tecta,
Argivumque rates, tum vero exterritus, amens,
Tartareus Pluto ab solio se corripit alto
Exclamans, pontum, totasque dehiscere terras:
Exosasque ratus Diis, & mortalibus umbras,
Et loca senta situ, ac Superis metuenda refusum
Admissura diem, & pertæsi lumina Phœbi.
Tanto Cœlicolæ in pugnam clamore ruebant.
Neptunum contra arcitenens pugnabat Apollo.
At Marti sese opposuit Tritonia Pallas:
Obvia Junoni ingreditur soror aspera Phœbi,
Venatrix arcumque gerens, gravidamque pharetram.
Mulciber hinc, illinc rapidi stat vorticis amnis,
Quem Xanthū Superi; ast homines dixere Scamandrum,
Diique Deos contra furiis ingentibus ibant.
Hectora Priamidem sed enim fremebundus Achilles
Gramine vestigat toto, quem sanguine fuso

Ver. 59. *At terram immensam*. Unde Neptunus *Εννοσιγαιος* terræ quassator dictus. Sublimem hanc imaginem multùm commendavit Longinus, qua nulla quidem sublimior in profanis vatibus invenitur.

Inferias Patroclo, ac poscentibus immolet umbris.
Ast ipsum contra Æneam instigabat Apollo
Priamidæ incessum, referensque Lycaonis ora,
Inspiratque animos, acuitque his pectora dictis:
Dux Anchisiade, quo jam fiducia cessit,
Jactatæque minæ, queis te inter pocula, iturum
Pelidem armatum contra tumido ore canebas?
Hæc ait, Æneas tali tum voce loquutus;
Quid repetens promissa memor me opponere Achilli
Invitum cogis? Stetimus tela aspera contra.
Contulimusque manum quondam, quum Pedason altam,
Lyrnessique arcem, & campos vastabat opimos,
Idæumque jugum, armentis huc victor abactis,
Et gregibus patriis: tum me nisi Jupiter ipse
Servasset roburque addens, genibusque vigorem
Pelidæ ferro jacuissem, vique Minervæ,
Quæ Regem antevolans Leleges, Teucrosque jubebat
Sternere palanteis: hominum non ullus Achillem
Propterea steterit contra, namque æthere ab alto
Semper adest Deus, avertitque ab corpore tela;
At contorta manu nunquam sine sanguine fuso
Evolat hasta viro: Quod si Deus arma paranti
Afforet Æneæ, & lanceis suspenderet æquas,
Auderem, quanquam se corpore jactet aheno
Hæc Anchisiades; contra sic fatur Apollo:
Tu quoque Cœlicolas flectas in vota precando,
Quandoquidem Veneris de sanguine diceris ortus;
Inferiore Dea genitus nam fertur Achilles:
Illa Jovis genus; hæc contra sene nata marino est.
Surge, age, gnate Dea, ferroque invade corusco
Impavidus furias, & verba minacia contra.
Dixit & insueto perfudit robore membra,
Primoresque inter squammis ruit asper ahenis.
Consilium sed enim Juno, mentemque ruentis
Agnoscens: his ad Divos sermonibus usa est:
Neptune armipotens, tuque, o Tritonia virgo,

Accipite hæc animis: Æneam instigat Apollo
Pelidem contra. Nobis aut vertere retro (Achilli,
Certandum est; nostrum aut quisquam magno adsit
Inspiretque animum: primis, summisque Deorum
Se charum agnoscat, stultos, sensuque carenteis
Trojugenum proceres, qui debita mœnia flammis
Fata Deum contra ferro defendere certant.
Propterea in pugnam ab cœlo descendimus alto,
Ne quid Teucrorum infestis patiatur ab armis,
Nunc, inquam, sed deinde tamen quæ tristia cumque
Nascenti Eumenides neverunt fila sorores
Pertulerit; sciat hæc Divum sed voce necesse est,
Æacides ne insueta sibi improvisa repente,
Atque horrenda Deum miseris mortalibus ora
Extimeat pavidus medio in discrimine pugnæ.
Tum frater: Ne sævi, inquit, Saturnia Juno,
Nec decet; at Divum in sese convertere dextras
Non equidem vellem nobis authoribus unquam
Qui reliquis longe præstamus robore, & armis.
Quin potius procul a strepitu speculemur, & agro
Prælia linquamus miseris mortalibus; at si
Mars pugnam incipiat, pharetrave insignis Apollo,
Pelidem aut pugnare vetent, contra ibimus ipsi,
Ab campisque, reor, confestim culmina Olympi
Summa petent dextra domiti, & fulgentibus hastis.
Sic fatus præit in murum, quem cæsia Pallas
Amphitruoniadæ, & Teucri exstruxere prææltum,
Ut monstrum effugiens posset vitare marinum,
Quum premeret cursu, rueretque ab litore in agros.
Illic Neptunus, Diique insedere reposti,
Nube humeros circum, & densa caligine tecti.
Collibus at reliqui oppositaque in parte sedebant

V. 140. *Amphitruoniadæ*. De hoc Herculis facinore, Hesione, Laomedontis filia, & marino monstro vide Ovidium lib. Metamorphos. 11. fab. 7.

Te circum, Phœbe arcitenens, Martemque furentem.
Plurimaque hinc illinc vario sermone serebant,
Aggredier sed enim pugnam cunctantur utrique,
Jupiter irritatque animos, dictisque lacessit.
Interea densant se acies, fulgentibus ardent
Arva armis, pulsuque pedum tremit excita tellus,
Atque virum clamor, fremitusque ardescit equorum.
Hinc Anchisiades, ruit hinc galeatus Achilles
Adversi campo, longumque hastile coruscans
Advolat Æneas prior, atque ad pectora ahenum
Pretendit clypeum, capiti tremit ærea cassis,
Dein ruit Æacides vesani more leonis
Oppida quem contra, & duri glomerantur agrestes,
Ille quidem lentus graditur, temnitque; sed hasta
Percussus semel, horret hians, iraque superbus
Contorquet sese, spumis simul ora madescunt,
Atque urget sese in pugnam, & latera ardua cauda
Verberat, impavidusque ruit per tela, per enseis
Torva tuens, cadere, aut turbam perrumpere certus,
Sic Anchisiadæ adversus tendebat Achilles.
Et prope: Quid præter tantum Phrygia agmina vectus
Antevolas, ait, Ænea? Num cernere ferro
Mecum audes, Priami sperans dominarier arce?
At non, me quanquam domito, tibi debita gnatis
Sceptra dabit rerum gnarus, prudensque futuri
Laomedontiades. Cererine, aut pinguia Baccho
Jugera polliciti Troes, si victor Achillem
Straveris?at non usque adeo imprudensque, rudisque es.
Jam te equidem quondam pascentem armenta fugavi
Culmine ab Idæo. (meministin?) oraque numquam
Vertebas properante fuga, Lyrnessia donec
Mœnia perventum; tamen hæc victricibus armis
Everti Jovis auspiciis, glaucæque Minervæ
Matribus abductis, opibusque; at Jupiter hinc te
Servavit, Divumque alii, nec rursus opinor
Audentem servare volent, miscere tuorum

Digitized by Google

Turmis propterea , nec Achillem Marte lacesse .
Stultos facta docent , prudens cavet ante futura .
Olli Anchisiades: Quid me , fortissime tentas ,
Ceu puerum , terrere minis ? Convicia pronum est
Cuique loqui : genus amborum sat novimus ambo
Edocti fama , nec enim patrum ora tueri
Amborum ambobus licuit ; tibi Nympha marina est
Ex Peleo genitrix , nobis est sanguinis author
Anchises , Venus & mater , nunc funera gnati
Alterutris ploranda manent , puerilia namque
Praelia non reor , & nullo dirimenda cruore .
Quod si audire vacat terras quae nota per omneis :
Dardanus ab Jove Dardaniam prior extulit urbem ,
Nam nec adhuc Phrygio stabant sacra Pergama campo,
Irriguas tantum valleis , imasque colebant
Radices Idae : Hic opibus clarissimus ille
Ortus Erichtonius , ter cui millena per agros
Corpora foetarum fuerant pulcherrima equarum .
His Boreas magno pascentum illectus amore
Permiscet sese cervicem indutus equinam,
Undantemque jubam . Bis sex hinc venit equarum
Eximium genus , & rapidis velocius Euris .
Quaelibet intactae segetis per summa volaret
Culmina , nec teneras cursu laesisset aristas ,
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter , celeres nec tingeret aequore plantas .
Trois Ericthonius genitor , cui mascula proles
Ilusque , Assaracusque ingens , & Diis Ganymedes
Par forma , atque hominum roseo pulcherrimus ore ,
Pocula quem Patri mixturum ad sidera quondam

V. 198. *Ortus Erichtonius* . Fuit & alius Atheniensium Rex , sed illum Homerus non Erichtonium , sed Erechteum vocavit in 2. Iliad.

V. 204. *Qualibet* . Quatuor hos versus hinc transtulit Virgilius ad celeritatem Camillæ commendandam in 7. Aeneid.

V. 209. *Ganymedes* , De hujus raptu vid. interpretes Virgilii ad 5. Aeneidos .

Dii rapuere. Ilus clarum dein Laomedonta,
Tithonum hic, Priamumque senem, Lampumque creavit,
Et Clytium, atque insignem Hicetaona, Martis alumnum,
Assaracusque Capin, Capis Anchisem, hocque parente
Natus ego; Rege ex Priamo satus inclytus Hector.
Hoc genus est mihi; sed vireis, & robur in armis
Jupiter, ut libitum tribuit mortalibus; ipse
Omnipotens solus, Divumque, hominumque repertor.
Haec alias tamen; armatis non ore, sed hasta
Certandum est, hominum nam lingua volubilis usque,
Verborumque patet latè seges, inde vicissim
Qualem protuleris sermonem, audiveris ipse.
Sed quid anus veluti dictis certare necesse est?
Quae medio seu vera foro, seu falsa (furenteis
Namque animos ira excoecat) convicia jactant.
At non me dictis, sed ferro avertere tenta,
Si potes, audendum jamque, experiundaque dextra est.
Dixit, & in clypeum ferratam conjicit hastam
Terribilem, visu horrendum, sonat aereus umbo,
Quem dextra Æacides submotum ab corpore longe
Protendit, veritus densos ne abrumperet orbeis
Telum Anchisiadae, Divum dona inclita demens
Posse ratus mortali hominum diffindier ictu.
Bina etenim scuti perrupit tegmina cuspis,
Trinaque erant frangenda super, namque aerea bina
Fecerat Ignipotens, totidemque stannea supra,
Postremamque auro ex fulvo. Dein surgit in hastam
Fervidus Æacides, clypeique hostilis ad oram
Extremam, qua terga boum, tenuissimaque aera
Pelias irrupit totum cita fraxinus orbem.
Subsidet Æneas, scutumque ab corpore longe
Sublatum tenet attonitus, volat hasta supernè,
Tellurique infixa tremit, tum constitit heros,
Ac telum prope respiciens perterritus haesit.

Digitized by Google

Advolat Æacides clamans stricto ocyus ense:
Trojus Æneas ingenti pondere saxum
Corripit: haud illud gemini ab tellure tulissent
Florentum juvenum, praesens quos parturit aetas.
Et saxo clypeum aeratum, galeamve ruentis
Tunderet incassum, Pelidaeque ipse jaceret
Vi domitus, nisi Neptunus miseratus ab alto
Adstanteis tali Divos sermone cieret:
O Superi, Æneae miseret, qui ingentis Achillei
Sub ferro cadet actutum, promissa sequutus,
Dictaque Pœbæa. Infelix: Anne auspice laethum
Vitaret Phœbo? Sed cur nil tale merentem
Fata premant: aliis jam dudum debita Teucris?
Soepe quidem nostris gratissima munera templis
Ille offert, agite, & fato eripiamus acerbo.
Jupiter ab saevo simul indignetur Achille
Occisum Æneam, genus atque extinguier omne
Dardanidum, patri charus nam Dardanus ipsi
Terrigenas inter mortali ex matre creatos
Ab sese, Priami ac sobolem Saturnius odit;
Sed domus Æneae dominabitur inclyta Teucris,
Et gnati gnatorum, & qui nascentur ab illis.
Haec Deus, at Juno: Æneam clarumque, piumque

V. 248. *Haud illud*. De priscorum hominum proceritate, & viribus vide Plinium, Solinum, Huetium, & Aug. de Civ. Dei lib. 15, ubi Virgilii locum in 12, & Homerum citat, quorum imitationem in Alexandriade, uti palmarem in Philosophia errorem quidam reprehendit.

V. 266. *Sed domus Aenea*. Quod Virg. ampliavit in 3.
,, Hic domus Aeneæ cunctis dominabitur oris.
,, Et gnati gnatorum &c. ,,
quasi Homerus *πάντεσσι* non *Τρώεσσι* scripserit, quod non nullis in codicibus legitur, & Spondanus aliis judicandum reliquit. Similis prædictio habetur etiam in Hymno Veneris sive is Homeri sit, sive Poetæ alterius. Ingenium certe, & stylus Homerum non dedecet. Sunt qui hoc loco innixi adventum Aeneæ in Italiam fabulis adnumerent.

Perdere, seu servare voles, tute ipse videto.
Namque ego, Pallasque auxilium juravimus olim
Nulli allaturas Teucrorum, Pergama quamquam
Grajugenum ruerent ultricibus eruta flammis.
His Deus auditis properat, pugnasque per acreis,
Stridenteisque hastas, stabant qua Trojus heros,
Pelidesque furens, densamque huic lumina circum
Affundit nebulam genitor, telumque revulsum
Dardanio ab clypeo coram locat, inde trementem
Corripit Æneam, magnoque per aera saltu
Heroum capita alta super, super agmina equorum
Transfert sublimem, pictis Caucones in armis,
Qua procul extremo miscebant praelia campo,
Compellatque virum, verbisque adfatur amicis:
Quis te Coelicolum magno commisit Achilli
Deceptum, Ænea? quippe & te fortior ille est,
Charior & Superis. Ipsum vitare memento
Ni cadere ante diem cupis; at post funera Achillis
Impavidus pugna, nec enim te occiderit alter.
Tantum effatus, & ad magnum festinat Achillem,
Ex oculisque umbram removet, circumspicit heros,
Infremit, & secum: Quaenam haec miracula cerno?
En telum; telo sed enim, gladioque petitus
Hostis abest, Charus Superis erat ille profecto,
Nec talem tumido incassum sese ore ferebat:
At valeas; iterum nec tu tentabis Achillem,
Ut reor, atque lubens nigrum vitaveris Orcum.
Ast ego Grajugenas cogam, Martemque ciebo.
Sic fatus volat, atque acies hortatur Achivas:
Nunc propius conferte manum, gens inclyta, Graii;
Virque virum legat, haud unus invadere Teucrum
Agmina tot possim, nam nec Tritonia Pallas,
Nec Mavors quanquam mortali haud semine natus.
At quantum celeri cursu, atque hoc robore dextræ,
Quantum animis valeo, contendam densa virorum
Tela per, atque acies, si se mihi sistere quisquam

Gaudebit propiùs, telique venire sub ictum.
Haec ille, at Teucros contra ciet efferus Hector,
Adversumque viro sese testatur iturum:
Pelidem, socii, ne formidate minantem.
Voce quidem facile est ipsos incessere Divos,
Non certare manu, longè nam robore praestant.
Nec quæ ille in Teucros jactaverit omnia cumque
Perficiet penitus; quædam imperfecta relinquet.
Obvius ire paro, flammæ licet ille furenti
Par dextra, flammæ par dextra, & robore, ferro.
Sic fatur, Troumque acies densantur in unum,
Attolluntque hastas, magno & clamore per agros
Adversi properant; claro verum Hectori Apollo:
Pelidæ primam ante aciem occursare caveto;
Agmine sed medio, densaque hunc excipe turba:
Non aliter teli, aut ensis vitaveris ictum.
Hæc ait, & vocem, divinaque jussa sequutus
Dardanidum turbæ immiscet se exterritus Hector.
At contra furit Æacides toto efferus agro
Horrendum inclamans, lectissimaque agmina agentem
Iphitiona premit primum, magnumque, gravemque,
Nais Otrinteo peperit quem candida Regi
Tmolo sub gelido ad muros prædivitis Idæ.
Olli per medium subiit caput hasta ruenti,
In parteisque secat geminas: vasto arma fragore
Insonuere super, lapsoque insultat Achilles
Isthic nunc, metuende, jace, tibi Troja sepulchrum,
Gigæam sed enim propter domus alta paludem,
Et genus, atque ager Hyllæi prope fluminis undam
Piscosam, raucumque sonans qua volvitur Hermus,
Sic ait, atque oculos olli obtexere tenebræ,
Atque rotas subter pedibus calcatur equorum.
Deinde Antenoridem fortemque, & vana tumentem
Demoleonta petit, galeamque ad tempus ahenam
Perrumpit, penitusque imum subit hasta cerebrum.
Hippodamas telo dorsum trajectus acuto

Dein cadit, ille rotas dum saltu deserit altas,
Et fugit ante celer, mugitque invitus ad aras
Ceu taurus, Neptune, tuas, quem turba virorum
Hinc trahit, inde urget minitans, gaudetque tuendo
Æquoreus genitor, moriens sic ille fremebat,
Exhalansque ferocem animam: furit asper Achilles
Teque petit, Polydore, pater quem corpore pulchro
Præstantem, cursuque pedum, natuque minorem
Dilexit Priamus, pugnaque avertere ab acri
Multa rogans lacrimis tentavit sæpe coortis;
Incassum sed enim, tumidus namque ille juventa,
Et cursu celeri ante acies in bella ruebat,
Tergaque currentis præter, qua baltheus auro
Nectitur, & geminus fulgebat murice thorax
Pelides jaculo assequitur, perque ærea cuspis
Adversum egreditur ventrem, tum poplite utroque
Tundit humum lapsus, difusaque viscera dextra
Colligit ad sese, atque alto de pectore magnum
Dat gemitum, dura clauduntur lumina nocte.
At fratrem adspectans morientem Trojus Hector
Horruit, ac subitis oculi obstupere tenebris,
Nec jam stare procul patitur, volat obvius igni
Par rapido, longamque manu quatit horridus hastam.
Ut videt, ut salit, infrendensque hæc fatur Achilles:
Ecce virum mihi tot fontem, causamque malorum,
En Patrocli interfectorem: non jam amplius ulli
Occursum vitare fuga licet. Hectora deinde
Adloquitur: propera, hic vitæ tibi terminus hæret:
Talibus Æacides, contra imperterritus Hector:
Gnate Dea, quid me hoc vultu, atque hoc ore minaci,
Ceu puerum, terrere paras? Convicia pronum est
Cuique loqui, & jactare minas: mihi robore præstas
Non equidem inficior; tamen est victoria Divum.

V. 373. *Tamen est victoria Divum. Non enim salvabitur Gigas*, id est, robustissimus quisque, *in multitudine virtutis suæ*, *& fallax equus ad salutem*, atque hujusmodi sexcenta in sacris libris.

Non virtutis opus, forsan te in Tartara mittam.
Deterior quanquam, & nostrum penetrabile ferrum est.
Hæc ait, intorquetque hastam; sed flamine leni
Reppulit hanc Pallas Pelidæ ab corpore retro
Ipsum ad Priamidem, deinde irruit asper Achilles
Voce tonans magna; verum Hectora Phœbus Apollo
Eripuit nigra circum caligine tectum.
Nam quid enim Dii non possint? Ter Thessalus heros
Irruit, & vacuam ferro transverberat umbram,
Invaditque iterum, funditque hæc ore minaci:
Rursum fata Deo vitasti extrema secundo,
Perfide, & instanti eripuit te Phœbus ab ictu,
Quem tu in vota vocas Martem aggressurus, & arma.
Non iterum certe effugies, mihi forte Deorum
Siquis adest, nunc Teucrorum sequar agmina ferro.
Hæc fatus, Driopem jaculo transfigit acuto
Cervicem ad mediam, fusumque relinquit arena,
Demuchumque Philetoridem stridente coercet
Percussum telo ad genua afflictumque, labantemque
Assequitur cursu, atque animam magno eximit ense.
Inde Biante sati curru exturbantur ab alto,
Laogonus gladio, emissa sed Dardanus hasta.
Troaque Alastoridem prosternit multa precantem,
Prendentemque genu paribus ut parceret annis,
Vesanum! qui supplicibus frendentis Achillei
Tentarit, blandisque animum convellere dictis.
Ergo tendentemque manus, & plura parantem
Excipit ense furens, mediumque intersecat hepar,
Viscera tum largo in terram fluxere cruore.
Ille cadit, duræque oculos texere tenebræ.
Occidit & crudo trajectus tempora ferro
Mulius, huic dextram stridens subit hasta per aurem,

V. 382. *Irruit*. Quod de Aenea Virgilius in 6.
V. 398. *Qui supplicibus*. „ Qui iracundus, innexorabilis, acer,
„ Jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis,

Perque meat lævam, magno deinde impete Echéclum
Sternit Agenoridem, medium cui findit acuto
Ense caput, nigroque acies intincta cruore
Incaluit, lapsique oculos sopor urget ahenus.
Sævit amor ferri, & cubiti qua extrema cohærent
Deucaliona petit, fulgentemque ingerit hastam.
Restitit ille gravi transfixus membra dolore
Haud certi ignarus læthi, mortisque futuræ.
Pelides volat, & gladio cervice recisa,
Inde procul caput ærata cum casside in auras
Excutit, ille cadens fuso rigat arva cerebro.
Deinde ruit, te Rhygme, petens, quem Thracia pinguis
Miserat in pugnas Pireo genitore creatum.
Et stomachum venit in medium penetrabile telum,
Infixumque hæret: pronus de curribus altis
Volvitur ille cadens, famulum tum fræna tenentem,
Vertentem ac trepidos retro per plana jugaleis
Sternit Areithoum; fugientis ahenea dorsum
Hasta subit, trepidi huc, illac per gramina cursant
Cornipedes, tum ceu magno cum flamma sonore
Culmina piniferi depascitur arida montis,
Dant animos venti, sparguntque incendia latè,
Convallesque cavæ resonant, silvæque profundæ.
Haud secus huc, illucque furens discursat Achilles,
Membra Deo similis, fluit ater sanguine campus.
Atque velut geminos lata quum fronte juvencos
Junxerit agricola, ut Cereris flaventis aristas,
Hordeaque alba terant, olli volvuntur in orbem,
Mugitusque sonat procul, atque immane gementum
Sub pedibus grana, & paleæ franguntur inanes:
Tales Æacidæ rapido per gramina cursu
Raptantur bijuges, truncataque membra virorum

V.437. *Raptantur bijuges*. Pulcherrimam hanc imaginem delibasse videtur Virgilius in 11. Sed ad Homeri dignitatem, & majestatem non assurgit, quod jam alii observarunt.

Digitized by Google

Calcabant, clypeosque, & fusa cadavera campo,
Ferreus atque axis, sedesque, orbesque rotarum
Sanguine foedantur (miserandum) atque ære sonoro
Cornipedum putreis spargit rapida ungula rores.
Pelides famæque avidus, laudisque futuræ
Vertitur huc, illucque fremens vestemque decoram
Invictasque manus, fœdatusque arma cruore
Et sudore gravi, atque arentis pulvere campi.

LIBER VIGESIMUSPRIMUS.

ARGUMENTUM.

Trojanos in duas partes divisos partim in urbem, partim in Scamandrum fluvium Achilles agitat, duodecimque juvencs vivos capit ad Patrocli rogum mactandos. Lycaonem, & Asteropæum interficit. Dein fluvio inundante, incolumem ipsum servat Vulcanus, qui fluvium, campumque incendit. Dii inter se digladiantur. Achillem inhibet Agenoris sub specie Apollo, fugiendoque decipit: interea salvi redeunt in urbem Trojani.

UT ventum ad ripam, & Xanthi saxosa fluenta:
Ab Jove cui genus, hinc Teucros, atque inde fatigat
Jamque hos in muros toto fugat æquore campi,
Qua prius Argivum turmas agitaverat Hector,
Adproperantque fugam trepidi; sed mœnia Juno,
Atque urbem involvit nimbo, & caligine cœca,
Inde alii in vada præcipitant argentea Xanthi.
Et rapidos tranant latices properante tumultu,
Dant undæ sonitum, & ripæ ingemuere profundæ:
Olli urgent sese, atque hinc, atque hinc cœrula nantes
Stagna secant fremitu ingenti, ceu flamma repente
Quum furit in saltu, crepitantque arbusta, locustæ

Undique prosiliunt subita formidine pulsæ
Fluminis ad ripam, facto mox agmine in undas
Dant sese attonitæ, sic pone sequentis Achillei
Agmina pulsa metu fluvium opplevere sonantem,
Cornipedes, mixtique viri; tectamque myricis
Ille hastam ingentem linquens ruit asper in undas
Ense minax nudo, jamque huc rotat, & rotat illuc.
Fit gemitus morientum, & sanguine tingitur amnis.
Delphinemque velut pavidi per cœrula pisces
Hac, illac fugitant reliqui, tutosque recessus,
Anfractusque petunt imos; ille obvia quæque
Devorat insiliens, pubes sic territa Teucrum
Pelidem fugit instantem, perque antra, per altas
Abdunt se rupeis: cædendo fessus Achilles
Bis sex hic juvenes, Patrocli quos immolet umbris
Inferias rapit, attonitosque, & mentis egenos
Ex fluvio trahit, ac manibus post terga revinctis
Hinnuleos veluti imbelleis in castra ferendos
Committit sociis, rursumque ad fluminis undam
Regreditur cædisque avidus, pugnæque cruentæ,
Obvius hic olli fluvii progressus ab undis
Dardanida natus Priamo stetit ante Lycaon,
Quem patrios populatus agros nocturnus Achilles
Ceperat, is curva ramos dum falce novellos
Scinderet agrestis fici, currumque pararet.
Abductumque virum in Lemnum stirps Jasonis Euneus
Quæsierat pretio; at donis ingentibus ipsum
Imbrius Eetion Lemnum dum viseret hospes
Gratificans Priamoque seni, Teucrisque redemit.
Ille fuga, ab magna in Phrygiam contendit Arisbe,
Nataleisque lareis, vixque illi Aurora refulsit
Undecima, Iliacas postquam regressus in arceis

V. 27. *Bis sex hic juvenes*. Quod imitatus Virgilius Æneas in 10.
„ Quatuor hic juvenes totidem quos educat Ulens
„ Viventes rapit, in ferias quos immolet umbris;

Dilectumque patrem, & matrem oblectaverat ægram,
Quum rursum Æacidæ dextra mittendus in Orcum
Sistitur infelix fato compulsus acerbo.
Intuitusque virum fugientem, ac tempora nudum,
Nam galeam, & clypeum, longamque abjecerat hastam
Defessus cursu, atque ingenti membra labore,
Sustitit, & secum indignans sic fatur Achilles:
Quænam hæc monstra oculis video? Phlegetontis ab unda
Scilicet Argivos contra, atque in bella resurgent
Dardanidæ, reor hic Lemni delatus ad oras
Ut rediit, pelagi nec rauca coercuit unda,
Nec domini timor, aut vires tenuere superbi.
Verum age, nunc duræ experiar post cuspidis ictum,
An Patrios iterum veniat redivivus in agros,
An fata invitum, tellusque coerceat alma,
Quæ ingenteis heroum animas tot distinet Orco.
Hæc secum: attonitusque metu, trepidusque Lycaon
Infestam quum jam Æacides attolleret hastam
Continuo subit, at dorsum super incita cuspis
Mordet humum hostili nondum satiata cruore.
Ille hastam hærentem læva, dextraque furentis
Complexus genua hæc supplex tremulo ore profatur:
Te precor, Æacide, miseri ne despice luctum
Supplicis o Jovis, & Superum sate sanguine Divum.
Nam te apud ipse olim Cereris gratissima dona
Gustavi primum patrio quum captus in agro,
Indeque Lemniacas exul delatus ad oras
Ab patria tellure procul: tibi corpora centum
Inde boum parta; at triplo majore redemptus
Nunc pretio fuerim, vix ex quo Pergama vidi
Bisseni fluxere dies, tristissima postquam
Pertuleram; nunc Cœlicolis, Regique Deorum
Invisum caput hoc rursum fata aspera telis
Objecere tuis. Nimium breve mater in ævum
Me miserum senis Altæi pulcherrima proles

Digitized by Google

Laothoe peperit liquidum prope Satnioenta,
Qua Lelegum populos, & Pedason Æpeessam
Obtinuit quondam, Trojæ hanc dominator opimæ,
Prætereaque alias sacro sibi fœdere junxit.
Hinc gemini nati, geminos tu victor in Orcum
Miseris; ante aciem peditum Polydorus acuto
Nam telo jacet; infelix nunc denique resto
Mactandus, nec enim fatum vitare cruentum
Crediderim, postquam me fors inimica furori
Objecit, telisque tuis; tamen eloquar unum;
Hoc audi, precor, haud miserum me interfice, non sum
Ex Hecuba genitus, non Hectoris illius ipse
Germanus frater, Patroclum qui funere acerbo
Sustulit, assiduumque tibi, fidumque sodalem.
Talia fundebat lacrimans, nec mitior inde
Æacides: Suadere mihi quid talia, demens,
Importuna velis? Equidem mors sæva priusquam
Dilectumque mihi socium, charumque tulisset.
Parcere supplicibus gaudebam: & sœpe redemptos
Restitui, venumque dedi; nunc ultima nemo
Vitarit fata, adversos quot mœnia circum
Obtulerit fortuna mihi Lyciosve, Phrygesve,
Gnatos præsertim Priamo; qua propter, amice.
Nunc morere incassum quid enim suspiria jactas?
Occidit & Patroclus te longe insignior armis.
Qualis ego, quantusque, viden? genitore creatus
Æacide, & genitrice Dea; tamen ultima Trojæ
Me quoque fata manent, animamque hanc auferet olim
Trojugenum quisquam telo; volucrive sagitta,
Sive Aurora siet, seu Phœbi luce micante.
Dixerat, atque olli solvuntur frigore membra,
Demisitque hastam, expansisque hinc, inde resedit
Ambabus manibus, strictumque immitis Achilles
Claviculam propter capulo tenus abdidit ensem.
Fusus humi tremit, & largo rigat arva cruore,
Correptumque pede in fluvium projecit Achilles

Exultansque super tumido hæc de pectore fundit:
Isthic nunc, ingnave, jace, tibi vulnera pisces
Impasti lambent, nec te mœstissima mater
Fleverit impositum lectis; sed in æquoris undam
Vorticibus rapidis Xanthus feret, & tua circum
Viscera cœruleis ludent Delphines in undis.
Sic cadite, o, muris donec potiamur, & arce,
Vos properante fuga trepidi, trepidos ego ferro
Pone sequens, nec vorticibus argenteus altis
Profuerit fluvius, cui pinguia corpora sæpe
Taurorum soliti, & vivos demittere in undas
Cornipedes; tamen infanda vos morte cadetis,
Dum Patrocli cædem indignam, interitumque luatis
Cæsorum, me absente, olim prope litora Grajum.
Sic ait, infremuitque imo de gurgite Xanthus
Indignans, animumque parans frœnare furentem,
Et cladem infandam ab miseris avertere Teucris.
Interea satus Æacida longa arduus hasta
Pelegonis gnatum cursu petit Asteropæum,
Pelegonis, vitrea genitor, cui limpidus unda
Axius, & Peribœa parens, pulcherrima proles
Regis Acessameni, fluvii prope rauca fluenta
Fœmina mixta Deo. Hunc contra contendit Achilles,
Obvius ille volat gemina fortissimus hasta,
Namque animos Xanthus sortem indignatus acerbam
Trojugenum; dederatque viro, atque urgebat in arma.
Quum prope constiterat, Pelides talia fatur:
Quis? qua stirpe virum adversus contendit Achilli?
Infortunatis namque ex genitoribus orti
Occursare mihi soliti. Sic Thessalus heros,
Sic contra Asteropæus ait: Peleja proles,
Quid genus exquiris? procul hinc mihi patria tellus
Pœonia in lata, longis ac Pœonas hastis
Auxiliaturos Priamo socia agmina duxi.
Undecima hæc Aurora mihi, ex quo Pergama veni,
Axius at generis nostri est, & sanguinis author,

Digitized by Google

Axius illimi fluvius pulcherrimus unda.
Pelegona hic bello insignem tulit, hocque parente
Natus ego. Hæc satis: in pugnam veniamus, & arma.
Sic fatur minitans, simul hastam attollit Achilles
Peliadem, ingentem, simul heros Asteropæus
Hinc telum jacit, atque illinc (manus utraque namque
Dextra viro) atque alio clypeum percussit ahenum,
Nec rupisse datum, prohibent Vulcania dona.
Ast alio dextrum cubitum perstrinxit Achillis,
Itque ater cruor; illa volans procul inde resedit,
Tellurique infixa tremit, dein Phtius Achilles
Irruit. Hasta volans hostili ab corpore longe
Fluminea stetit in ripa, atque infigitur alte
Hastile ad medium: stricto salit ocyus ense
Turbidus Æacides; ast ille crepidine ab alta
Telum ingens multo conatur vellere nisu,
Terque ipsum valido concussit robore, terque
Destitit invitus, tandem confringere multa
Vi parat inflectens; sed enim prosternitur ante
Æacidæ ferro ventrem perfosus acuto.
Viscera tum dilapsa fluunt, & ferreus olli
Obrepit sopor, exanimique insultat Achilles:
Sic miserande jace, Jovis atque incessere telis
Parce genus, fluvii quanquam de stirpe creatus.
Ab fluvio tibi; sed nobis genus ab Jove summo est:
Myrmidonum pater imperio, & clarissimus armis
Peleus Æacides, Jovis & genus Æacus ipse.
Jupiter at quantum præstat fluvialibus undis.
Præstiterit tantum fluviorum ab semine natis
Clara Jovis soboles, etenim tibi flumine ab alto,
Quidquid erit, feret auxilium pater arma paranti;

V. 161 *Itque ater cruor*. Agamemnon, Menelaus, Ulysses, Diomedes, & tandem hic Achilles vulnerantur; solus Ajax ex præcipuis pugnatoribus invulneratus ab Trojano bello evadit, ut ab aliis observatum.

Sed non ille Jovem ferro tentaverit audax,
Nam neque purpurea turgens Achelojus unda,
Nec patris Oceani robur certaverit ingens,
Amnibus unde genus liquidis, pelagoque sonanti,
Fontibus ac nitidis, vitreisque paludibus exstat.
Ille tamen Jovis altisoni fulmenque veretur,
Et tonitru horrendum, rupta quum effulgurat æthra.
Hæc ait, & ripa telum convellit ab alta,
Exanimemque virum viridanti in gramine linquit,
Pallenteisque fluens artus nigra abluit unda,
Anguillæque leves, pinguique abdomine raptim
Vescuntur pisces, & hiantia vulnera lambunt.
Interea toto palanteis Pœonas agro
Pelides sequitur, trepidosque, ut morte jacentem
Eximium videre ducem. Mnesusque, Mydonque,
Astypylusque cadit, cadit Ænius, atque Ophelestes,
Thersilochusque ingens, Thrasiusque, & protinus omneis
Mactaret reliquos, imo ni ab gurgite Xanthus
Ora viro similis daret has de pectore voces:
O Peleo sate, terrigenis quam robore præstas,
Hoc indigna magis Diis auxiliaribus audes.
At tibi si penitus Teucrorum evertere gentem
Concessum fatis, nostris saltem exige ab oris,
Exactos tum dede neci; vada respice fusis
Plena cadaveribus, latices agitare sonanteis
In mare purpureum nec jam licet, arctor ubique.
Absiste hinc procul, & nostris avertere ripis.
Dixerat hæc fluvius, contra sic dius Achilles:
Xanthe, Deum soboles, equidem tua jussa libenter
Exequar; at ferro sceleratos sternere Teucros
Non prius absistam celsis quam mœnibus omneis
Clausero, & experiar fulgentine Hectoris hasta

V. 206. *Vada respice fusis*. unde illud: *gemerentque repleti*
,, Amnes, nec reperire viam, atque evolvere posset
,, In Mare se *Xanthus*. *in* 6.

Ipse cadam, cadat an nostræ sub cuspidis ictum.
Hæc ait, atque Deo similis petit agmina rursum.
At Xanthus Phœbum adloquitur sic voce propinquum:
Arcitenens, stirps clara Jovis, sic jussa parentis
Negligis? Iliacis nam te auxiliarier armis
Jusserat, Hesperias donec Sol iret in undas.
Et sacra nox umbra latos circumdaret agros.
Hæc Deus, & ripa subito digressus ab alta
In medium salit: ecce autem tumida unda repente
Æstuat, exundant latices, tum turbidus amnis
Bos veluti, immugit, cæsorum & gurgite ab imo
Corpora trunca virum, nigramque ejectat arenam.
Vorticibus sed enim vivos, rapidisque fluentis
Occulit; Æacidem contra præruptus aquæ mons
Insequitur cumulo, totumque spumeus ambit.
Infremuit ductor, fluctusque obnixus aheno
Urgebat clypeo incedens, subductaque passim
Incassum obnixo fallit vestigia tellus.
Ille ulmum ingentem, & felici fronde comantem
Corripit, & magna ripæ cum parte revellit.
Stipite tum vasto, & ramorum ambagibus undas
Pons veluti cohibens ripam conjunxit utramque.
Insilit Æacides, medioque ab gurgite latos
Evolat in campos celeri velocior Euro.
Insequitur tamen usque Deus nigra horridus unda,
Ab campisque procul pugnantem avertere Achillem.
Et certam parat ab Teucris arcere ruinam:
Hastaque torta manu quanto volat impete, tantum
Æacides fugiens celeri secat aera saltu
Nigræ aquilæ similis robur, rapidumque volatum,
Cui volucrum nulla, aut patulis certaverit alis,
Viribus aut validis, quum se de nubibus altis
Venatrix agit, & liquidum secat æthera pennis.
Huic similis fugit, atque humeros, & pectora circum
Horrendum nitida æra sonant, transversaque cursu
Arva petit, sequiturque virum truculentior amnis

Digitized by Google

Ac veluti irriguas olitor quum fonte perenni
Ducit aquas, clauditque vias, aperitque ligone
Areolas circum, leni tum murmure rivus
Insequitur, teretesque sonans rotat unda lapillos,
Ductoremque ipsum antevolat, sic fluctus Achillem
Assequitur, quid enim virtuti obsistere Divum
Mortalis posset? Quod si convertere frontem
Tentabat quando, dubius num se omnis in unum
Turba Deum rueret quotquot tenet altus Olympus;
Continuo ingenteis humeros, & colla refuso
Alluitur fluvio, & rursum dare terga coactus
Desilit indigno perculsus membra dolore,
Genuaque fessa viro, incerta & vestigia subtus
Pulvere subducto, & luctantum pondere aquarum;
Ingemuitque polum adspiciens, sicque ore precatur:
Summe parens, Superum servabit nullus ab unda
Pelidem miserum? Quam me fallacibus olim
Alma parens dictis, & spe lactabat inani?
Quæ me, Phæbe, tuis sternendum ad Pergama telis
Asseruit. Mene, o Teucrum fortissime gentis
Priamide, haud potuisse tua procumbere dextra!
Strenuus ab simili domitus, victusque jacerem.
Nunc fato indecori media conclusus in unda
Decedam, ceu quem montanus forte subulcum
Deprensum medio torrens oppresserit alveo.
Talia jactanti Neptunus, & aspera Pallas
Adstiterunt simul humanæ sub imagine formæ
Complexique manum firmant his pectora dictis;
Neptunus prior: indignis jam parce querelis,
Gnate Dea, tibi nos quando missi ab Jove summo

V. 270. *Mene*. Hinc illa similia Æneæ in 12.
,, O Danaum fortissime gentis
,, Tydide, mene Iliacis occumbere campis
,, Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra
De quo Diomedis atque Æneæ congressu agit Homerus lib. 5.

Adsumus, undarumque potens, & cœsia Pallas;
Nec tibi fatale est fluvii tumularier undis.
Turgenteisque iterum cernes decrescere limphas:
Hæc animo tamen, & memori sub pectore serva:
Sternere non ferro Teucros absiste, priusquam
Agmina palantum muro concluseris urbis.
Hectore tum domito naveis convertere ad altas.
Hinc decus, & nullo moriturum tempore nomen.
Talia præfati cætum petiere Deorum.
Æacides (urgent etenim Neptunia jussa)
In campum properat, super autem flumine fuso
Stagnabant undæ, & totos fluitare per agros
Cernere erat pulchra arma virum, truncataque membra.
Ille ruit tamen, audentem nec detinet amnis
Auxiliante Dea; sed non Xanthi ira tumentis
Cessat adhuc, spumis horrescunt æquora canis.
Dein fratrem adloquitur Simoentem, ac talibus infit:
Collatis, frater, conemur viribus ambo
Audacem ab nostris Pelidem avertere ripis.
Mox Priami sacra tecta ruent, nec Troja quicquam
Arma valent, agedum, latices impelle sonoros
Fontibus ex altis, & inunda flumine campos.
Truncorumque viro molem, atque rotantia saxa
Objice, jam nimis ille furit par robore Divis.
At non (ajo equidem) non vis, non forma furentem
Juverit, atque ingens clypeus, Vulcaniaque arma,
Gurgite quæ nostro, limoque obducta jacebunt
Quin tandem fulva jaceat contectus arena,
Ossa nec indigeant frustra quæsita sepulchro
Justa viro solvant mœsti quum ad litus Achivi.
Dixerat, & vasto cum murmure funditur ingens
Corporibusque virum, spumaque, & sanguine vortex
Erigiturque alte, totumque involvit Achillem.
Actutum procul exclamat Saturnia Juno
Exitium indignata ducis, sortemque nefandam,
Mulciberumque vocans: Gnate, in certamina, gnate,

Surge, ait, & Xanthi rapidis te oppone fluentis
Pelle moram, totis immisce incendia campis.
Ipsa Notum, Zephyrumque maris de parte ciebo;
Qui fumum in Teucros agitent, flammasque sonanteis.
Arboreum combure nemus: ripasque præaltas.
Gramineique thori, totusque ebullia amnis.
Nec tu cede minis, precibusve inflectere blandis,
Flammarum aut compesce globos, ego voce priusquam
Signa dabo. Hæc Juno. Subitis tunc ignibus arva
Undique collucent, cœsorum & corpora passim
Trojugenum, & pulchra arma virum, ac virgulta cremantur.
Arescitque ager, atque humorem absorbet aquaj.
Atque Autumnalis Boreæ ceu flatibus imber
Confestim excoquitur; sitientem villicus hortum
Miratur, plauditque tuens, sic plana præustis
Arva cadaveribus rapidus siccaverat ignis.
Hinc flammas agit in fluvium, flagrantque cyperi,
Atque ulmi, & salices, lotique, humilesque myricæ,
Ulvaque, quæ ripis herbæ adnascuntur amœnis:
Anguillæque intus celeres, piscesque laborant
Ludere cœruleas soliti, atque innare per undas.
Ardescensque imo hæc fatur de gurgite Xanthus:
Mulciber, haud tecum Divum contenderit ullus.
Cedo equidem flammisque tuis, sævoque furori.
Siste, precor; Troiam per me jam vertat Achilles.
Quid mihi cum pugna, atque his auxiliaribus armis?
Dixerat hæc: ferventque vada, & miscentur arenæ.
Ardens ingenti veluti quum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aheni
Fervet adeps, superasque volat vapor ater ad auras;
Haud secus ardebant flammis crepitantibus undæ,

V. 344. *Ardens ingenti*. Comparationem hanc ex hoc loco ad Turni furorem describendum transtulit Virgilius in 7. Æneidos, ubi reliqua.

Nec rapido Oceanum cursu, & maria alta petebant,
Nam cohibet vapor, atque urget Vulcanius ignis.
Tunc sic Junonem adgreditur prece supplice Xanthus:
Cur tuus, o Regina Deum, me filius unum
Impetit, invaditque furens? Indignor Achilli
Solus ego? an Priami quotquot Dij tecta tuentur?
Pareo, si tamen, alma, jubes; sic pareat ipse.
Trojanis nec opem juro, auxiliumve daturum,
Argolicis quanquam pereant sacra Pergama flammis.
Vix ea, sic gnatum adloquitur Saturnia Juno:
Sævitum satis: immortalia numina nec fas
Terrigenum causa duræ submittere pœnæ.
Hæc ait, & subito in notos tumida unda canaleis,
Inque suos rediit consumptis ignibus alveos,
Atque jubente Dea furor hinc, atque inde quievit.
  At parte ex alia Divum discordia menteis
Improvisa, repens agitat, magnoque tumultu
Concurrunt, cœlumque ingens, tellusque remugit.
Audiit, & summo risit pater altus Olympo.
Nec jam se capit ira gravis; Mars Pallada primus
Adversum ruit ærata fortissimus hasta,
Et prope: quid magnos agis in certamina Divos
Audaci hac dextra? Nunc te meminisse licebit
Vulneris inflicti quondam, Diomedis acutum
Quum telum ipsa manu torquens petere astra dolentem
Fecisti; commissa lues nunc ipsa vicissim.
Fatur, & intorto nitidam ferit ægida telo,
Ingentem, horrificam, quam non Jovis ira trisulco

V. 363. *At parte ex alia*. Putidiusculum totum hocce Deorum certamen, & infimo quolibet Poeta, nedum Homero, & Diis immortalibus indignum, non tam hominis vero, quam religionis illius falsissimæ, & sibimet repugnantis vitium.

V. 374 *Fatur, & intorto*. Mirum est qui in hominis cordati mentem, hæc tam absurda, tamque inepta, ac ridicula venire potuerint. Argumentum ingens, quantulum sit hominis sibi relicti ingenium & curta supellex.

Fulmine disciderit: retro procul inde repulsum
Æs resilit: contra infrendens ruit aspera Pallas,
Et saxum antiquum, priscorum ætate parentum
Limes agro positus, campo quod forte jacebat,
Nigrum, ingens, asprum dextra contorsit in auras,
Cervicemque Dei valido Dea percutit ictu.
Ille cadit, super arma sonant, septemque tenebat
Jugera fusus humi, & fœdatus pulvere crineis.
Labentem ridet, faturque hæc talia Pallas:
Scilicet haud noras quantum tibi robore præstem,
Has ausus vireis, dextramque lacessere, demens?
Sic Matris furiasque luas, sævumque dolorem,
Trojanis quod opem tuleris, desertor Achivum.
Hæc ait, atque alio gressumque, oculosque retorsit.
At Jove nata Venus dextram complexa dolentis
Attonitum ducit, suspiriaque ægra trahentem.
Non tulit hæc Juno, adfaturque his Pallada dictis:
Cernis ut ab campi sublatum pulvere Martem
Illa effrons agit? insequere, audacemque coerce.
Dixerat, exequiturque sibi gratissima Pallas
Jussa lubens, volat, impressisque ad pectora palmis
Idaliam Venerem cædit, vireisque resolvit.
Procubuere ambo, ridensque Minerva jacenteis
Talibus auxiliis, inquit, gens Dardana semper
Armatos petat Argivos, quam imbellia Marti
Blanda tulit socia arma Venus, Priami alta ruissent
Mœnia jam dudum, ac Divum gravis ira quiesset
Sic loquitur, risitque ulnas Dea candida Juno.
At Phœbum tali Neptunus voce lacessit:
Phœbe, age, cessemusne aliis certantibus ipsi?
Turpe quidem fuerit Jovis alta revisere tecta
Pugnarum expertes. Certamen junior ipse
Incipe, me nec enim decet atque ætate priorem
Et rerum expertum. Demens meminisse malorum
Præstabat, quæ passi olim sacra Pergama circum
Quum Jovis imperiis pacta mercede per annum

Soli Cœlicolum crudelia jussa tyranni
Pertulimus. Namque ingenti perfecta labore
Mœnia ego, struxique arcem, te in saltibus Idæ
Flexipedes pascente boves; at fœderis ille
Immemor, elapsis completi mensibus anni
Pacta negat, pretijque ulla non parte soluta
Ire jubet, geminatque minas, manibusque ligatis.
Ac pedibus te longinquas jactabat in oras
Missurum, ambobus postquam præscinderet aureis.
Talia Laomedon, animisque dolentibus ambo
Cessimus. Anne ideo Teucrorum scilicet armis
Ipse faves? quin nobiscum sapientior insta
Teucrorum ut dulces gnati, matresque pudicæ
Ense cadant, meritisque luant perjuria flammis.
Talia Neptunus, sic tum Latonia proles:
Neptune, imprudens merito, atque insanus habebor,
In te si tulero arma favens mortalibus ægris.
Qui foliis similes pulchra nunc luce renident,
Nunc ponunt caput indecores, vitamque relinquunt.
Cessemus, Martemque ollis, irasque sinamus.
Hæc ait, & retro torsit vestigia Phœbus
In patruum veritus Neptunum attollere dextram,
At nemorum cultrix fratrem indignata Diana
Increpitat magna hæc jactans convicia voce:
Neptunum fugis, Arcitenens? laudemque perire,
Hanc pateris, vesane, tibi? quid, stulte, sagittas
Incassum geris, atque arcum, pharetramque sonantem?
At non te rursum grandi jactaveris ore
Neptunum super, ut quondam inter pocula suetus.
Hæc soror, ille nihil contra: sed Regia Juno
Indignata, Deam verbis castigat amaris:
Tune audes etiam Junonis spernere numen
Venatrix jaculo, & gravida confisa pharetra?
Fœmineas inter turbas te namque leonem
Instituit læthoque velis quam sternere cumque
Concessit genitor; sed non obsistere nobis

Digitized by Google

Tam facile est, pavidas telo quam figere cervas,
Et jaculo, & clamore feras agitare fugaceis.
Quod si tantus amor nostras agnoscere vireis,
Noveris. Hæc fatur, Divæque utramque sinistra
Ad carpum complexa manum, dextra aspera tela,
Atque arcum trahit ex humeris, ridensque sub aurea
Verberat; at sese versanti tela cadebant.
It tandem lacrimans, ceu tuta foramina quondam
Accipitrem fugiens repetit turbata columba,
Nam neque fata capi dederant, sic tela relinquens,
Auratosque arcus properat gemebunda Diana.
At Maja genitus Latonæ talia fatur:
Non ego sed conferre manum, pulcherrima, tecum
Auderem; nec enim Jovis estcum conjuge cuiquam
Certandum impune: æthereis te in cœtibus, ito,
Victricem, vireisque tuas, tua robora jacta.
Hæc ait, illa arcus, atque huc, illucque sagittas
Per campum dispersa legit, sequiturque Dianam.
Jam patrias gemebunda domos, culmenque tenebat
Æthereum virgo, & patrem complexa tremebat.
Huic blandum ridens genitor: Dulcissima, quis te
Ceu sontem temerè afflixit? Latonia contra:
Me tua, chare Pater, conjux, Saturnia Juno,
Lis unde, & toto discordia didita cœlo est.
Interea Iliacam Phœbus contendit in arcem,
Ne fatum contra muris potiantur Achivi,
Quippe timet, reliqui petierunt æthera Divi.
Hos torquet dolor, hos sublimeis gloria tollit.
Tum summo assedere Jovi, qui sidera torquet.
Cornipedum interea turbas, turbasque virorum
Pelides agitat, nigro ceu vortice fumus
Æthereas petit ab tectis flagrantibus auras,
Ingentesque ruunt Diis indignantibus arces.
Talibus in Teucros animis furit asper Achilles.
At senior Priamus sacrato ab culmine turris

Heroem procul observans horrenda minantem;
Palanteisque suos, nec spem superesse salutis,
Custodes adit, atque procul; ne claudite, cives
Limina, flens inquit, pateant fugientibus: ille
Terga premit. Quas nunc cædeis, quot acerba videbo
Funera! sed postquam murorum tegmine tutæ
Respirent acies Teucrorum, claudite, neu se
Ingerat ille furens, summasque irrumpat in arceis.
Hæc senior, parentque olli, tum vecte retruso
Ingentes patuere fores, viaque una salutis
Hæc data Trojugenis: favet indefessus Apollo.
Summa ex arce volans, trepidique ad limina sese
Adglomerant Troes fœdati pulvere vultus,
Arentesque siti, properantibus instat Achilles
Turbidus ira animum, laudisque accensus amore,
Inque urbem irruerent Danai, nisi Agenora Phœbus
Clarum Antenoridem in pugnas, Martemque cieret
Inspiransque animos, præsenti & numine firmans
Fagum altam propter nigra caligine tectus
Constitit, ut vastantem acies conspexit Achillem,
Spemque, metumque inter curarum turbidus æstu
Ingemit, & secum: Quid agam? turbamne sequutus
Terga dabo? Sed terga premet fugientis Achilles,
Et lætho peream indecori. Diversa tenebo,
Turbarique sinam Phryges, & nemora avia cursu
Idæosque petam saltus; dumisque latebo,
Flumine dein vivo ablutus me rursus in urbem
Serus agam. Sed quid timido hæc sub pectore volvo?
Illicet ab muris properantem me ille sequutus
Straverit immitis, vique insuperabilis ulla.
Quid tamen ante urbem si infestis obvius armis
Ivero? Namque olli corpus violabile ferro est,
Atque anima una viro, & mortalia membra; sed ipsi
Jupiter alme, faves, summum & largiris honorem.
Fatur, & adversum ingenti se sistit Achilli
Pugnam ardens, saltum veluti, dumosque relinquens

Pardalis antevolat venantum excita tumultu;
Latratusque canum, atque virum tela aspera contra,
Vulneribusque furor crescit, transfixaque ferro
Pugnat adhuc hostem donec sternatve, cadatve,
Sic Antenorides sævum expectabat Achillem,
Fortunamque manu, & Martem tentare paratus.
Prætenditque altum clypeum, telumque coruscum
Intentans dextra magna sic voce profatur:
Luce sub hac Priami excelsam te, insane, putasti
Eversurum arcem, sed adhuc te dura, tuosque
Plura manent subeunda prius, namque alta tuentur
Mœnia ductores numero, & virtute potentes,
Pro gnatis quibus, & charis uxoribus, atque
Pro patribus pulchrum est duris sudare sub armis:
Tu quoque,tu hac mole,& præstanti hoc robore,tandem
Iliacos moriens signabis funere campos.
Hæc ait, & magno contorsit turbine telum,
Percussitque genu subter, sonuitque metallum
Ære repercussum, valido neque finditur ictu.
Dona Dei prohibent. Pelidæ fraxinus ingens
Dein volat acta manu; sed laudem invidit Apollo;
Eripuitque virum, & circum caligine texit,
Ac pugna procul in sedeis jubet ire quietas.
Tum tenuem Æacidæ, & vacuam sine viribus umbram
Objicit, ora viri adsimulans, clypeumque, jubasque.
Pelides volat, antevolans præcurrit imago,
Dumque instat, trepidæque pedem pede fervidus urget,
Camporum per aperta ruens, qua gurgite flavo,
Vorticibusque secat rapidis sata pinguia Xanthus,
Jamque tenere sibi credit spe elusus inani,
Turmatim portis Teucri infunduntur apertis
Ingenti strepitu, nec jam exspectare manenteis,
Aut quo quemque timor ferat, observare licebat;
Quisve cadat. Quisque instantem sibi credit Achillem,
Clausorumque virum fremitu strata omnia fervent,
Queis pede cumque datum sortem effugisse nefandam.

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

Trojanis reliquis intra urbem conclusis, solus Hector Achillem præstolatus, primum quidem ter urbem circumit fugiens, tandem Minerva sub Deiphobi specie ipsum adhortante, Achillem invadit, ab eoque interficitur. Illum de bigis ligatum Achilles per campum raptat versus portum. His visis, qui in urbe claudebantur, Hectorem deflent, Priamus præsertim, Hecuba mater, & conjux Andromache.

Hinnuleique velut, postquam loca tuta tenebant,
Pulvereque, & calido sudore madentia curant
Corpora, tum dapibus recreant, dulcique Lyæo.
Adproperant Danai ad muros, & scuta reclinant.
Hector (namque virum tarda ceu compede vinctum
Eumenidesque tenent, & inevitabile fatum)
Restitit ante urbem, Scææque ad limina portæ.
Pelidem instantem adfatur tum notus Apollo:
Quid me immortalem mortali è semine natus
Insequeris cursu? nec dum tibi gressus, & ora
Nota Dei? furis infandum, neque Troja quicquam
Agmina jam muris curas conclusa sub altis,
Dum diversus abis, sed non mortalia cernis,
Terrigenumve ullis obnoxia corpora telis
Infrendens contra fatur sic Phtius Achilles:
Arcitenens, mihi cunctorum infensissime Divum,
Obtinuisti ergò deceptum avertere muro.
Quam multi Priami ante urbem Phryges ore cruento
Arva momordissent! decus hoc mihi, Phœbe, tulisti.

Nec licet ærata fallentem ulciscier hasta.
Si possem ; at superis fas nulli obsistere Divis.
Hæc fatus volat in muros, certamine qualis
Victor equus celeres raptat per gramina currus.
Illum autem procul armorum fulgore micantem
Agnovit Priamus, nam quantum nocte serena
Autumnale micat sidus, torvumque rubescit
Æthereas inter flammas, & Oriona propter
Vertitur, inde canem vulgo dixere priores,
Splendidiusque nitet signum mortalibus ægris
Exitiale ferens, Zephyrisque urentibus æstus,
Pectora sic circum splendebant arma ruenti.
Ingemuitque senex, incanaque tempora utraque
Pulsabatque manu, dilectumque Hectora multis
Orabat precibus fundens has pectore voces:
Ne mihi, gnate, viro solus te opponere tenta,
Viribus ille etenim præstat: sternere profecto.
Immitis, Diis ille utinam non gratior esset
Quam mihi, jam dudum canibus data præda jaceret,
Atque avibus, magno hunc animum mœrore levarem.
Quam miserum orbavit numerosa prole parentem!
Hos procul ab patriis captivos vendidit oris,
Hos ferro domuit. Nunc te Polydore, reversos
Trojugenas inter quærebam, teque, Lycaon,
Quos mihi Laothoe peperit pulcherrima gnatos.
Atque olli (modo apud naveis sit vita superstes)
Ære gravi, atque auro redimentur, plurima gnatæ
Quæ dederat quondam senior fama inclytus Altes.
Quod si jam Stygis hos tenet irremeabilis unda,
Me miserum, matremque ægram dolor ille manebit
Æquius at Teucri tulerint, te Pergama donec
Incolumem teneant: muros, mihi chare, sub altos
Regredere, o decus, & miseræ spes unica Trojæ,
Hectorea nec cæde ferox exultet Achilles.
Patris ad hæc miseri, nec adhuc rationis egentis,
Gnate, tui miserere, gravi tardante senecta

Jupiter insontem, quem funere perdet acerbo;
Gnatorum postquam fata ipse miserrima vidi,
Raptatas per humum gnatas, versosque hymenæos;
Et terræ allisos infanda cæde puellos,
Pertractas que nurus truculento ab milite Achillis.
Forte etiam & Priamum portarum ad limina quondam
Raptabuntque canes, lambentque avido ore cruorem.
Hac anima postquam gladio, volucrive sagitta
Myrmidonum quisquam tremulos subduxerit artus,
Vestibulo, mensæque canes assistere herili
Jam pridem soliti, atque viam comitarier omnem.
Et juveni cecidisse quidem acri Marte decorum est,
Pectora transfosum ferro, nec turpe jacenti
Quidquid victori furor, & mala suaserit ira;
At caput incanum miseri senis, albaque menta,
Atque pudenda canes si turpent ore cruento,
Tristius, heu! nihil acciderit mortalibus ægris.
Hæc senior, canosque manu de vertice crineis
Projicit avulsos, nec gnati flectere mentem
Usque valet. Parte ex alia de turribus altis
Stat lacrimans genitrix, nudato & pectore mammam
Ostendens gnato, hæc, inquit reverere, meique
Chare, precor, miserere, premens si dulcia labris
Ubera, vagitusque olim, luctumque levabas.
Hæc memora, ingressusque urbem, de mœnibus arce
Pelidem infestum, nec solus prælia tenta.
Occisum nec enim tecti in penetralibus altis
Te lecto impositum genitrix, nec regia conjux
Fleverit, atque canes inhumati vulnera lambent
Argivum ad puppes. Lacrimis sic illa profusis.
Sed manet immotus precibusque, & fletibus Hector.
Stat conferre manum, ac dubio se credere Marti.
Ac velut in lustris pastus mala gramina serpens
Torva tuens furit, & sinuosa volumina torquet
Arduus, ac sese impavidum venientibus offert,
Sic turrem ad celsam clypeo subnixus aheno,

Digitized by Google

Infrendensque heros secum hæc sub pectore versat:
Ingrediarne urbem? At vereor convicia Teucrum,
Polydama, ignavum in primis me jure vocares,
Agmina Trojugenum tutam qui cogere in arcem
Suadebas, Patrocli [illegible]um luctu excitus Achilles
Arma retractavit, renui, parere fuisset
Utilius longe: amissis nunc denique turmis
Probra mihi metuenda Phrygum, matrumque dolentum.
Deteriorque aliquis, turmas canet, atque paternam
Viribus ille suis fretus rem perdidit Hector.
Sic quondam; mihi sed satius vel sternere Achillem,
Vel charam ob patriam lætho cecidisse decoro.
Quod si depositis clypeoque umbone corusco,
Cristata & galea, ad murumque hastile relinquens
Obvius ire velim, & sævo me credere Achilli
Pollicitus pulchramque Helenam, & quas improbus ille
Vexit opes cumque auratis in puppibus olim,
Unde mali ingentis, tantique exordia belli:
Atridæ & gemino, Danaisque subinde daturum
Quot reliquas Priamique ædes, urbsque inclyta condit,
Juratamque fidem ab Teucris exegero, ut omni
Fraude procul Danais tradantur partibus æquis.
Quo tamen hæc? Supplex oratumne Hector Achillem
Iverit? Haudquaquam; sed enim da posse, precantem
Ille vereretur, pactisque accederet ullis?
Scilicet imbellem tanquam, mollemque puellam
Protinus, insiliens ferro obtruncaret inermem.
Non licet ab quercu, nec celsæ ab culmine rupis,
Pelidem adfari, juvenis velut, atque puella.
Colloquia hæc juvenesque decent, mollesque puellas;
Arma viris tractanda: videndum Jupiter utri

V. 104. *Quod si depositis*. Cogitationum undique subeuntium tumultu confusa, & imperfecta, oratio, turbati animi signum. Similis delibetatio illa Turni apud Virgilium in 12. Quod ibi Drances, hic Polydamas.

Faverit, & quibus hanc laudem concesserit armis.
Talia volventi prope constitit asper Achilles
Par Marti galeam, & surgenteis vertice cristas.
Pelias atque humero in dextro concussa tremebat
Fraxinus, horrendumque micabant arma ruenti
Ardentis flammæ, aut Phœbæi luminis instar.
Ut videt, ut totus gelidis tremit artubus Hector,
Nec jam stare timor patitur, fugit ocyor Euro
Arva secans turrique alta, portisque relictis.
Pelidesque metu trepidantem fervidus urget.
Accipiter qualis, quo non violentior ullus
Alituum, sequitur pavidam de rupe columbam:
Illa vias obliqua secat, premit ille volantem
Proximus, & clangens jamque huc rapido impete fertur,
Jamque illuc magno prædæ succensus amore.
Sic volat Æacides, volat ante exterritus Hector,
Trojanos circum muros, speculamque præaltam,
Qua via trita magis patulam juxta caprificum.
Sunt fontes gemini, exiguis ubi nascitur undis
Cæruleus Xanthus: furit hic ceu fervidus æstu,
Exundatque latex, superas it fumus ad auras;
Ille fluit gelidæque nivis, vel grandinis instar
Frigidus æstate in media, quum Sirius ardet,
Atque hinc, atque illinc nitido stant marmore labra
Lataque, pulchra, Phrygum tenui subtegmine vestes.
Qua matres solitæ, mollesque lavare puellæ
Dum pax alma fuit, classisque Argiva priusquam
Sigæum in litus, Phrygiasque appelleret oras.
Hac alter fugit, insequitur ferventior alter.
Illle quidem fortis; sed retro fortior instat
Nam neque de pingui certatur corpore tauri,
Aut de pelle bovis magni, quæ præmia victor

V. 153. *Nam neque*. Quod hinc Virgilius in 12.
„ Nec enim levia, aut ludrica petuntur
„ Præmia; sed Turni de vita, & sanguine certant.

Ferre olim solitus; sed de vita Hectoris ipsa
Res erat, atque anima, ac veluti jam vincere cursu
Cornipedes soliti vitatam turbine multo
Circumagunt sese ad metam, pretiumque repostum,
Defuncti stat Regis honos, tripodesve corusci,
Artibus aut præstans, roseo vel fœmina vultu,
Sic olli rapido Priami ter mœnia cursu
Circumeunt. Divi ab summo speculantur Olympo,
Quos inter genitor Saturnius ore profatur:
Eheu, rem indignam! totis agitarier agris
Præstantem pietate virum, clarum Hectora bello
Qui mihi præruptæ sacris in vallibus Idæ
Tot femora uncta boum, summaque adolevit in arce.
Nunc pedibus, vultuque minax fugat acer Achilles.
Verum agite, o Dij, consulite an poscentibus ipsum
Eripiam fatis, vel jam velocis Achillei
Succubuisse sinam telis. Sic Jupiter infit,
Sic Patrem adloquitur contra Tritonia virgo:
Summe Deum, rectorque hominum, te hæc talia fari?
Mortaleisne artus, ac debita corpora fatis
Vin' lætho eripere? ut lubitum: non grata profecto
Cœlicolis fuerit pietas tua. Talia Pallas;
Hæc illi Divum fatur pater ore sereno:
Exue, Diva, metum, soboles mea, non tibi quicquam
Abnuero; sortemque suam, sua fata sequatur
Priamides, propera, atque instantibus utere Parcis.
Hæc fatur, satis & cupidam dicto impulit, alto
Confestim volat aerij de vertice Olympi,
Fervidus interea trepidantem urgebat Achilles,
Hinnuleumque velut pavidum cerva alite natum
Insequitur canis, & latratu vividus instat

V. 184. *Hinnuleumque*. Hanc comparationem adhibuit, & multo pulchriorem reddidit Virgilius in 12. de Ænea Turnum sequente.

Convalleisque cavas, quercetaque devia lustrans,
Nec latet arbustis quanquam contectus ab altis
Ille pavens, totoque legit vestigia campo.
Sic miser haud latet instantem Tros Hector Achillem.
At quoties turreis cursu, portasque petebat
Dardanias sociorum optans defendier armis,
Pelides toties muro avertebat ab alto
Prævertens, giroque urbem interiore tenebat.
Ac velut in somnis fugientem prendere dextra
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Deficimus, nec nos capere; aut potis ille sequentis
Effugisse manum, sic Hectora Phtius Achilles
Incassum premit, incassum fugit ille sequentem.
Qui tamen auxilio nisi fretus Apollinis Hector
Vitasset læthum infandum? Deus adstitit olli
Extremum, & magno perfudit robore membra.
Pelides sed enim renuens capite, ulla vetabat
Mittere tela virum contra, deberier uni
Nam sibi, nec volet hanc cuiquam concedere palmam.
Ut quater ad fonteis ventum, & cunabula Xanthi
Jupiter auratas æquato examine lanceis
Sustinet, & fata imponit diversa duorum.
Quem damnet labor Æacidem, Priamone creatum?
Hectoris illa tamen tenebrosum vergit in Orcum
Pondera pressa suo, mœstusque recessit Apollo.
Lætaque Pelidem adloquitur sic cœsia Pallas:
Tandem, gnate Dea, ad puppeis referemus Achivas
Immortale decus, cadet (ultra fidere plantis

V. 194. *Ac velut in somnis*. Hanc quoque similitudinem ab Homero mutuatus est Virgilius lib. eodem.

V. 202, *Ulla vetabat*. At contra Æneas in 12. ensem Turno reddi vetat. ,, Indignor quandoque bonum dormire Maronem ,,

V. 206. *Jupiter*. Versus Virgiliani hinc decerpti in 12, ubi Turni, atque Aeneæ fata Jupiter lancibus imponit.

Namque viro jam fata vetant) cadet efferus Hector,
Ipse licet patris ad genua advolvatur Apollo
Multa rogans. Sta, & respira, tecum ipsa furenti
Suadebo conferre manum, ac se opponere contra.
Paruit Æacides gaudens, & substitit hastæ
Fraxineæ innixus, compellatque Hectora Pallas,
Oraque Deiphobi referens, vocisque sonorem:
Heu! nimium, frater jam te fessum urget Achilles
Iliacos circum muros, age, pectora contra
Vertamus, ferroque virum excipiamus acuto.
Hector ad hæc: Te equidem cunctis præ fratribus olim
Dilexi Priamoque satis, Hecubaque parente;
Gratior at mihi nunc fueris, quem propter aperto
In pugnas audes iterum te credere campo.
Nam reliquos claudunt jam propugnacula Teucros.
Olli Deiphobus: Queis non Priamique parentis,
Atque Hecubæ lacrimis, charorumque inde profectus
Restiti; at angebar nimium, nimiumque dolebam.
Nunc age pugnandum est animis præsentibus, ullis
Nec parcendum armis, has donec victor Achilles
Exuvias ferat ad naveis, ferrove dometur.
Tantum effata præit celeri Dea callida cursu.
Ut prope constiterant, fatur sic Dardanus Hector,
Ecce adsum, nec enim, ut primum, ter mœnia circum
Cursabo fugiens, sternam, sternarve profecto.
Custodes, age, jam primum, testesque vocemus
Pactorum Superos. Quis enim contemnere Divos
Audeat? Annuerit mihi si victoria Martem,
Non ego te ultra fata furens immaniter unquam
Turpabo; exanimum Danais sed corpus, ademptis
Reddam armis: eadem victor tu fœdera serves.
Sic Hector, torvum infrendens sic dius Achilles.
Quid pacta incassum memoras? ut nulla leoni,
Paxque homini, nulla est concordia mitibus agnis,
Atque lupis, sic nulla tibi sunt fœdera nobis,
Alteruter donec satiarit sanguine Martem,

Nunc nervos contende omneis, & contrahe quidquid
Sive animis, sive arte vales: fuga nulla, Minerva
Hac te hasta domat, hic moriens dabis, improbe, pœnas,
Tot me absente olim cæsorum ad litora Graium.
Dixerat, & totis intorquet viribus hastam.
Providus hanc tamen intuitus subsederat Hector.
Illa volat super, ac telluri infixa tremiscit,
Avulsamque duci clam reddidit Hectore Pallas.
Hic Priamo satus: Errasti, fortissime Achivum,
Et mea nota quidem velut ab Jove fata canebas
Subdole, mendaci hac lingua, si forte minantem
Territus effugerem; sed non terga Hectoris unquam
Cuspide transfiges; sed pectora, si tibi quisquam
Cœlicolum favet: hunc vita nunc cuspidis ictum.
Exciperes utinam totum intra viscera ferrum,
Maxima pernicies murorum, urbisque paternæ,
Quam leviora forent miseris certamina Teucris!
Hæc ait, & contorta manu simul evolat hasta,
Et medium venit in clypeum, sonat aureus umbo
Percussus sonitu ingenti, telumque repellit.
Obstupuit, doluitque Hector sine vulnere frustra
Ferrum ivisse manu, dejectaque lumina volvens
Substitit, ulla viro nec enim jam suppetit hasta
Deiphobumque alta compellat voce, coruscum
Telum aliud poscens: misero at procul ille sedebat
Murum intra, sensitque heros, tum talia secum;
Ad mortem vocor, heu! fatis, ratus affore fratrem
Pugnanti; sed enim fratris sub imagine Pallas
Decepit miserum, muro sedet ille repostus.
Effugium mihi jam nullum, sors ultima restat,
Sic placitum, Thymbræe, tibi, summoque Tonanti,

V. 250. *Nunc nervos contende omneis*. Hinc illa Aeneæ ad Turnum in lib. toties cit.

„ Verte omneis tete in acies, & contrahe quidquid
„ Sive animis, sive arte vales.

Qui tamen anteactis tot me eripuere periclis:
At non indecori moriamur morte; sed ausi
Egregium quidquam, & mansurum in sæcula fama:
Hæc ait, & magnum vagina liberat ensem,
Qui splendens, validusque humero pendebat ab alto.
Tum qualis pavidum leporem raptura, vel agnam
Lactentem volat obscura Jovis ales ab æthra,
Talis Priamides ruit, & magnum rotat ensem.
At parte ex alia furiis ingentibus actus
Æacides rapitur, cui pectora fulgidus orbis
Contegit ingentis clypei, capitique rigentis
Æra sonant galeæ, & fulgens tremit aurea crista;
Vulcani inventum artificis, tum nocte serena
Ante alios qualis pulcherrimus emicat igneis
Hesperus, ærata tantus de cuspide fulgor
It procul, atque acie totum rimatus Achilles
Hectoris adversi corpus, qua lactea cervix
Apparet, jugulumque humeris committitur altis,
(Cætera namque armis Patrocli de corpore ademptis
Membra tegebantur) viaque est certissima lætho,
Telum adigit, penitusque alta in cervice refigit.
At non vocis iter sic rupit ahenea cuspis
Quin dare verba cadens, possetque adfarier hostem.
Tum ruit; insultatque ruenti sævus Achilles:
At non tu Patroclum spolians, vesane, peremptum
Me ultorem es veritus; pictis sed puppibus absens
Ipse super fueram, qui tete infanda furentem
Conficerem ferro: Alitibus, canibusque vorandum
Te dabo; sed Patroclo meriti referentur honores.
Hæc ait, ast illum adfatur sic languidus Hector:
Te per ego supplex animam, genua, atque parenteis
Dilectos, precor, haud canibus lanianda per agros

V. 311. *Te per ego*. Hinc illa Turni ad Æneam.
„ Dauni miserete senectæ,

Membra dato; at patris miseri reverere senectam,
Maternasque preces, donisque, auroque redemptum
Redde meis, tumuli extremo ut perfungar honore.
Talibus orantem adloquitur sic durus Achilles:
Tun' genua, & dulceis memoras, invise, parenteis?
Dentibus his artus utinam discerpere crudos
Fas mihi, quem tali afflixisti sœpe dolore.
Nemo tuo ab capite est adeo, qui rostra volucrum
Arcebit, rictusque canum, non si mihi tanta
Bis decies, triciesque ferant dona inclyta Teucri,
Pluraque promittant, non si te Troius auro
Compensare velit Priamus, non optima mater
Fleverit impositum lectis; sed gramine toto
Discerpent tua membra canes, fœdæque volucres.
Hector ad hæc moriens; Equidem non flectere dictis
Credideram, misero dudum mihi notus Achilles,
Ferreus atque animus, sed numina versa Deorum
Propterea quandoque time, quum mœnia circum
Te Paris interimet telis, & Apollinis arcu.
Vix ea, quum fuscis mors circumamplectitur alis,
Vitaque Tartareas ex artubus ivit in undas
Multa dolens sortemque suam, floremque juventæ.
Examimemque virum adfatur sic Thessalus heros:
Nunc morere; at deme Divum Pater, atque hominum Rex
Viderit, ac Dii immortales. Sic fatur, & hastam
Fumantem trahit, atque humeris ingentibus arma?
  At circumfusi speciem, vultusque tremendos
Mirantur Danai, nec abit sine vulnere quisquam,
Atque aliquis, tractatu, inquit, jam mollior Hector,
Quam naveis quando Argolicas accenderat igne.
Hæc fatus telo insultans feriebat acuto.

V. 333. *Vitaque*. Similis Turni finis apud Virg.
V. 336. *Nunc morere*. Verba Virgiliani Mezentii in 11.

Tum Peleo satus hæc mediis tumido ore profatur:
Argivum lecti proceres, atque inclyta pubes,
Quum talem, tantumque virum domuisse corusco
Dij dederint ferro, quo non truculentior alter,
Nec qui tot miseris mala sit molitus Achivis,
Eja age, Teucrorum mentem experiamur in armis;
Desertisne agitent muris se dedere Graiis,
An pugnis iterum, ac dubio se credere Marti?
Quo tamen hæc? jacet ad naveis inhumatus Achivas,
Indefletus adhuc Patroclus, quem semper amabo,
Sit mihi vita super donec: quod lumine cassos
Si penitus subeunt anteactæ oblivia vitæ;
At mihi non Patrocli labetur pectore nomen.
Ergo agite, Argivi juvenes, Pœana canentes
Hoc ducto naveisque cavas, litusque petamus
Maxima res effecta, viri, jacet inclytus Hector.
Quem numen veluti Troes, socijque colebant.
Dixerat, atque indigna fremens parat Hectora contra;
Namque pedes geminos trajectum lora tumenteis
Ab curru ligat, atque trahi sinit ora per agros,
Impositisque armis currum conscendit, & acreis
In cursum exhortatur equos jam sponte volanteis.
Pulveris exoritur nimbus, crinesque decori
Raptantur per humum, cervixque, caputque verendum
Ante quidem; tunc hostili Saturnius iræ
Turpandum dedit, & patria tellure trahendum
At genitrix velum abjiciens de turribus altis
Passa comam volat ingentem bachata per urbem,
Tum senior Priamus, populusque accenditur omnis.
Luctus ubique: sonant mœsto tecta omnia planctu
Non secus, ac si jam ruat alto ab culmine Troja
Grajugenum flamma; at miserum vix turba coercet

V. 359. *Maxima res*. Quod Virg. ad Æneam transtulit in 11.
,, Maxima res effecta, viri, timor omnis abesto.
,, Quod superest, hæc sunt spolia, & de Rege superbo
,, Primitiæ, manibusque meis Mezentius his est.

Longævum Priamum portis evadere apertis
Optantem, & multo fœdantem pulvere crineis;
Orabatque omneis compellans nomine quemque:
Egressum sinite ad naveis contendere Achivas,
O chari comites, genua amplexabor acerbi,
Immitisque viri! reverebitur ille parentis
Ætatem similem, & canos, tremulamque senectam
Œacidæ Pelei, qui cladem hanc, atque ruinam
Trojugenis genuit, Priamo sed præ omnibus uni,
Cui gnatos tot jam florentibus abstulit annis.
Planxi equidem reliquos, pater; at nunc Hectoris ægrum
Conficiet dolor, ac tristem me mittet in orcum.
Spirantem amplecti saltem, extremumque fuisset
Fas haurire sonum, & luctu solarier ægro
Longævoque patri misero, miseræque parenti.
Hæc senior lacrimans, populi turba adgemit ingens.
At parte ex alia genitrix: Quid te, Hector, adempto,
Jam lucem moror invisam? mea gloria quondam,
Et matrum decus, & Phrygiæ spes maxima gentis,
Quæ te Numinibus simili excipiebat honore;
Matribus at, Phrygiisque dolor nunc civibus ingens.
Sic gemit; at nondum quicquam pulcherrima conjux
Audierat, nec murum extra mansisse maritum
Noverat Andromache; tectorum in parte reposta
Illa procul telam ingentem, duplicemque, labore
Texebat vario, permiscens floribus aurum.
At famulas tripodem flammis circumdare magnum
Jusserat, ut calida exstarent ab Marte reverso
Balnea sueta viro, ab balneis heu nescia! quantum
Ille procul ferro jaceat prostratus Achillis.
Ut fletum, ingentemque ululatum ab turribus hausit,
Continuo succussi artus, revolutaque pensa,
Excussique manu radii, & trepido ore profatur:

V. 407. *Continuo succussi*. Similes affectus Euryali matri tribuit Virgilius Æneidos 9, quo nullus mollioribus hisce affectibus excitandis, aut describendis aptior, & jucundior.

Hen! quonam turres luctu miscentur? adeste
Huc geminæ, videam quæ tanti causa tumultus
Namque Hecubæ vocem audivi, & mihi viscera motu
Nescio quo insolito saliunt, glaciataque torpent
Genua, Pedesque infra: Priami certe ulla minatur
Pernicies generi. Dij verbum avertite longe;
At vereor ne interclusum mihi sævus Achilles
Urbe procul latos agitaverit Hectora in agros,
Audaceisque animos frœnaverit; ipse relicto
Agmine nam solitus nulli virtute secundus
Irruere, & ferro Argivas incessere turmas.
Vix ea lymphatæ similis tecta alta relinquit.
Pulsat corda tremor, famulæ comitantur euntem.
Ut ventum celsam ad turrem, turbamque frequentem,
Constitit adspectans, raptatumque Hectora bigis
Ut videt, & multo signantem pulvere campos,
Obriguit, subitæque oculos clausere tenebræ,
Exanimisque ruit, vittæque, & pulchra jacebant
Retia, fulgentisque auro redimicula mytræ,
Quodque ipsi dederat quondam venus aurea velum,
Quum magnis dotatam opibus sibi Dardanus Hector
Duxerat uxorem senis Eetionis ab urbe.
Collapsam famulæ manibus, fratresque tenebant.
Ut membris vigor, & tandem via reddita voci est:
Troadas hæc inter singultibus interruptis:
Hector, ego infelix! eadem nos fata manebant
Ergo ambos? Troja quanquam te divite natum,
Ædibus & Priami, meque Eetionis in urbe
Pinguis Hypoplaciæ saltus, Thebasque tenentis,
Qui miseram miser in tectis enutriit altis.
O nunquam genuisset: abis, mihi chare sub orcum
Uxorem æterno in luctu, viduamque relinquens.
Filius ast infans nostro de sanguine natus,
Cui neque profueris fato sublatus iniquo,
Nec potis ille patri quicquam prodesse perempto.
Namque manus quanquam, Danaumque effugerit enses,

Quot miserum subeunda manent primoribus annis!
Quippe adiment alij mutato limite campos,
Æquævosque inter mœstusque, exorsque silebit
Dejecto vultu, lacrimisque per ora profusis.
At patris antiqtos adeat si sorte sodaleis,
Iamque hunc, jamque monens illum, vestemque prehendens,
Blandior horum aliquis vix admovet exiguum vas,
Labraque, non sicci rigat interiora palati.
Durior & quisquam genitore utroque beatus
Ore ferit, linguaque, thoroque exturbat ab alto;
Cede loco, haud tuus hic genitor conviva recumbit.
Cedit, & ad viduam mœrens redit ille parentem,
Astyanax genibus super accubuisse paternis,
Et lectas gustare dapeis, atque ore, manuque
Concisas solitus quondam, tum mollia ludo
Membra fatigatum somnus quum ceperat, ulnis
Exceptus, blandoque thoro, stratisque jacebat
Delicium patris; at quæ nunc patietur adempto,
Astyanax, tali Troes quem nomine dicunt,
Unius alta tui starent quod mœnia dextra,
Tectaque Teucrorum; patriis procul ædibus at nunc
Argivum ad naveis, postquam tua viscera mandent,
Discerpentque canes, linqueris vermibus, eheu!
Nudus; ibi in thalamis pulchri servantur amictus
Interea, labor Iliadum, verum omnia flammis
Hæc dabo, jam nullos quando adservantur in usus,
Matribus at coram, & Phrygibus tibi gloria sunto.
Hæc ait, Iliades mœstum adgemuere dolenti.

LIBER VIGESIMUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

Achilles justa exequiarum exhibet Patroclo, tyrannico more adolescentibus Trojanis duodecim super illo mactatis, canibusque, & equis. Deinde certamen funebre instituit, ubi alii aliis; sed Diomedes equis, Ulysses cursu, Epeus cæstu vincit. Agamemnon jaculi certamine nondum inito, præmio donatur.

INterea ingenti fervent dum mœnia luctu
Grajugenæ naveisque cavas, litusque tenebant,
Diversique abeunt propria in tentoria quisque.
At non Myrmidonas discedere passus Achilles,
Evocat in cœtum, adloquitur sic deinde coactos:
Flos equitum, lecti comites, ne ab curribus altis
Cornipedes solvantur equi; verum agmine facto
Exanimem stemus circum, Patroclumque fleamus,
Qui supremus honos vitaque, & lumina cassis.
Dein luctu satiati animos, potuque, ciboque
Corpora curemus. Præit hæc effatus Achilles,
Ingentemque ciet luctum, bijugesque comanteis
Ter circum Patroclum, currusque egere volucreis:
Alma parens aderat, planctumque urgebat amarum,
Armaque pulchra virum, lacrimisque rigantur arenæ
Dilecti comitis, magni ac ductoris amore,
Mortiferasque manus geminas super ille jacentis
Corde tenens, gemit, & luctum exorditur Achilles;
Tartareis etiam salve, mihi chare, sub umbris.
En perfecta tibi dudum promisa, daturum
Hectoreum alitibus prædam, canibusque cadaver,

Et bis sex juvenum Teucrorum sanguine flammas,
Sparsurumque rogos animis ardentibus ira.
Dixerat, atque indigna parans furit Hectora contra.
Et feretrum propter locat atro in pulvere pronum.
Interea bijuges solvunt de curribus altis
Certatim ad puppeis, fulgentiaque arma reponunt
Myrmidones, magni deinde in tentoria Achillis
Conveniunt numero ingenti, ac de more paratis
Accingunt omnes dapibus, tum corpora centum
Magna boum jugulis ferro ingemuere recepto,
Balantes & oves, & amantes culta capellæ,
Florentumque suum pinguedine multa per ignem
Corpora torrentur setis crepitantibus alte,
Plurimus & circum Patroclum fluit undique sanguis.
At lecti Æacidem ducis in tentoria Atridæ
Ducebant proceres cunctantem, & sæva dolentem.
Ut ventum in sedeis, tripodem circumdare flamma
Præcones jubet Atrides, si qua arte cruentum
Suaserit Æacidæ divino ab corpore tabum
Abluere, at multis renuit juratus Achilles:
Non mihi fas per summa Jovem, qui sidera torquet,
Optimus, atque Deum primus, non tingier unda
Fas caput hoc chari Patrocli combusta priusquam
Ossa tegam tumulo, sacrumque totondero crinem,
Nam neque me gravior, fuerit dum vita superstes,
Invadet dolor, invisis nunc denique cogar
Indulgere cibis, primæ tu lucis ad ortum,
Atreo gnate, pyram congestis undique lignis
Ædificare jube, qui in tristia Tartara eunteis
Solus honos decet, exuviis mortalibus igne
Consumptis, solita ut redeant ad munia turmæ.
Sic infit, parentque viro, dapibusque paratis
Certatim incumbunt. Ut amor compressus edendi,
Decubituri alta in tentoria quisque recedit.
At maris horrisoni incurvum prope litus Achilles
Turba Myrmidonum magna comitante jacebat

In puro bibulas fluctus qua lambit arenas,
Quum cursu assiduo, & Martis defessa labore
Membra sopor subit, & curarum dissipat æstus.
Ecce autem Patrocli ante oculos miseri adstitit umbra,
Oraque pulchra viro similis, molemque, coloremque,
Et vocem, talique humeros circumdata amictu.
Adque caput stetit, & blando sermone loquuta est:
Dormis extincti Patrocli jam oblitus, Achilleu?
Eja age, quam primum effoso tege membra sepulchro.
Nam vagor inferni circum magna ostia Ditis,
Meque leves animæ, simulachraque luce carentum
Ire ultra prohibent Stygii trans fluminis undam.
Jamque vale, & charam extremũ mihi porrige dextram.
Nam neque, me postquam Vulcania flamma piabit,
Æthereas iterum remeabo in luminis oras,
Nec procul ab reliquis curas partirier omneis
Fas tibi jam mecum, fatum me absorbuit ex quo
Invisum, quod nascenti nevere sorores
Quin te, gnate Dea, Iliacis occumbere campis
Dii voluere; memor tamen hoc concede precanti:
Idem ossa amborum tumulus, lapis unus habento.
Ut simul ab teneris nutriti assuevimus annis,
Actorides genitor quum me in Peleja duxit
Tecta olim puerum, ab patria digressus Opunte,
Talorum ob jactum quando Amphidamante creatum
Imprudens misi Stygias, nolensque sub umbras.
Ex illo famulumque tibi, fidumque sodalem
Æacides dedit: ergo ambos eadem tegat urna
Aurea, quam genitrix auritam utrinque, futuri
Docta olim dedit. Hæc Patroclus, cui dius Achilles:
Cur mihi, fraternum caput, hæc gratissima nobis
Jussa dares? Equidem facerem, faciamque libenter.

V. 67. *Nam vagor*. Quod Virgilius in 6.
„ Nec ripas datur horrendas, & rauca fluenta
„ Transportare, prius quam sedibus ossa quierunt.

Sta propius, liceat collo dare brachia circum;
Inque vicem lacrimis animum satiare profusis.
Dixit, & expansis ruit hinc, atque inde lacertis;
Sed stridens volat, & tactum frustratur imago
Par levibus ventis, tenuique simillima fumo.
Complositque manu, attonitusque hæc fatur Achilles:
Sunt quoque, sunt aliquæ infernis in sedibus umbræ,
Atque leves animæ; præcordia nulla sed illis,
Ossave; sed tenues volitant sine corpore vitæ,
Qualis visa mihi Patrocli lugentis imago
Cuncta viro similis, fierique hæc singula jussit.
Sic ait, & sociis luctum commovit acerbum,
Ingentem, assiduum Auroræ fulgentis ad ortum.
Interea Atrides mulosque, virosque parabat,
Qui adveherent silvam, ductoremque omnibus acrem
Merionem dedit Idomenei Cretensis alumnum.
Funibus hi armati, durisque bipennibus ibant.
Planaque camporum emensis, colleisque supinos.
Ut ventum Idæam in silvam, saltusque profundos,
Cæduntur patulæ ingenti certamine quercus,
Procumbuntque; gravi resonant procul antra fragore.
Diffisasque ligant mulis: hi robore multo
Corripiunt iter, ingenteisque ad litora truncos
Cum stridore ferunt calido sudore madentes.
At lignatores (etenim sic jusserat heros
Meriones) fasceis quicumque in castra minores
Gestabant humero. Ut ventum qua Thessalus heros
Et Patroclo tumulum, sibique adsignaverat ipsi,
Deponunt onus immensum, exspectantque frequentes.
Myrmidonas sed enim cingi fulgentibus armis
Imperat Æacides, currusque adnectere bigis.
Confestim incumbunt jussis: loca prima tenebant
Cornipedes, sequitur peditum densissima nubes,
In mediis Patroclum portabat lecta juventus,
Et feretrum tonsis onerabant triste capillis.
Pone sequens manibus caput attollebat Achilles

Digitized by Google

Multa dolens, charum comitem missurus ad Orcum.
Devenere locum, confestimque arida ligna
Adglomerant circum. Interea de vertice pulchram,
Flaventemque comam ferro tondebat Achilles,
Quam sacram, Sperchie, tuis nutriverat undis,
Et nigrum adspectans pontum sic ore precatur:
Incassum, Sperchie, tibi, pater optimus olim
Me in patriam reduce Iliaco de litore, sacrum
Voverat hunc crinem, taurorum & corpora centum,
Tum quinquaginta lectas de more bidenteis
Se mactaturum ad fonteis ubi pinguia florent
Arva tibi, & sacris redolent altaria flammis.
Sic senior, nec vota tibi exaudita precantis.
Nunc vetitum quando in patrios remeare penateis,
Hanc habeat Patroclus, secumque in Tartara ducat.
Sic ait, atque comam manibus locat ille jacentis.
Tum vero exoritur clamor, planctusque dolentum.
Solque etiam occiduas lugentibus iisset in undas,
Instaret nisi Pelides, Regemque moneret:
Atride, (tua nam populi mandata verentur)
Flendo multa dies superest; nunc corpora curent
Præcipe; sed quibus est cura hæc commissa, manento
Hic mecum, lectique duces. Sic fatur Achilles.
Parentque, & propria in tentoria quisque recedit,
Delectique pyram ingentem struxere ministri,
Centenosque pedes latam, tum culmine summo
Mœrentes gelidum Patrocli posuere cadaver,
Flexipedesque boves multos, pingueisque bindenteis
Circum obtruncabant ferro, tum frigida membra
Pingui adipe ad caput ab talis obduxit Achilles,
Corporaque excoriata recens oviumque, bovumque
Accumulant, oleique cados, mellisque recentis.
Quatuor hic bijuges alta cervice comanteis
Obtruncat, geminosque canes, circumdare mensam
Quippe novem soliti, & gradienti assistere Regi
Tum bissena Phrygum ferro dat corpora lætho,

Digitized by Google

Horrendum, atque immane furens, tædamque flagrantem
Admovet extrema adfatus sic voce sodalem:
Æternum salve, infernis, mihi chare sub undis.
En promissa tibi bis sex jam corpora Teucrum
Flamma vorat; non Priamidem tamen Hectora flammis,
Sed canibus dabo. Sic minitans, frendensque profatur,
At non membra canes patitur consistere circum
Blanda Venus, noctemque omnem indefessa, diemque,
Sed roseo perfusa oleo incorrupta tenebat.
Hectorei Phœbus sed corporis intervallo
Cœruleam induxit cœlorum ab vertice nubem
Urentem ut flatum, Solisque averteret æstum.
Nec Patrocli pyra concepto flagraverat igne.
Ergo heros Boream, Zephyrumque in vota vocabat
Multa Deos orans, atque aurea pocula libans
Ut citius flamma ambirent crepitante cadaver.
Audiit hæc, pictoque volat Thaumantias arcu
Nuntia ventorum in sedes, Zephyrique penateis
Læta celebrabant ubi tunc convivia mensis.
Limineque ut primo stantem adspexere, frequentes
Adsurgunt, Divamque optat sibi quisque propinquam;
Abnuit illa tamen, roseoque hæc incipit ore:
Non vacat his tempus, vocor hinc ad limina magni
Oceani, Æthiopumque agros, ubi plurima Divis
Crura boum fumant sacras ambusta per aras.
Nunc, agite Æacides Zephyrum, Boreamque sonoros
Pollicitus sacra multa rogat, cieatis ut igneis,
Impositumque rogis comburat flamma cadaver
Actoridæ Patrocli, flebunt quem semper Achivi.
Dixerat, atque abiit, toto cava nubila cœlo
Adglomerant illi subito, vastoque sonore
Spirantes pelago incumbunt: freta turbida flatu
Pulsa sonant, ruit Iliacos dein nimbus in agros,
Sublimemque pyram, increpuit Vulcanius ignis,
Flammarumque ingens petit aurea sidera vortex.

Totam olli noctem flatu incubuere sonoro;
Totamque Æacides aureum cratera tenebat
Fundebatque manu libans, Maneisque vocabat:
Desponsique velut juvenis pater ingemit æger
Ossa cremans, mœstisque sonant ululatibus ædes;
Haud secus ardenteis artus gemebundus Achilles
Circumit, & roseo fulsit vix Lucifer ortu,
Quem sequitur croceis Aurora invecta quadrigis,
Quum rogus, atque omnis Vulcania flamma quievit,
Threjciumque super pontum venti agmine facto
In sedeis rediere suas, tumidisque gemebat
Fluctibus unda furens; fessum sed membra labore,
Digressumque rogo ab tristi sopor urget Achillem.
Interea circum Atridem populique, ducesque
Conveniunt, somnoque heros excitus ab alto
Erigitur subito, atque duces adfatur Achivos:
Atride, & lecti proceres quod flammea cumque
Vis spatium obtinuit, nigro perfundite vino,
Ossaque combusta ab reliquis discreta legamus
Dilecti Patrocli, facile est discernere, namque
Ille rogo in medio, extremas sed turba per oras
Ardebat confusa, virumque, canumque, & equorum
Lecta adipe duplici phiala claudantur in aurea,
Donec eam tristeis Patroclo comes ipse sub umbras.
At tumulum mediocrem equidem, non mole superbum
Surgere nunc vellem; sed qui mihi puppibus altis
Grajugenum fuerint super, hunc attollite ad auras
Et latum facite, & facto superaddite nomen.
Hæc ait, & socii extemplo mandata facessunt,
Ossaque lecta cado tentoria ad alta reponunt,
Subtilique tegunt lino, tumulique per orbem
Signavere locum, moles subducitur ingens.
Argivam pubem, atque duces considere toto
Litore tunc jubet Æacides, & puppibus altis,
Præmia victorum, tripodes, pulchrosque lebetas:
Et capita alta boum, & magnorum corpora equorum;

Extulit, & forma insignes, aut arte puellas;
Et ferrum nitidum, argentique, aurique talenta.
Aurigasque prius rapido contendere cursu
Edicit, gnaramque operum, pulchramque puellam
Victori pretium primo, tripodemque coruscum,
Utrinque auritum, undenas bis ventre capaci
Mensuras capientem; olli qui proximus, annos
Sex natam, gestantem utero, indomitamque reportet
Victor equam, tripodem fulgentem tertius, igni
Admotùm nondum, mensuras quatuor alto
Complectentem utero, quartus dein bina talenta
Aurea, sed phialam geminam postremus habeto
Intactam flamma, adstanteisque adfatur Achivos
Stans circo in medio: Atride, atque Argiva juventus,
Certantum cursu aurigarum hæc præmia sunto.
Atque equidem alterius si ludo agerentur honores
Prima ferens victor tentoria ad alta redirem.
Nostis enim quanto immortales robore præstent
Cornipedes, mihi quos Peleus concessit habendos,
Neptunus Peleo; sed ego, biiugesque quiescent
Aurigam amissum flentes, qui sæpe nitente
Perfuditque oleo crinem, & pura abluit unda
Hunc capite in terram prono lugentque, dolentque
Impexa pendente juba: vos sistite campo,
Ut bijugum cuique, & volucris fiducia currus.
Vix ea convenere viri, prior adstitit heros
Admeto satus Eumelus, quo doctior alter
Non auriga fuit, Tydides hinc Diomedes
Trojanis confisus equis, quos abstulit olim
Magno Anchisiadæ; ast illum servavit Apollo.
Tertius in mediis surgit Menelaus, & Æthen
Fert Agamemnoniam, fratri quam Rex Echepolus
Donum Anchisiades dederat, ne in Troja bella
Atridem geminum, & Reges sequeretur Achivos,
Sed partis opibus clara frueretur in urbe,
Namque virum multo ditarat Jupiter auro,

Argentoque gravi, atque altam Syciona colebat.
Hanc simul, atque suum conjunxerat ille Podargum.
Surgit & Antilochus Nelida Nestore natus,
Et Pylios hortatur equos cervice comanteis,
Alipedes; genitor juvenem satis usque peritum
Adloquitur tamen, informatque his pectora dictis:
Te juvenem licet, aurigandi Jupiter artem,
Neptunusque pater docuit, nec plura necesse est
Dicere, nosti etenim volucres inflectere bigas;
Sed tardi tibi cornipedes, & maxima equorum
Vis reliquis; non plura tamen te sciverit alter.
Nunc memor, hæc, ne te effugiat victoria, serva:
Arte faber longe quam vi præstantior acri,
Arte gubernator jactatam fluctibus alnum
Dirigit in portus, aurigamque arte magistra
Vicerit auriga; at fretus quis robore equorum
Fertur in incertum imprudens, sed in arte peritus
Bigis non adeo pernicibus alter adactos
Urget equos metam spectans, neque flectitur usquam,
Observatque oculis præeuntem, & continet acreis
Cornipedes: nosci at facilem metam ipse docebo:
Aridus ab terra truncus vix eminet ulnam,
Quercus, sive larix, quam non corruperit imber.
Hinc, atque hinc albi lapides, & semita circum
Plana patet, volucres possint ubi vertier axes,
Sive viri fuerit monimentum insigne jacentis.
Sive hæc meta fuit priscorum tempore avorum,
Et nunc Æacides metam adsignarit eamdem.
Hanc prope tu radens sella inclinator ab alta
Pronior in lævam, dextrumque hortare jugalem
Increpitans altum, totasque effundito habenas;
Ad metam sed enim sonipes tibi lævus agatur,
Ut rota modiolo lapidem videatur aheno
Stringere; sed saxo prudens impingere vita,
Ne læsis bigis, fractoque inglorius axe
Risum aliis facias, magnum tibi dedecus ipsi,

Caute age propterea, metam si laberis urgens
Nam præter, non te certarit vincere quisquam,
Nec si terga quidem premeret divinus Arion
Adrasti sonipes cælesti ab semine cretus,
Vel quos Laomedon quondam his nutrivit in agris.
Hæc monuit, seditque iterum, volucresque jugaleis.
Meriones agit extremus: stant sedibus omnes.
Concutit Æacides galeam, Antilochumque priorem
Inclamat, deinde Eumelum. Menelaus Atrides
Inde venit, tum Meriones, tandem Diomedes.
Hinc loca sorte tenent, metamque ostendit Achilles
In plano procul, & juxta qui vera referret
Phœnicem locat armigerum, sociumque parentis.
Inde omne simul elato insonuere flagello,
Cornipedesque hortantur equos clamoribus altis.
Ocyus ab ratibus camporum in plana ruebant
Pulvereusque oritur nimbus sub pectore equorum,
Atque agitata volat geminos juba densa per armos.
At currus interdum in sublime videres jamque
Subsultare leveis, humileis jam radere terras.
Acrius aurigæ hoc instant, trepidantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque arrecta cupido,
At maris extremo peterent quum litora cursu,
Tum vero ardescunt animi, tum robore toto
Certatur, Pheretiadem par nobile equarum
Extulerant primum, Tydeo gnatum inde ferebant
Trojani bijuges nimium prope, scandere currum ut
Ferme viderentur, flatuque calescit anhelo
Eumeli dorsum, atque humeri; palmamque tulisset,
Ambiguove pependisset victoria jure,
Instanti nisi Tydidæ, urgentique flagellum
Invidus e manibus pulchrum excussisset Apollo.
Ingemuit magno perculsus corda dolore.
Ætolus ductor, quod longe anteire volantem
Cerneret Eumelum; læsos, stimuloque carenteis
Cornipedes torpere suos: miserata dolentem

Digitized by Google

Pallas (Apollineam Dea nam cognoverat artem .)
Tydidem cursu assequitur, redditque flagellum,
Dein volat Eumeloque jugum confringit equinum.
Tum pavidæ turbantur equæ, temoque volutus,
Ille rotam propter de curru volvitur alto
Pulvereque, & fuso fœdatus sanguine vultum,
Adque supercilium saxo contusus acuto.
Impleruntque oculos lacrimæ ,& vox faucibus hæsit.
Emicat Ætolus, dederat namque ipsa vigorem
Pallas equis, laudemque viro, palmamque ferendam;
Dein Menelaus agit; patrios sed Nestore gnatus
Hortatur bijuges: Totas nunc promite vires.
Non Diomedæas hortabor vincere bigas,
Quanquã o! sed superent quibus hoc Jove gnata dedisti.
Atridem vicisse satis, nec fæmina laudem
Hanc Æthe ferat; at vos non præsepibus altis
Nelides genitor blandum curaverit ultra,
Sed dabit ille neci, si deteriora feramus
Præmia postremi, totis contendite nervis,
Sed quo res tentanda modo mihi linquite curam;
Hæc ait, & Regem veriti vix impete toto
Irruerant, quum Nestorides tellure cavata
Stare viam videt angustam, atque hinc inde præaltam;
Qua rapido terras subduxerat agmine torrens.
Conflictum hac metuens currus agitabat Atrides.
Ipse viam secus Antilochus magna improbus arte,
Avertens impellit equos, sequiturque, premitque,
Territus at Menelaus: Equos inhibe ocyus, inquit,
Quo temere ruis ? hic spatiis arctamur iniquis,
Collidentque rotæ, & bijuges lædentur utrique:
Præterages ubi mox toto via panditur agro.
Hæc ait, Antilochus bijuges haud segnior urget
Increpitans, surdo adsimilis, quantunque per auras
Discus abit missus juvenilis robore dextræ
Tantum præcurrit, nam sponte remisit Atrides
Pellere cornipedes, axi ne impingeret axis,

Et bigæ bigis, curruque volutus uterque,
Dum nimium properat, caderet ridendus Achivis;
Tum juvenem audacem dictis castigat acerbis:
I nunc, & sapere Antilochum, gens dicito Graium;
Sat patet; at valeas; sed non tu præmia victor
Pulchra ferens Grajum ab cœtu injuratus abibis.
Fatur, & alipedes hortatur voce jugales:
Infractis properate animis, nervi ocyus illis
Quam vobis deerunt, jam tristi urgente senecta.
Hæc ait, accelerant cursum, & rapido impete juxta
Nestoridem steterunt, Læti per gramina Achivi
Spectabant magno miscenteis pulvere campum.
Idomeneus primus specula sublimis ab alta
Hortantum vocem agnovit, bijugesque frementeis,
Namque præibat equus maculam spectabilis albam
Fronte gerens, ceu plena nitet Latonia Phœbe.
At reliquam spadix, faturque hæc Gnossius heros:
Graiugenum proceres, fallor? vel litora versus
Cornipedes alios, alium properare priorem
Aurigam adspicio? Læsas divinitus illas
Crediderim, reliquos quæ anteibant hactenus omneis.
Vidi equidem metam circumflexisse priores;
At nunc arva oculis late procul omnia lustrans
Cernere non valeo: lapsis fors ductor habenis
Non bene præcipites potuit frenare jugaleis,
Confregitque rotas, curruque volutus ab alto est,
Perque agros subita trepidæ formidine bigæ
Decurrere viam præter; vos cernite, amici.
An me acies fallit? videor mihi cernere Regem
Ætolum genere, Argivosque in bella regentem

V. 391. *Maculam spectabilis albam.* Quod de Priam. juvenis equo Virgilius in 5. Æneidos:

Frontemque ostentans arduus albam.

V. 406. *Ætolum genere.* Hic circuitus verborum, veluti laboriosam reminiscentiam designat Idomenei, veluti hominis jam ad senium vergentis.

Patre satum Tideo, clarum Diomedea bello.
Dixerat hæc, Ajax quem sic perstringit Oilei.
Idomeneu, quid præcipiti sermone profaris?
Nonne agnoscis equas cursu procul arva secanteis?
At non tu minimus ductores inter Achivos,
Nec te acie tantum extuleris ridendus, acuta.
Lingua tibi sed enim præceps; at dedecet inter
Prestanteis sceptroque viros, & stirpe parentum.
Primus, ut ante suis volat huc Eumelus equabus;
Ipse, inquam, pictasque manu moderatur habenas.
At Cretum infrendens ductor: Rixa optime tantum,
Effrænique Ajax lingua; sed cætera cuique
Argivum inferior, pulchrum depone lebetem,
Aut tripodem, & magno certemus judice Atride,
Uter equos agat, ut pretio experiare soluto.
Talia Deucalides, surgens & plura parabat
Asper Oiliades, finis nec forte fuisset
Verborum, & rixæ, nisi surrexisset Achilles,
Et medius blandis mulsisset pectora dictis:
Ajax, Idomeneu, verbis jam parcite amaris.
Nec decet, atque alii succenseretis Achivum
Talia jactanti; bijuges spectate sedentes.
Ocyus huc venient succensi laudis amore:
Quis prior, aut quis posterior tunc noscere cuique
Fas erit. Hæc ait, & currus jam proximus urget
Tydides, crebroque armos, ac tergora equorum
Verbere solicitat, crebris, & saltibus olli
Corripiunt iter, aurigam pede pulsa sonanti
Terra quatit, pone horrendum sonat æreus axis,
Ferratæque rotæ, neque signat canthus arenam;
Ut circo stetit in medio, ab cervicibus altis
Sudor iit largus, fumantum & pectore equorum.
Ille renidentem festinus dèserit axem,
Admovitque jugo scuticam Capanejus heros:
Ingentem tripodem, servamque in castra ferendam
Committit sociis properans, solvitque jugaleis.

Dein currus agit Antilochus, Neleja proles
Fraude mala Atridem, non vi prælapsus equorum.
Proximus ille tamen properantis terga premebat,
Atque rota ab volucri quantum per gramina currum
Distat agens equus, & canthos, orbemque rotarum
Verberat extremum cauda, pone ardua sedes
Cum sonitu rapitur, spatium neque distinet ingens
Tantum Nelide Antilocho Menelaus Atrides
Posterior volat, alipedis nam creverat Æthes
Immensum vis, atque animus, quod si ulla fuisset
Ulterius fuga, nec limes præfixus utrique
Antejsset procul, & palmam, plausumque tulisset.
Meriones comes Idomenei cursum inde fatigat,
Hasta volat quantum ab flavo sejunctus Atride.
Ars neque magna viro, nec vis, et robur equorum.
Dein satus Admeto sese postremus agebat
Confractosque trahens currus, pavidosque jugales.
Ingemuitque virum adspiciens, et fatur Achilles;
Ultimus ille venit quo non præstantior alter
Flectere cornipides; verum illi proxima dentur
Præmia, Tydides primo nam gaudet honore.
Talia dicenti Danai plausere, tulisset
Atque Eumelus equam circum plaudente corona.
Obsistit tamen Antilochus, mediisque profatur:
Ergone promerito, caream te judice, Achilles,
Munere victor ego, quoniam divinitus olli
Confractæ jacuere rotæ, bijugesque comantes?
Ille acturus equos, superos in vota vocasset,
Non ita postremus palma lugeret adempta.
Quod si collapsi miseret, tentoria fulvo
Plena auro, argentoque tibi, sunt optima equorum
Corpora, sunt pecora, et famulæ: majora dolenti
Mox dato, vel coram ut plausum merearis Achivum.
Hanc ego non patiar, nulli concedere certus
Graiugenum, sed jura manu quæsita tueri.
Talia Nestorides: blandumque arrisit Achilles.

Gratificans fidoque sibi, charoque sodali,
Et lubitum quando, Antiloche ut de puppibus, inquit,
Quicquam aliud promam, thoracem Eumelus ahenum
Refferet, albentis stanni quem circulus ambit,
Munimen quondam, et Phrygii decus Asteropæi,
Et magno pretio ducendum: Talibus infit,
Et charum Automedonta jubet thoraca rigentem
Ferre viro; accepto Eumelus lætatur honore.
At caveam magnis clamoribus implet Atrides
Antilochum contra exurgens: præco aurea sceptra
Imposuitque manu, indixitque silentia Graiis,
Compellatque virum, mediisque adfatur Atrides:
Antiloche, haud quondam imprudens, quis te impulit error
Curribus impactis nostros læsisse jugaleis,
Et tantum eripuisse decus? Vos, optimi Achivum,
Dicite, nec favor ab recti vos tramite flectat.
Nec quis Grajorum, ignavis Meneleaus Atrides
Vectus equis, dicat; sed vi spectandus, et armis
Antilochum oppressit dictis mendacibus, omne
Jusque et fas contra, meritoque invidit honori.
Recta equidem fabor, Danaum nec me arguet ullus.
Antiloche, huc ades, et currus, atque ante frementeis
Stans bijuges, lorumque tenens scuticamque sonantem,
Urgebas qua nuper equos, hos rite sinistra
Tange manu, et totas cingentem gurgite terras
Neptunum jura, non te ulla fraude jugaleis
Impediisse meos, et præteriisse volentem.
Hæc ait, Antilochus contra: parce, optime Atride,
Parce, inquit, juveni, Rex sceptro major, et annis,
Nosti mente levis quantum, et malesuada juventa est,
Propterea nunc perfer; equam dabo protinus ipsam.
Eque meis, maius si quicquam optaveris, ultro
Tradere mavellem, quam charo infensus Atridæ
Vitam agere, et scelerum ultores contemnere Divos.
Hæc affatus equam Menaleo tradit habendam.

Ac veluti segetis quum jam crescentis aristas
Ros nitidus lavit, horrenti gratissimus agro,
Sic, Menelae, tibi pertentant gaudia pectus,
Adloquiturque virum: gaudensque, volensque furori
Cedam equidem, nam mente gravem, rectique tenacem
Expertus fueram, et talem te fama ferebat.
Nunc præceps vertitque animum, vicitque juventus;
At satius vitare dolum, laudemque mereri
Majorum obsequio: non me sane alter Achivum
Flexisset facile; at plures pro me ipse subiisti,
Et bonus ille tuus genitor, fraterque labores.
Propterea (posset quanquam mea jure videri)
Munere equam nostro hanc habeas, nam vincier ipse
Officiis nolim, atque animos jactare superbos.
Dixerat, Antilochi sociusque in castra Noemon
Regis equam jussu abduxit, pulchrum ipse lebetem
Tertius accepit, auri tum bina talenta
Meriones quartus, quo gesserat ordine currus.
At duplicem phialam, postremi munus, Achilles
Nelidæ dedit ipse ferens, hæcque addidit ore.
Accipe, chare senex, hoc nostri pignus amoris,
Atque Menœtiadæ monimentum insigne sepulti.
Nam neque fas reliquos hunc inter cernere Achivos.
Hæc autem damus haud ullo tibi parta labore,
Nam neque pugnabis cæstu, aut luctaberis ipse,
Aut volucri jaculo, aut rapido per gramina cursu
Contendes, jam membra gravi tardante senecta.
Haec ait, haec donis laetatus pectora Nestor;
Vera quidem, fili, haec memoras, languentia torpent
Membra pedesque infra, facili nec tollere nisu
Brachia jam fas, atque manus convertere utrinque.
Sic florerem utinam, veluti quando inter Epeos
Patri Amaryncidae celebrabant justa sepulto
Buprasio in magna: similis non ullus Epeos
Inter erat, Pyliosve mihi, Ætolosve comatos.
Ænopidem hic caestu insignem Clytomedea vici;

Digitized by Google

Pleuronium lucta Ancaeum mi adversa ruentem
Praestantem & cursu Iphiclum; sed te, Polydore,
Fraxineam intorquens hastam, teque, optime Phileu?
Me duntaxat equis gemini vicere citatis
Actoridae freti numero, atque cupidine ducti,
Maxima victori posita hoc nam praemia ludo.
Hi bini tamen; alter equum flectebat habenas,
Alter equum flectebat habenas, verbereque alter
Urgebat crebro. Is fueram juvenilibus annis,
Invidet hanc mihi sed laudem jam segnior aetas,
Invitumque gravi cogit parere senectae,
Taliaque haec aliis subeunda relinquere, sanguis
Queis calidus viget: heroas verum inter Achivos
Quondam excellebam. Charo tu justa sodali,
I, sequere, atque novo produc certamine ludos.
Accipio tua dona lubens, & gaudeo amantem
Quod redamas memor usque mei, quem semper Achivos
Ductores inter claro dignaris honore.
Dij juvenem egregium donis cumulate faventes.'
Hæc senior, Grajosque inter, turbamque frequentem
Lætitia ingenti perfusus pectora Achilles
Nelidæ senis auditis sermonibus ibat.
Cernentum valido exponit dein præmia cæstu,
Exurgensque, Atride, inquit, flosque inclyte Grajum,
Nunc geminos juvenes evinctis brachia palmis
Tollere suademus: faveat cui dexter Apollo,
Grajugenum plausu victor, duram ille labori
Sexennem hanc mulam ferat, indomitamque, domari

V. 556. *Alter equum flectebat habenas*. Frigida ista ejusdem sententiæ repetitio Nestoreæ senectutis caracter est multum naturalis. Atque hæc potissimum sunt quæ Homerum signa vates reliquos extollunt, quæque oculatiores mirantur, etquæ juvenes imitari oportet.

V. 572. *Cernentum*. Quum fere totus Æneidos liber quintus ex hoc Iliadis vigesimo tertio desumptus sit, Virgilianis loquutionibus hic adnotandis supersedemus.

Nam genus hoc durum , & crudis parere lupatis.
Victus cratere hoc pulchro contentus abito .
Dixerat. Actutum Panopeo gnatus Epeus
Consurgit validusque, ingens, cæstuque peritus,
Comprensamque manu mulam tenet, atque ita fatur:
Adsit; qui cratera feret, namque hanc mihi nullus
Abstulerit reor, aut cæstus me vicerit arte.
At pugna pejor: quid enim? Non omnia cuique
Posse datum: sic ajo etenim, sic facta docebunt
Comminuamque artus, contundam & cæstibus ossa,
Nec procul inde absint corpus curare jacentis
Qui possint, suaque invalidum in tentoria ferre.
Hæc ait, obstupuere omnes, contra obvius unus
Euryalus surgit Mecisteo patre creatus
Rege Talajonida, quondam in certamina Thebas
Qui ferro occisi OEdipodæ, ludosque profectus
Insigneis retulit Cadmeja e gente triumphos.
Hunc Tydeo satus antiqui haud oblitus amoris
Firmabat dictis, cinctumque aptabat ahenum,
Loraque secta boum nectebat cruda lacertis,
Tum vero accinctus procedit in æquor uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras,
Conseruere manus, crepitant sub vulnere malæ,
Artubus ac totis sudor fluit. Asper Epeus
Tum ruit, atque genas circumspectantis, & ora
Vi quatit immensa: misero vestigia torpent
Euryalo: cadit attonitus, velut horrida ponti
Æquora quum super, algosum prope litus in undas
Desiliit piscis, fluctusque hunc obtegit ater.
Continuo, sic exiliit; lapsum sed Epeus
Erigit; & fidi æquales genua ægra trahentem,
Jactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore ejectantem ad naveis, & castra ferebant,
Craterемque tulere manu, solatia victo.
Protinus Æacides cruda decernere lucta
Invitat qui forte velint, & præmia ponens

Digitized by Google

Surgite, ait, quibus est animus tentare periclum.
Ingentem tripodem victor feret ignibus aptum.
Bissenis bobus hunc quivis emisset Achivum.
Victo serva erit haud operum rudis illa Minervæ,
Quatuor atque boum pretio. Sic fatur, & ingens
Consurgit Telamone satus, consurgit Ulysses,
Procinctique ambo steterunt medio æquore campi,
Inque vicem amplexu valido stringuntque, premuntque,
Artificis ceu tigna manu connexa cohærent
Flamina ventorum contra alto in culmine tecti,
Dorsaque stridebant validis compressa lacertis,
Et largus toto manabat corpore sudor,
Amborumque humeros circum, & latera ardua densæ
Vibices surgunt, pressoque cruore rubescunt.
Usque adeo magnis animis certatur utrinque
Ingentem ob tripodem, nec supplantarier Ajax,
Aut Ithacus poterat; tandem quum tædia Grajos
Afficerent, Laertiadæ Telamonius inquit:
Jam luctæ piget Argivos, me tu effer in altum
Si potes, aut ego te, hæc fatus simul extulit ipsum;
At non ille doli, fraudumque oblitus Ulysses
Poplite percusso deicit, sternitque Supinum.
Atque super cadit in pectus, stupet undique Grajum
Turba virum robur; surgens dein magnus Ulysses
Sustulit Ajacem, vixque ab tellure levavit.
Implicat ille genu: in terram tum pronus uterque
Corruit: et multo fœdantur pulvere vultus,
Atque iterum luctam, et certamina dura paranteis
Pelides cohibet, tali ac sermone profatur:
Jam satis est; paribus pugnastis viribus ambo,
Muneribus quoque sublatis æqualibus ite,
Grajugenæ ut alii subeant. Sic fatur Achilles.
Accipiuntque olli, deterso pulvere, vesteis.
Dein rapido jubet Argivos contendere cursu;
Argentoque gravi solidum cratera priori

Ingentem, assignat, nitidum, quo pulchrior orbe
Non erat in toto: bis sex cui ventre capaci
Mensuræ stabant, manus hunc Sidonia quondam
Fecerat, & vasti sulcantes marmora ponti
Phœnices tulerant, dederantque hæc dona Thoanti
Accepti in portum, pretiumque Lycaonis Euneus
Jasonides Patroclo dederat, nunc præmia cursus
Æacides posuit, magnum, et pinguedine obesum
Inde bovem, atque auri postremo semitalentum.
Tum surgens, properate, boni, atque hæc præmia ferte;
Inquit. Oiliades surrexit protinus Ajax,
Et Laertiades, juvenumque celerrimus unus
Nelida satus Antilochus, metamque paratis,
Liminaque Æacides signat; prior emicat Ajax,
Proximus huic volat, atque pedem pede tangit Ulysses.
Qualis ubi radium jamque hinc, jamque inde citatum
Fæmina docta jacit pectus prope, licia pulchro
Stamine subtexens, calcem sic calce fatigat
Neritius ductor, nebula atri pulveris ante
Quam totum obrueret, dorsum inque Ajacis, et altum
Inspirans caput, ingeminant toto æquore plausum
Grajugenum turbæ circum, cunctique sequentem
Instigant studiis, et jam sub fine laborum
Pallada sic secum tacitus orabat Ulysses:
Auxiliare, Dea, et pedibus nunc adde vigorem,
Vimque meis. Dixit, nec frustra in vota vocavit,
Namque agileis Jove gnata pedes, et reddidit artus.
Jamque fere spatio extremo, fessique sub ipsum
Finem adventabant, lævi quum sanguine Oileus
Labitur infelix, cæsis ut forte juvencis
Ad Patrocli tumulum virideis madefecerat herbas.
Ora fimo, et sacro turpantur sanguine vestes.
Præcurrit Laertiades, crateraque victor
Sustulit, ingentemque bovem sibi sustulit Ajax;
Et circum ingressus medium, cornuque prehenso,

Digitized by Google

Ore fimum ejectans socios adfatur Achivos :
Heu læsit mihi Diva pedes, quæ semper Ulyssi,
Ceuspia mater adest. Danai adrisere loquenti.
Tum vero Antilochus postremum munus adeptus,
Subridensque, Argivi, inquit, me discite victo
Majores colere, hos etenim docuere colendos
Nunc quoque Cœlicolæ, nam natu grandior Ajax.
Hic priscorum hominum genus est, ævique prioris,
Cruda tamen, viridisque viro, atque infracta senectus,
Et pedibus soli ex Danais vincendus Achilli.
Hæc ait, Æacides tali cumulatus honore,
At nec inanis erit, tanta hæc laus, inquit, habeto
Semitalentum aliud. Dixitque, et tradidit heros.
Deinde hastam, et clypeum, et galeam, Sarpedonis arma
Efferri jubet, abstulerat quæ Patroclus olim.
Adfaturque viros: Geminos certare jubemus
Præstanteis virtute duces fulgentibus armis :
Qui prior adversi ferro violaverit artus
Arma per, & nigrum eliciat, fundatque cruorem
Hunc ferat argentoque ensem, clavisque rigentem,
Pulchrum, Threjcium, quondam Phrygis Asteropæi.
Arma pares habeant, & nostræ pocula mensæ,
Regificasque epulas posthac. Sic fatur, & Ajax
Protinus exurgit Telamonius, & Diomedes.
Hi procul ab turba armantur, vultuque minaci
Procedunt pariter, Danaum stupuere cohortes.
Terque ruere pares, ter cominus arma tulere.
Tydidæ tandem clypeum Salaminius heros
Perforat; at corpus lorica fidelis aheno
Tegmine tutatur; Diomedes turvidus hastam
Elevat, atque super clypei septemplicis orbem
Cervicem petit Ajacis; procedere Graii
Ulterius vetuere tamen, charissimus Ajax
Nam cunctis erat, & paribus discedere donis
Decrevere duces. Tydidæ baltheus aureus

Ee

Obtigit, atque aurea vagina fulgidus ensis.
Hinc ferro solidum Pelides extulit orbem
A fornace rudem, Eetion quem mittere suetus
Rex quondam, dextra sed jam prostratus Achillis,
Qui gazam ingentem ratibus convexerat altis,
Tum surgens turbam adfatur sic voce frequentem;
Adoproperate, quibus tanta est fiducia dextræ.
Ne quanquam ingentis provolvat jugera campi (nos,
Grajugenum quisquam quinque hos tractanda per an-
Non ferro vel pastor egens, vel arator in urbem
Iverit. Hæc fatur, confestimque hinc Polypœtes
Sistitur, hinc magna Divis par mole Leonteus,
Atque Ajax Telamoniades, & fortis Epeus.
Hic orbem ingentem primus rotat ordine; risu
Exceptus sed enim; sequeris, sate Marte Leonteu,
Tertius inde Ajax, jecitque ultra omnia signa
Robusta ab dextra, tandem extremus Polypœtes,
Ille boum quantum supra capita alta bubulcus
Projicit usque pedum, tantum signa omnia jactu
Transiliit, Grajorum ingens ferit æthera plausus,
Præmiaque ad naveis fidi retulere sodales.
Tum qui forte velint celeri certare sagitta
Invitat, juvenumque manu malum erigit ingens
Argolicæ ratis, & pavidam de fune columbam,
Quo ferrum intendant malo suspendit ab alto.
Qui volucrem telo figet stridente columbam
Has feret ille decem tentoria ad alta bipennes.
Qui funem attigerit, totidem feret ille secureis.
Dixerat, & Telamone satus subito adstitit Heros
Teucer, Merionesque ducis comes Idomenei.
Convenere viri, dejectamque ærea sortem
Accepit galea, & plausu sors prima secundo

V. 738. *Transiliit*. Ajax Telamonius heros alioqui præstantissimus, infelici semper eventu prius cum Ulysse, dein cum Diomede, ac tandem cum Epeo contendit.

Exivit Telamoniadæ, nec Apollinis ille,
Divorumque memor telum conjecit in auras.
At pavidam volucrem (namque hoc invidit Apollo)
Figere non valuit, nodos, & vincula rupit,
Queis innexa pedem malo pendebat ab alto.
Illa Notos, atque atra volans in nubila fugit.
Funiculus cadit; adstantes plausere catervæ.
Meriones arcu jam dudum intenta parato
Tela tenens, Phœbo taurorum corpora centum
Ritè vovet, lætam & cœlo speculatus, & alis
Plaudentem nigra figit sub nube columbam,
Perque meat telum, & mediam transverberat alam.
Adque pedes jaculantis humo rursum ærea cuspis
Figitur, at volucris sublimi ab vertice mali
Erecto collo, expansisque ingentibus alis
Decidit exanimis, Danaum mirata juventus
Ingeminat plausum, promissaque præmia tollunt,
Meriones primum, gnatus Telamone secundum.
Pelides longam inde hastam, magnumque lebetem
Intactum flammis pretio bovis, atque coruscis
Floribus insculptum jaculo certantibus offert.
Continuò in mediis Agamemnon surgit Atrides,
Merionesque iterum; at prudens sic fatur Achilles.
Atride, sceptro quantum præcedis Achivos,
Tantum te jaculo præstare, ac robore destræ
Omnibus est notum; omisso certamine prima
Præmia propterea hæc ferto, tum, si lubet, hasta
Merioni detur, hoc dignum nam rebar honore.
Hæc infit, paretque lubens, & gaudet Atrides.
Meriones longam in tentoria detulit hastam,
Talthybio ille dedit portandum in castra lebetem.

LIBER VIGESIMUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Jupiter de Hectore solicitus ad Achillem, ut corpus Herois reddat, Thetidem mittit, Irin autem ad Priamum ut redemptionis pretium ad naves ferat. Deductus ille a Mercurio, qui Græcorum custodes sopiverat, supplex ad Achillem accedit, a quo benignissime exceptus filium recipit, in urbem reportat, sepelit, ejusque Manibus epulum celebrat.

ARgivi ad naveis cœtu redicre soluto
Quisque suam, dulcique cibo, indulgentque quieti.
At chari comitis memorem dolor urget Achillem,
Lumina nec blando patitur componere somno;
Sed noctem irrequietus agens huc volvitur, atque huc.
Multa viri virtus animo, multusque recursat
Oris honos, tum quos pariter subiere labores,
Præliaque, erroresque viarum, undasque sonantes.
Hæc memorans gemit, & lacrimis rigat ora profusis,
Inque latus jacet interdum, interdumque supinus,
Mox cubat in faciem pronus, mox litus oberrat
Exurgens, neque pulchricoma hunc Aurora latebat
Litoribus super ab rosea quum fulserat æthra.
Tum volucres jungebat equos, curruque ligatum
Ter Patrocli ad tumulum furiis ingentibus actus
Hectora raptabat, mox pronum in pulvere linquens,

V. 10. *Inque latus jacet*. Hinc ridiculum illud Iuven sat. 3.
„ Noctem patitur lugentis amicum
„ Pelidæ, cubat in faciem, mox deinde supinus„.

Digitized by Google

Depictasque rateis, tentoriaque alta petebat.
Hectoris at chari exuvias miseratus Apollo
Curabat sordeisque arcens, tabumque cruentum,
Raptandumque viri corpus fulgente tegebat
Ægide, ne molleis tellus offenderet artus.
Hectora sic indigna furens tractabat Achilles.
At Dii adspectantes aderant, iraque fremebant,
Mercurioque aliqui suadebant tollere furto.
At non Junoni hæc placuit sententia magnæ,
Nec tibi, Neptune armipotens, flavæque Minervæ.
Nam vetus ira Deas agitat, stat corde repostum
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ,
Et prælata Venus, vetitos quæ suasit amores.
Hinc Priamus, populusque Phrygum, atque invisa Deabus
Pergama. Bissena sed enim jam luce micante
Cœlicolum in cœtu hæc ait indignatus Apollo:
Immites Superi! an vobis non Trojus Hector
Exta boum sæpe, & pecudes adolevit ad aras?
Quis furor, exanimum saltem non reddere patri,
Uxorique suæ, & populis, qui extrema perempto
Justa ferat, sacroque rogi dignentur honore,
Unius Æacidæ ob furias, rabiemque nefandam?
Æacidæ, cui non animus, mensve æqua sub illo
Pectore; sed torvi præcordia sæva leonis,
Qui rabidus ruit, & toto grassatur ovili
Solicitante fame, haud aliter, nam sævit Achilles
Inmitisque, effronsque, viroque injurius omni:
Hoc unum juvat, atque etenim cui charior alter
Non passim perit, aut frater, dilectaque proles?
At postquam flevere, dolor, rabiesve quiescit,
Namque animum patientem homini Deus indidit æquus.
Hectora sed tamen occisum male sanus Achilles
Raptat adhuc chari ad cineres, tumulumque sodalis.
At nec honesta quidem, nec Diis laudabilis illa
Ira stet, Superumque olli succenseat ullus,

Surdam ignominia terram namque afficit excors.
Talia jactanti infrendens hæc candida Juno:
Hæc ita sint sane, Arcitenens, si poscis honorem
Priamidæ, Æacidæque parem; mortalibus Hector
Sed patribus genitus, muliebriaque ubera suxit:
Ille Deæ proles, curis quam ingentibus olim
Ipsa alui, & sacris Peleo conjunxi hymenæis,
Peleo, terrigenum quo Diis non charior ullus,
Adfuistisque omnes Superi, tuque ipse canoram
Pulsabas cytharam, & lætus conviva sedebas.
At Divum pater: hunc, Juno depone furorem.
Non idem statuendus honos: verum Hectora amabant
Dii quoque præcunctis Trojæ quos tecta tenebant.
In primis ego, nam festis mihi sæpe diebus
Atque adipe, & sacras oneravit lancibus aras
Lectarum pecudum, quo Dii gaudemus honore.
Clam tamen exanimum fas hunc non tollere Achille.
Mater adest Dea quippe viro nocteisque, diesque.
Huc Thetidem satius vitreis arcessere ab antris.
Suadebo ut Priami lacrimis, pretioque redemptum
Hectora Pelides reddat. Sic Jupiter infit.
Confestimque Iris nimbo volat ocyor, Imbrum
Saxosam, propterque Samum, & se in gurgite mergit
Plumbea glans veluti cornu bovis insita ponti
Ima petit, tristeisque avidis fert piscibus escas.
Stipatamque Deam Nimphis sub rupe cavata,
Et chari reperit flentem fata aspera gnati,
Qui procul Iliacis erat interiturus in agris;
Et prope, surge, Theti, in cœlesteis Jupiter arceis
Te vocat. Hæc Iris, Thetis hæc argentea contra:
Quid Divum genitor jubet? immortalibus ipsa
Misceri vereor tot tristibus anxia curis.
Ibo tamen, magnique sequar mandata parentis.
Hæc ait, & nigro crineis obnubit amictu,
Deserit & thalamos, Irisque præibat eunti.
Spumeaque has circum diducta remurmurat unda.

Digitized by Google

Ut ventum ad litus, sedeis petiere beatas
Quo Superum genitor turba comitante sedebat.
Asseditque Jovi, cessit Tritonia Pallas,
Auratumque Deæ Juno cratera propinat,
Illa haustum reddit, mediisque hæc Jupiter orsus:
Mœrentem licet, hæc Superum te in tecta vocavi,
Haud ignarus ego, nostram nunc accipe mentem:
Nona dies est quum cœlo discordia sævit
Pelida super, Hectoreoque cadavere: furtim
Tollere Mercurio quidam suasere; sed ipse
Te veritus, gnati tum consulturus honori,
Ocyus ire hortor, meaque hæc mandata referte.
Iratos sibi Cœlicolas, meque assere primum
Hectora quod tenet ad naveis, animoque furenti
Raptat adhuc, donis nec reddidit ille redemptum.
Reddat, siqua mei reverentia tangit Achillem.
Laomedontiadem Priamum nunc ipse monebo
Ut gnatum redimat supplex in castra profectus
Munera grata ferens. Summus sic Jupiter infit
Paruit alma Thetis, terrasque ab vertice Olympi
Adproperans, charique petit tentoria gnati,
Mœrentemque illum reperit, crebrumque gementem,
Dilectique aderant comites, pinguemque bidentem
Mactatam admorant flammis, epulasque parabant,
Demulcetque manu genitrix, sicque ore profatur:
Gnate, quid assiduo mœrens torquere dolore
Nec potus memor, aut thalami? sed pectoris ægri
Fæmineis est illecebris mulcendus amaror,
Non mihi quippe diu vives, violenta minantur
Jam prope fata tibi. Hæc infit, cœlestiaque olli
Jussa refert, contra respondet talibus heros:

V. 117. *Jussa refert*. Quum nuntii apud Homerum omnia ad verbum, ut sibi dicta fuerant repetere soleant, quod Latinarum aurium consuetudo non ferret, eo compendio nos in tota Iliadis versione usi sumus.

Actutum pretiumque ferant, portentque cadaver,
Si vera hæc summi memoras mandata parentis.
Talia sese inter mœsto sermone serebant.
Jupiter interea ad Priamum Thaumantida mittit.
Iri, age, dic Priamo ut Grajorum in castra profectus
Hectoreum redimat corpus; sed solus Achivas
Ipse rateis petat; at rhedam qui dirigat unus
Præco adsit senior, referatque in tecta cadaver.
Nec mors, aut fraus ulla viro obversetur eunti.
Mercurium namque ipse dabo comitemque, ducemque,
Qui tutum ferat, & magnum prope sistat Achillem,
Intrepidum; nec enim Regem interfecerit ipse,
Adstantumque minas (siquæ) compresserit omneis.
Imprudens nec enim est adeo, ac temerarius, ut non
Supplicibus parcat, Regem & vereatur Achilles.
Dixerat, illa Notis Priami petit ocyor aulam.
Luctus ubique, sonant mœstis plangoribus ædes.
Hic Priamus gnatis circum lugentibus, atra
Obtectus chlæna senior, multoque jacebat
Cervicem, & canos conspersus pulvere crineis.
Turba nurum, gnatæque intus, famulæque suorum
Quæque memor flebat, quot non virtutis egentes
Argivum domuere manus. Regi adstitit Iris:
Et prope submissa adfatur sic voce trementem:
Aude, Laomedontiade, formidine pulsa,
Grata Jovis tibi nam refero mandata Tonantis,
Qui procul ab summo Priamum miseratur Olympo,
Hæc ait, atque patris simul omnia jussa recenset.
Confestimque abit, at senior rhedamque parari,
Atque arcam jubet, ipse alta in penetrália tendit
Cedrina, odorata, hic longos congesta per annos
Gaza ingens, Regumque jacent spolia ampla priorum.
Uxoremque Hecubam senior vocat, atque ita fatur:
Infelix, gnatum me Jupiter ire redemptum
Argivum jubet ad naveis, & munera ferre
Grata viro, mihi mens eadem suadetque, jubetque

Quid super his? ausus ne tibi, facinusque probatur?
Sic ait, ingemuitque uxor, tum talibus infit:
Quo tibi mens abiit, rerum & prudentia quondam
Iliaco in regno, totumque audita per orbem?
Ad naveisne paras ire incomitatus Achivas,
Atque sub ora viri, qui tot tibi pignora chara
Sustulit? heu! duro tibi sunt præcordia ferro.
Quippe nec ille tui miserebitur, atque prehensum
Occidet subito: gnatum intra tecta fleamus.
Scilicet hæc olim nascenti fata sorores
Eumenides nevere; canes ut pasceret agris,
Ab nobis procul Æacidæ crudelis ob iram,
Cujus ego medium discerpere dentibus hepar
Possem utinam, meritas raptato de Hectore pœnas
Solveret; at non indecori se more gerentem,
Sed charam ob patriam conversa fronte ruentem,
Immemoremque fugæ tristem demisit in orcum,
Sic conjux, contra sic Laomedontius herōs:
Chara, precor, ne me cupientem avertere tenta,
Læva avis, haud etenim flectar, nam tale sacerdos
Si mihi, vel doctus quisquam cecinisset aruspex,
Credere mendacem merito, insanumque liceret;
At vidi ipse Deam, vocemque hisce auribus hausi.
Ibo, nec incassum; quod si mihi fata parabant
Ædibus his procul, ad naveis occumbere Achivas
Occumbam tristi satiatus pectora luctu
Hectora complexus gnatum. Sic fatur, & arcas
Ingenteis aperit senior, pictosque tapetas
Bis senos, totidemque ardenteis murice lænas,
Bis sex & tunicas lini de flore comantis,
Pallia tum pulchra, & gemmis, auroque micanteis
Fæmineas vesteis totidem, quatuorque lebetas
Extulit, & geminum tripodem fulgentibus ansis.
Crateremque auro solidum, quem Thracia quondam
Gens dederat Priamo legato ea regna petenti,
Donum ingens, tamen haud illi Rex parsit, Achivum

Ut retro ab ratibus gnatum ferat Hectora in urbem.
Spectandique avidos portarum ab limine Teucros
Arcebat senior, verbisque urgebat amaris:
Ite procul, genus invisum, unicuique dolendum
Nonne domi satis? An nostros augere dolores
Est animus, tanti ac misero de funere gnati
Succensere patri? at nimium lugebitis ipsi
Prosterni magis hunc faciles, facilesque fugari
Hectore sublato; sed me vastata priusquam
Pergama conspiciam, & nigris crepitantia flammis
Fata ferant utinam Stygii sub gurgitis undam.
Sic ait, & sceptro Teucros abigebat adacto.
Illi urgerte sene adproperant, limenque relinquunt.
Dein gnatos Priamus dictis his increpat ardens,
Pammonaque, atque Helenum, Paridemque, Agathona, Politen,
Deiphobumque, atque Hippothoum, Antiphonumque, & Agavum.
Festinate, sati indecores, utinam simul omnes
Hectore pro charo Cociti issetis ad umbras.
Hei misero! charos virtute, & robore gnatos
Arcibus Iliacis genui: jam nullus, opinor
Est super, aut Mestor Diis æquiparandus, & alto
Troilus ab curru pugnax, & maximus Hector
Qui Deus inter erat Teucros, neque patre creatus
Mortali, Divum sed enim de semine natus
Ille videbatur. Mars hos tulit; ista supersunt
Probra mera, insignes saltu, blandisque choreis,
Nectendisque dolis: convectandisque rapinis.
An mihi non tandem rhedam junxeritis altam,
Omnibus his super impositis festinus Achivum
Ut tendam ad naveis? Dixit, veritique parentem
Certatim adproperant, aptantque volubile plaustrum,
Pulchrum, compactumque recens, arcamque ligarunt.
Dein traxere jugum validum tornatile buxo,
Umbone ornatum, quem plurimus annulus ambit,

Temonique alto lorum inseruere jugale
Annulus hinc clavo insertus, tum triplice nexu
Umbonem circum nitidum, dein simplice nodo
Funem adstrinxerunt, atque ab penetralibus altis
Hectorei capitis pretium infinita tulerunt
Munera, tum valido junxerunt robore mulos
Quos Mysi Priamo dederant pulcherrima dona.
At præco, & Priamus curis ingentibus ambo
Cornipedes junxere, senex præsepibus altis,
Quos dulci Bacho, & lectis nutriverat herbis.
Tum conjux Hecuba ingenti perculsa dolore
Dulcia vina ferens, atque aurea pocula dextra
Constitit ante rotas, mœstoque hæc ore loquuta est:
Accipe (quandoquidem ad naveis contendere Achivas
Me juvat invita) Superum libato parenti,
Incolumi ut liceat Trojana revisere tecta.
Insuper atque ora cogentem nubila patrem
Quique Idam, & celso Trojam speculatur ab axe,
Ut dextram tibi mittat avem, quæ gratior ipsi est,
Viribus & volucres inter præstantior omneis,
Quamque ipse adspiciens, firmatusque omine tanto
Inceptum aggrediaris iter; super ipsa sedere
Hortarer secus. Hæc conjux, hæc maximus olli
Laomedonte satus: Nequaquam recta monenti
Obstiterim, nec enim Jovis est sine numine quicquam
Aggredier tutum, si fors miseratus ab alto
Auxilium ferat. Hæc inquit, purasque parari
Admonuit manibus lymphas, tum jussa frequentes,
Adproperant famulæ, & pelvim,guttumque ministrant.
Ut lavit, dextra accepit cratera rigentem
Stansque aula in media libavit dulce Lyæum
In cœlum adspectans: altaque hæc voce precatur:
Jupiter, Idæo regnas qui culmine, Divum
Maxime, in aspectum Pelidæ, atque ora venire
Da gratum, pater, & tantis bonus annue cœptis,
Mitte, precor, volucrem, tibi quæ gratissima cœlo est:

Maximaque alituum, fretus quo numine Achivas
Contendam in puppeis. Orabat talibus heros,
Audiit atque Deum genitor, tum visa repente
Venatrix aquila, ex avibus præstantius omen.
Dextra viro Iliacam pennis petere ocyus urbem.
Quantum autem thalami patet ingens janua celsi
Regifico in tecto, tantum patuere volantis
Hinc, atque hinc alæ, atque animis gaudentibus axem
Conscendit senior, portisque sonantibus exit.
Ante quidem rhedam prudens Idæus agebat,
Pone senex urgebat equos per strata viarum,
At certam veluti in mortem lacrimatur euntem
Charorum ingens turba procul, jamque arva tenebant,
Quum gnati Trojani, & generi petiere reversi,
Atque per arva senem Genitor miseratus euntem
Mercurium adloquitur gnatum: Citò labere pennis,
Namque hominum jucunda tibi commercia gnate,
Laomedontiadem ad naveis sic ducito Achivas
Ut videat nemo ex Danais, ante ora priusquam
Venerit Æacidæ. Summus sic Jupiter infit.
Continuo ille patris magni parere parabat
Imperio, & primum pedibus talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, sive æquora supra,
Seu terras rapido pariter cum flamine portant.
Tum virgam capit, hac animas ille evocat orco,
Pallenteisque alias sub tristia Tartara mittit,
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.
Illa fretus agit ventos, & nubila tranat.
Ut Trojam ventum, atque Helles ad litora ponti,
Formosi juvenis vultum mentitur, & ora
Flore genas primo vestit cui gratior ætas.
Jamque Ili tumulum præter curru alite vecti

V. 280. *Continuo*. Versum hunc, & sequentes, quibus Mercurii ornatus describitur, ex hoc loco ad lib. Æneidos quartum transtulit Virgilius.

Ad fluvium steterant sub prima crepuscula noctis,
Mercuriumque prior præco se versus euntem
Conspexit propius, trepidansque hæc ore profatur:
Dardanide, huc adverte animum, res maxima poscit.
Quippe virum video venientem: protinus ambos
Perdiderit, reor: aut bijuges flectamus ad urbem,
Aut genua amplexi, si fors miserebitur, ipsum
Exoremus, ait. Senior formidine pressus
Obstupuit, steteruntque comæ, attonitusque tremiscit.
At Maja genitus propior dextramque prehendit,
Compellatque virum, dictisque adfatur amicis:
Quo noctu, pater, ignavo quum victa sopore
Cuncta silent, bijuges flectis, currumque sonantem?
Nec Danaum vicina times, inimicaque castra?
Quæ tibi mens, Danaum siquis conspexerit atram
Per noctem tot opes, onerataque plaustra ferentem?
Ipse senex quando, nec multum junior annis
It comes, audacem ut posses compescere dextram.
Sed non talis ego; potius te namque tueri
Vellem etenim, genitoris enim te dignor honore.
Olli Dardanides: memoras hæc vera profecto
Gnate inquit: sed Cœlicolum mihi ab æthere quisquam
Dexter adest, comitem qui talem adjunxerit ultro
Faustum, felicem, qualem tu corpore reffers,
Prudentique animo, o patribus prognate beatis.
Sic Priamus, Deus hæc contra: Næ tu omnia rectè
Dixisti, pater; at verum jam expone roganti:
Num gazam externas servandam mittis in oras?
Deseritis ne urbem, atque altos formidine muros?
Talis enim periit gnatus tuus inclytus ille,
Nec pugna inferior Danais. Hæc fatur, & olli
Laomedontiades: quis tu, aut qua stirpe creatus,
Optime, qui gnatum memoras cum laude peremptum?
Tunc Atlantiades: Quid me super Hectore tentas,
Chare senex? Pugnantem equidem sæpe ipse videbam,
Et pavidos quando ad naveis agitabat Achivos,

Digitized by Google

Nos mirabamur pugna procul ; acer Achilles
Dum ferro abstinuit magno indignatus Atridæ.
Ejus ego famulus, navique huc vectus eadem
Myrmidonum de gente satus, genitorque Polyctor
Est mihi, dives opum, & tecum certaverit annis.
Sena viro soboles, gnatorum septimus ipse
Sum tibi, cui misero ex cunctis sors obtigit uni
Atridas in bella sequi: nunc puppe relicta
Arva pererrabam, nam quum lux crastina surget,
Iliacas tentant arceis invadere Graii,
Otia nec jam ferre queunt, frustraque frementeis;
Pugnarumque avidos certant compescere Reges.
Sic Deus, at Priamus: Pelidæ diceris ipse
Quandoquidem famulus, verum ne absconde roganti.
Gnatus adhuc jacet ad naveis meus? anne recisum
Membratim canibus mandendum objecit Achilles?
Hic Maja genitus: volucrum non ille, canumve
Præda fuit; jacet ad naveis neglectus Achivas
Æacidæ in castris, luxque hæc duodena jacenti;
Nec tamen immunda squallet putredine corpus,
Vermibus aut scatuit, Patrocli circum ille sepulchrum
Quanquam raptat adhuc, quum pulchra Aurora rubescit.
Nec turpat tamen; accedens mirabere forsan
Roscidus ut jacet, haud ulla de parte cruento
Fœdatus tabo, nullo jam vulnere hiante,
Nanque olli extincto inflixerunt plurima Graii.
Usque adeo magni curam gessere jacentis
Cœlicolæ, fuerat namque his gratissimus Hector.
Hæc ait, at senior lætatus pectore fatur:
Muneribus pulchrum est superos placare beatos,
O fili, nec enim meus hic dum viveret, Hector
Divorum est unquam oblitus supera alta tenentum.
Nunc ideo extinctum tanto dignantur honore.
Tu pulchrum hunc cratera mei fer munus amoris,
Meque tuere: precor, Divisque faventibus ipsis,

Deduc, Pelidæ veniam in tentoria donec:
Ast Deus: incassum juvenem me munere tentas,
O senior, nec enim accipiam clam munus Achille,
Quem vereor, timeoque suis fraudare merentem.
Nec dux ire viæ renuo, atque ipsum vel ad Argos
Per mare velivolum, nemorumve per avia ducam,
Nec duce contempto Danaum te invaserit ullus.
Hæc ait, & saltu sublimem ascendit in axem,
Atque manu scuticam, & pictas moderatur habenas,
Inspiratque animos bigis, subitoque profundam
Ad fossam ventum, & turreis, longasque carinas.
Custodes fessi recreabant corpora victu.
At Deus his placidum immittit per membra soporem,
Confestimque aperit portas, vectesque retrudit,
Atque intrò Priamum ducit, rhedamque sonantem,
Inde excelsa petunt Regis tentoria Achillis;
Abiete quæ cæsa multo struxere labore
Myrmidones levibus calamis tecta alta tegentes.
Ast ingens tota ambibat tentoria vallum
Stipitibus densis, abiegnoque objice posteis
Firmarant valido, quem tres vix obdere Achivi,
Vix poterant reserare; tamen hunc obdebat Achilles
Solus item. Maja hunc genitus detrusit, & intro
Laomentodiadem; selectaque munera duxit,
Deseruitque axem, vultuque hæc fatus amico est:
O senior, cœlo Deus immortalis ab alto
Adsum Mercurius, tibi nam sociumque, ducemque
Jupiter ire viæ dederat, nunc ipse revertar,
Peljdæ nec enim conspectum, atque ora subibo,
Nec fas Cœlicolum genus immortale tueri,
Mortaleisque fovere palam, tu amplectere supplex
Æacidæ genua, & lacrimis corda aspera tenta
Perque patrem, matremque Deam, gnatumque precatus.
Dixerat, inque altum subito contendit Olympum.
At Rex Idæo ad currum, rhedamque relicto
Intrepidus tectum ingreditur, sedemque repostam

Phtius ubi Æacides, (dapibus ut forte remotis,
Mensa aderat) turba sociorum adstante sedebat.
Solique Automedon, & Martius Alcimus olli
Circum assistebant, ambosque ingressus in aulam
Priamides latuit, genua atque amplexus Achillis
Procidit, horrendasque manus tremulo admovet ori,
Invictas, validas, homicidas, sanguine charo
Tot sibi gnatorum infectas, & cæde recenteis.
Virque virum veluti fato quum impulsus acerbo
Interimit, patria profugus, tectisque paternis
Externas volat in terras, opulentaque magni
Tecta viri, adstanteisque omnes stupor occupat ingens,
Sic Priamum intuitus stupuit Pelejus heros.
Inque vicem socii sese spectantque, silentque
Attoniti; at lacrimans Priamus sic ora resolvit:
Maxime Grajugenum chari reminiscere Patris
Jam senio gravis, & nostros qui computet annos.
Et nunc forte quidem indefensumque, inque peditum
Finitimi circumsistunt, belloque fatigant.
Te gaudet vivente tamen, speratque reversum
Visurum Iliaca ab pugna; miser ipse potenteis
Tot genui gnatos, nec jam super ullus, opinor.
Quinquaginta olim fuerant, quum classis Achivum
Appulit, unde quidem, vigintique editi eadem
Ex alvo fuerant, reliquos confusa per ædeis
Matrum turba dedit, plerosque hos funere acerbo
Mars tulit: ast uno solabar me Hectore, quem tu
Pugnantemque urbem circum, murosque tuentem
Nuper victrici hac misisti in Tartara dextra.
Hunc ergo infinita ferens tibi dona, redemptum
Huc venio supplex: Superos reverere, meique
Longævi miserere, patris memor; ast ego quanto
Sum miserabilior, nec enim ex mortalibus alter
Gnatorum interfectoris ferre oscula dextræ
Sustinuit, reor. Hæc fatur. Memor ille parentis
Compressitque senis dextram, blandumque removit.

Lugebantque ambo : ille pedes complexus Achillis
Hectora : sed patrem , & charum quandoque sodalem
Pelides , resonant mœstis plangoribus ædes .
Ut luctus satiatus amor , consurgit Achilles ,
Attollitque senem dextra , vultusque senileis ,
Incanumque caput miseratur , & ore profatur :
Heu nimium miser , adversisque exercite fatis !
Qui solus Danaumque rateis , ausus que furentis
Ora subire viri , qui tot tibi funere gnatos
Sustulit ? E durone rigent tibi pectora ferro ?
Verum age , jam confide sedens , luctumque premamus ,
Ingenteisque animo curas , sævosque dolores .
Nam quid enim lugere juvat ? mortalibus
Hoc onus impositum nascentibus , ut breve vitæ
Tempus agant flentes ; curæ expers vita Deorum est .
Dolia quippe Jovis stant primo in limine bina
Hocce malis plenum , hocce bonis ; cui miscet utrimque
Jupiter , ille malis pariter bona mixta tenebit .
Cui mala sola dabit , miseræ ille incommoda sortis
Perpetuum subit , & fortuna urgetur acerba ,
Terrigenisque gravis , Superisque invisus oberrat .
Nascenti Peleo Dii ingentia dona dederunt
Mortaleis inter reliquos , sceptroque colendum
Myrmidonum , & magnis opibus fecere beatum ,
Mortalique licet Regi est Dea tradita conjux .
At gnatum dolet haud ullum in sua sceptra vocandum ,
Nam me , quem solum genuit , dum Pergama circum
Bella gero , tibi molitus mala plura , tuisque ,
Urbe procul patria rapiendum funere acerbo
Novit enim , nec fas misero fovisse parentem .
Te quoque fama refert opibus viguisse superbis
Quot Lesbos claudit , Macaris sita Lesbos ad Austrum ,
Phryxæumque mare , & Phrygiæ qua culmina Eois
Prima rubent radiis , lata hac ditione ferebat
Te fama insignemque opibus , gnatisque beatum .
Dii sed enim postquam bellum immisere cruentum ,

Assiduo pugnæque agitant, cædesque cruentæ.
Macte animo, neque te immiti substerne dolori.
Proficies nec enim quicquam, nec questibus istis
Hectora, nec luctu ab tristi revocaveris Orco;
Forte etiam graviora tibi subeunda manerent.
Hæc dux, atque olli Priamus: Ne me, inclyte Achilles,
Pulchra in sede loca, castris inhumatus Achivis
Dum gnatus jacet: hunc citius mihi trade redemptum.
Conspiciam his oculis, tu clemens accipe dona,
Plurima quæ tibi deferimus, felixque fruaris
His utinam, patriosque lareis, vultumque revisas,
Vivere me postquam voluisti, & cernere lumen.
Hæc Rex, quem torve intuitus sic fatur Achilles;
Ne hunc senior tu irrita animum: tibi reddere gnatum
Constitueram equidem, namque ab Jove nuntia mater
Adstitit alma Thetis, nec me latet æthere ab alto
Te quemquam Superum ad Grajum duxisse carinas,
Castraque; nec dextra fretus, viridique juventa
Terrigenum auderet quisquam, vigilesve latere
Custodes posset, portasque aperire retrusis
Objicibus validis: priscum ne accende furorem
Propterea, neu submisso licet, atque precanti
Injiciamque manum, & violem mandata Tonantis.
Sic infit, paretque senex, instarque leonis
Exiit Æacides, gemini comitantur euntem
Alcimus, Automedonque, heros quos Patroclo ademto
Grajugenas inter primo dignatur honore,
Cornipedesque jugo solvunt, introque canorum
Præconem ducunt, pictaque in sede reponunt,
Muneraque ab rheda adportant; sed bina relinquunt
Pallia, subtilem ac tunicam, qua corpus amictum
Defferrent, puraque artus perfundere limpha
Ancillas jubet, & liquido super ungere olivo
Conspectu procul, & chari genitoris ab ore,
Gnatum adspectantem Priamum ne forte subiret
Ira repens, miserumque senem truculentus Achilles

Conficeret subito oblitus cœlestia jussa.
At lotum, & tenui circum velamine tectum
Ipse manu lecto imposuit, comitesque tulerunt
Plaustra super sublimem humeris: gemit inclytus heros
Interea, & charum compellans voce sodalem:
Parce, inquit, Patrocle, audieris, si forte redemptum
Hectora, Cociti sterilem labentis ad undam.
Nam mihi digna senex dona attulit, & tibi partem
Ipse dabo haud modicam, fas quantum luce carenti.
Hæc fatus redit ad Regem, sicque ore profatur:
Perfeci tua vota, senex: jacet Hector in alto
Compositus lecto, Aurora ut fulgente videbis
Hinc referens; nunc sed dapibus, potuque fruamur,
Nam neque bissenos quæ amisit funere gnatos
Pulchra comas Niobe, victu abstinuisse ferebant,
Sex pueros, totidem forma præstante puellas,
Illos Arcitenens nervo stridente peremit,
Has Phœbi soror, insano quod Tantalis ore
Latonam super ingenti se Prole ferebat,
Nam bina huic soboles, sibi sed bissena fuisset;
At bini extinxere genus Amphionis omne.
Inque sepulta novem jacuerunt corpora Soles,
Nam populos lapides divina fecerat arte
Jupiter; at decima tandem sub luce miserti
Dii tumulaverunt, victu tamen ipsa trahebat
Vitam infelicem genitrix, nunc devia montis,
Atque cavas propter rupeis, Sypileja circum
Litora, ubi pulchras posuisse cubilia Nimphas
Fama est, quæ lustrant Acheloja stagna choreis,
Dura silex quanquam, mœsto sub corde dolores
Concoquit ab Diis immissos, luctuque liquescit.
Ergo age nunc curamque cibi, potusque geramus.
Hectora dein Trojam advectum lugere licebit,
Nec satis ille tibi fuerit lugendus, opinor.
Dixerat, & niveam jussit mactare bidentem.
Tergora diripiunt comites, & vellera tendunt.

Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt.
Accendunt alii flammas, & viscera torrent.
Æacides carneis mensa, Cereremque canistris
Expedit Automedon, dapibusque fruuntur opimis.
Postquam exempta fames, & amor compressus edendi,
Ingentem prope Dardanides miratur Achillem,
Qualis erat, quantusque, Deisque simillimus ora.
Inque vicem Priamum magnus spectabat Achilles
Admirans vultum egregium, vocemque loquentis.
At postquam siluere diu, & stupuere vicissim.
Hæc Priamus: dulcem sine me jam carpere somnum,
O dilecte Jovi, nec enim clausisse sopore
Lumina fas mihi, præ muris ex quo meus Hector
Ære tuo cecidit, gemitus sed pectore fundens
Per cinerem immundum prostratus membra jacebam
Aulai in septo: Cererem nunc, vinaque primum
Dulcia gustavi. Hæc infit, lectosque sub altis
Sternere porticibus famulis præcepit Achilles.
Confestim accenduntque faceis, geminumque cubile
Pellibus insternunt blandis dein frigora contra
Stragula purpurea injiciunt, pictosque tapetas,
Vilosasque super chlænas, animumque senilem
Pertentat falsa illudens formidine Achilles:
Chare senex, extra huc dormi, ne nocte sub alta
Consilium exquirens dubiis in rebus Achilles,
Ut solet, huc quemquam mittat, teque ille jacentem
Intuitus Regem admoneat. Næ longa resultet
Inde mora, ut gnatum referas in tecta redemptum
Verum age, jam dic, ut tumulo charum Hectora condas,
Justaque persolvas, quot habes opus ipse diebus?
Turbam ut contineam Danaum, & simul ipse quiescam.
Olli Diis similis Priamus: si funera gnato,
Ultra etiam mea vota prius permittis, Achilleu,
Quo misero mage nil gratum, optandumque parenti,
Claudimur ut nosti, murorum tegmine; silva
Monte procul portanda; pavent formidine Teucri.

Digitized by Google

Nonam usque ad lucem tectis fleremus in altis.
Dein sepeliremus decima, assuetisquè vacaret
Gens epulis, tumulum undecima strueremus in agro.
Duodecima, si opus est, Martem repetemus, & arma.
Talia Dardanides, Thetidis sic filius inquit.
Hæc ita, ut ipse jubes fient, totidemque diebus
Cessabunt pugnæ, Danaique ad castra quiescent.
Dixerat, & Priami dextram complexus inhæsit,
Ne timor incertumque animum, mœstumque subiret.
Ergo in vestibulo Priamus, fidusque minister
Decubuere, gravis fessos sopor occupat artus,
Inde procul celsi tentorj in parte reposta
Pulchricoma accubuit charo Brisceis Achilli.
Diique, & Grajorum proceres, gens inclyta bello
Per noctem solidam blandæ indulsere quieti.
Sed non & Maja genitum sopor occupat altus
Versantem ut Priamum ab castris, Danaumque carinis
Delusis iterum excubiis in tecta reducat.
Tum Priamo stetit ad caput, adfaturque jacentem.
Dormis Dardanide, curarum oblitus, Achivis
Hostibus in prædam? Satis evasisse cruentum
Pelidem fuerit: redimendo munera gnato
Plura quidem, et pretiosa tibi impendenda fuerunt.
At capto huc Priamo, gnatis ter plura, quaterque
Expendenda forent, de te si magnus Atrides
Resciet, aut Danaum quisquam. Sic ore loquutus
Expavitque senex, præconemque excitat: ipse
Jungit equos Atlantiades, axemque sonantem
Per medias agitat turmas, neque cernitur ulli.
Ut ventum Xanthi ad ripam, et saxosa fluenta
Ab Jove cui genus, in superas Deus evolat arceis
Fulserat & croceis Aurora invecta quadrigis
Olli cum gemitu, & lacrimis in mænia currum
Flectebant volucrem, portantemque Hectora rhedam.
Nec quisquam Iliaca ex turba matrumve, virumve
Regem adventantem ab muris conspexerat altis.

Cassandra hunc Veneri similis prospexit ab arce
Pergamea prior, & totam bachata per urbem:
Hectora nunc (si quando alias plausistis ovanti)
Troades adspicite, & Troes. Proh gloria quondam.
Præsidiumque, decusque tuæ, & spes maxima gentis?
Hæc ait, & subito ingenti perculsa dolore
Turba virum ruit ad portas, stipantque cadaver
Permixti cum plebe patres, juvenesque, senesque,
Et cum virginibus matres: mœstissima conjux
Ante omneis caput exanimis complexa mariti,
Et vulsis veneranda parens a fronte capillis
Lamentabantur, circum turba adgemit òmnis.
Atque diem totum ad portas charum Hectora flerent.
Rex tamen alta ab sede: locum concedite bigis,
Saltem, ait, in tectis luctu satiamini acerbo.
Dixit & angusto patuit via tramite rhedis,
Devectumque domum lecto imposuere cadaver
Tornato, ingenti, mœstumque hinc, inde gemebant
Cantores, planctuque, & fœmineo ululatu
Nænia mixta sonat, niveisque amplexa lacertis
Chara caput conjux luctum exorditur amarum:
Heu! juvenis viduam uxorem, dulcissime, linquis.
Ædibus in magnis, nostrorum & fructus amorum
Vix tantillus adhuc infans, nec flore juventæ
Vernantem, reor, adspiciam; alto ab culmine Troja
Ante eversa cadet: perijsti, maxime custos,
Muros qui dextra, & gnatos, matresque pudicas
Servabas, captæ Argolica jam classe vehentur,
Inter ego hasque etiam, tu me comitaveris illuc,
Atque immitis heri durissima jussa subibis,
Chare puer, vel te sublimi ab culmine turris
Præcipitem quisquam dederit, cui forte parentem,
Aut fratrem, aut gnatum meus interfecerit Hector,
Namque erat, heu! nimium genitor tuus asper in armis,
Illius & manibus domiti jacuere per agros
Graiorum innumeri: totam lugere per urbem

Propterea, o mœror, planctusque parentibus, Hector,
At mihi præsertim, cui non fovisse cadentem
Amplexu licuit, morientis & ultima verba
Excipere, atque alto servare in corde reposta
Nocteis, atque dies miseri solatia casus.
Hæc conjux, matrumque sonant vlulatibus ædes.
At genitrix: gnatorum, inquit, mihi charior omnium,
Hector, charus item superis, qui morte jacentis
Curam habuere tui: gnatos invisus Achilles
Namque meos olim ponti trans litora captos
Vendidit, inque Samum, atque Imbrum, Lemnumque feracem.
Te tamen extinctum ad tumulum sæpe ille sodali,
Raptavit Patrocli dextra hac victrice perempti;
Sed non exanimum lucis revocavit in oras.
Nunc mihi formosusque jaces, & roscidus altis
In thalamis, olli similis, quem pulcher Apollo
Mitibus interimit telis. Sic fatur, & ingens
Exoritur luctus, tum tertia Tyndaris infit:
Hector cunctorum longè charissime fratrum,
Dij postquam miseram Paridis junxere hymæneis
Avectam in Phrygiam (perijssem gurgite in alto
Mersa priùs) bisque hic decimus jam vertitur annus
Trojam ex quo veni patria tellure relicta,
Abs te probra tamen, conviciaque aspera nunquam
Audieram infelix; fratrum quod siquis amaris,
Mœrentem impeteret dictis, socrusque, sororve
(Nam socerum haud memoro, qui me genitoris ad instar
Complexus semper) linguas frænare furenteis
Tu blandis solitus verbis, ægramque levare.
Propterea te, meque fleo, semperque dolebo.
Nam neque jam fuero Teucrum miserabilis ulli,
Sed caput invisum, ac toti execrabile genti.
Sic ait, & flenti populus simul adgemit omnis.
Tum senior Priamus; Silvam de montibus aptam

Digitized by Google

In muros vehite, o cives; sociique, nec ullas
Insidias Danaum ratibus metuatis ab altis,
Nam discedenti mihi sic promisit Achilles
Non prius Argivum invasuras Pergama turmas
Quam bis sex nitido Phœbus fulsisset ab ortu.
Hæc Rex, soliciti ante urbem mulosque, bovesque
Jungebant juvenes, plaustrisque gementibus ibant,
Perque dies convecta novem silva arida in urbem.
At quum jam decima effulsit lux aurea terris
Cum fletu, planctuque piræ imposuere cadaver,
Et sacram admovere facem, steteruntque frequentes.
Dein flammam vino, & bibulam extinxere favillam,
Ossaque lecta cado Fratres, cognataque turba
Aureo texerunt tenui velamine circum
Purpureo obducta, & fossa imposuere cavata.
Tum saxis super aggestis, tellureque multa
Molem struxere ingentem, circumque sedebant
Interea exploratores, ne turba comantum
Grajorum ingrueret, perfectisque undique cœptis
Regifice instructis celebrant convivia mensis
Laomedontiadæ Priami in penetralibus altis.
Sic Teucri extremos solvebant Hectori honores.

FINIS.

Digitized by Google

BIBLIOTEC... ...COPAL
SEMINARI... ...LONA
Biblioteca Episcopal de Barcelona
13030000000677
Arm. 01
Est. 3
N.º B-750
...y Google

Digitized by Google